HUGO GROTIUS

DE IMPERIO SUMMAR. POTESTATUM CIRCA SACRA

CUM SCHOLIIS CRITICIS, ET CHRONOLOGICIS

AC

DAVID BLONDELLUS

DE JURE PLEBIS IN REGIMINE ECCLESIASTICO

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE ADJICITUR

JO: FRANCISCI CONFORTII

Regii Hist. S. & P. Conciliorumque Professoris

ANTI-GROTIUS

Qui complectitur Prolusionem, & Exercitationes Criticas XII. totidem Grotianis capitibus oppositas.

Sequitur una in Blondellum Exercitatio.

TOMUS I.

NEAPOLI MDCCLXXX.

Typis, ac sumptibus JOSEPHI-MARIA PORCELLI.

SUPERIORUM AUCTORITATE.

LECTORI

JOSEPH-MARIA PORCELLI.

Etsi complures Viri docti de Christianorum Principum auctoritate, quæ in sacris versatur, uberrime edisseruerint, attamen inter omnes Hugo Grotius *hoc magis excellere atque eminere videbatur, quod ad eum pertractandum locum ille ipse accesserit, qui immortales libros* De Jure Belli et Pacis *conscripserat. Unum enimvero* Grotii *nomen satis erat, ut libellus* De Imperio Summarum Potestatum circa Sacra *singulari eruditorum hominum existimatione uteretur. Atque id ne in dubitationem adduci posset, argumento fuit infrequens exemplarium numerus, quamvis maximam eorum copiam plerique Europæ Typographi semel & iterum edidissent. Quamobrem inito consilio hunc* Grotianum *libellum ex Typographio evulgare meo decrevi: quumque Virum mihi amicum* Joannem Franciscum Confortium *convenissem, ipsum de aspergendis* Grotio *adnotationibus rogitare cœptavi, quibus eum emendares & ad unguem castigares. Hac enim lege ab Illis, ad quos ea potestas pertinebat, me impetraturum, ut ederem, mihi ominabar. Amicus autem non diu deliberavit quid ageret. Nanque statim suasor fuit, ne qualem conceperam,* Grotius *in lucem proferretur. Auctoris enim universam rationem ita ille contextam esse contendit, ut sparsis adnotationibus dissolvi facile non posset. Attamen affirmavit, illud non modo e Republica, sed etiam e Catholica Ecclesia*

fore, si principiis benè provisis accurateque exploratis, e quibus hic libellus repetitus est, ea partim explicatius exponerentur, partim emendarentur, partim rejicerentur in aliqua Prolusione & in XII. Exercitationibus, quæ totidem GROTIANIS *capitibus opponeren tur: totumque id* ANTI-GROTIUS *inscriberetur. Atque cum Amico cum res ità se habuit. Ille autem opus, cujus effigiem mihi descripserat, statim suscepit, in eoque ea sententia perficiendo elaboravit. Ergo, humanissime Lector, commodis consulens tuis duo edenda curavi volumina, quorum primo Prolusio,* GROTII *sex capita, & sex criticæ Exercitationes continentur, alterum vero reliqua* GROTII *capita & reliquas exercitationes, item* BLONDELLI *diatriben* DE JURE PLEBIS IN REGIMINE ECCLESIASTICO *ac unam in* BLONDELLUM *exercitationem complectitur. Porro diligenter egi, ut menda tollerentur omnia, quæ cæteros Editores fugerant, nec desiderarentur Scholia Critica, & Chronologica, quæ* GROTIO *subjecit* BLONDELLUS. *Habes consilium meum. Tua igitur tempora morari desinam. Vale & plura præstantiorum Scriptorum opera, si vivam, expecta.*

IN-

INDEX EORUM

QUÆ IN PROLUSIONE CONTINENTUR

PROLUSIO IN LIBRUM GROTIANUM DE IMPERIO SUMMARUM POTESTATUM CIRCA SACRA.

CAP. IV.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.

CAP. XI.

C A P. XII.

C A P. XIII.

IN-

INDEX EORUM

QUÆ IN GROTIANIS HUJUS PRIMI VOLUMINIS CAPITIBUS CONTINENTUR.

INDEX EORUM

QUÆ IN EXERCITATIONIBUS CRITICIS CONTINENTUR.

VI.

ERRATA		CORRIGE
Pag. 17	Commovent	Commoveant
36	oppofite	appofite
49	Mopfuefteni libris	Mopfuefteni laudibus
72	Confciverunt	Condiderunt

Cetera suppleat Lectoris Humanitas.

JOANNIS FRANCISCI CONFORTII

PROLUSIO

IN LIBRUM GROTIANUM DE IMPERIO SUMMARUM POTESTATUM CIRCA SACRA.

CAPUT I.

I. De consilio, quod Grotius sequutus est in conscribendo libro, de Imperio Summarum Potestatum circa sacra. Hoc perspici non potest, nisi ex historia certaminum, quæ inter Gomaristas & Arminianos commissa fuere de auctoritate Magistratuum in sacris.

II. Oriuntur inter Gomarum & Arminium Leidenses Doctores concertationes de dogmate Religionis. Omnium studiis eo inclinantibus, ut de maximo negotio referretur in nationali Synodo; Fœderati Ordines eam convocari passi non fuere, nisi simul de publica catechesi institueretur judicium.

III. Aditum est ad Hollandiæ Ordines, qui decrevere in Magistratuum quodam senatu Arminium & Gomarum esse audiendos. Querentibus Gomaristis, quod politici Rectores de Religione cognoscerent, tamen Senatus habitus est, qui censuit, eas, quas Doctores agebant, controversias non esse de Religionis fundamentis.

IV. Dant operam Ordines, ut inter dissentientes amicitiam componant. Colloquium Hagæ instituunt, quo eos evocarunt. Discessit e vita Arminius.

V. Grotius, qui initio nec Arminio nec Gomaro studuerat, deinde in Arminianas partes ivit.

VI. Res iterum ad Ordines defertur. Gomaristæ obiiciunt, publicos Magistratus fidei non esse disceptatores & judices. Colloquium Hagæ convocatur, quo habito Arminianis caussa addicitur, quibus magnam sedulitatem Grotius præstitit.

VII. Edicitur de sacris eligendis ministris in Senatu Magistratuum & Pastorum. Id perferri non potuisse ab Ordinibus Gomaristæ contendunt.

VIII. Grotius Rotterodamensis assessor creatus est; Quumque a Brittanica legatione rediisset, Ordinibus Hollandiæ auctor est, ut tanquam summi Reipublicæ moderatores de fidei controversiis decretum conderent, in quo dissentientibus pacem imperarent. Exponitur decretum.

IX. Traduxere Gomaristæ Hollandicos Ordines quasi in eam potestatem invadentes, quæ ad Pastorum Synodos pertinebat. Id ipsum Rex Angliæ sensit. Ordines defenduntur pluribus Arminianorum scriptis, quæ a Gomaristis refelluntur.

X. Princeps Mauritius ad Gomaristas animum adjecit, & Grotium in vincula conjecit. Coacta est Synodus Dordracena, in qua Arminiani caussam amittunt.

XI. Mentio iniicitur librorum, qui editi fue-

fuere pro auctoritate Magistratuum in Sacris.
XII. Hujusmodi plures Grotius evulgavit.
XIII. In iisdem temporibus ille occasionem nactus est conscribendi libri, de Imperio Summarum Potestatum circa sacra.

I. Bene ac sapienter docti viri egerunt, ut si quos contra scribere instituerent, ab exponenda eorum tota ratione agendi initium caperent, quod omnes illi, quibuscum nobis non convenit; si horum sententia accurate explicata sit, facilius convinci solent. Qui mos in quem potius, quam in Grotium? Aut quando magis usurpandus est, quam cum industriæ nostræ nervos contendere adversus illius librum, *de Imperio Summarum Potestatum circa sacra*, aggredimur amplissimorum virorum Imperio & amicorum auctoritate? Pleraque enim in hoc libro vel doctos prudentesque fallunt, nisi si explorate cognoscant & percipiant, quorsum Grotii in eo conscribendo consilium evaserit. Atque illud ipsum expromi a nobis non potest, nisi, susceptis inter Gomaristas & Arminianos inimicitiis, iisque de magistratuum jure decertantibus, planum faciamus, quorum partibus Grotius studuerit. Eam ob rem ordine quidem, sed paucis exponimus Arminianorum & Gomaristarum certamina, quæ Hollandiæ Ordines, Magistratus, sacros Administros, doctores, plebem, totum Belgium, Angliam & Germaniam commoverunt.

II. Jacobus Arminius anno CIϽIϽCII. petentibus curatoribus subrogatus est in locum Francisci Junii, qui docendæ Theologiæ publico munere functus fuerat in Gymnasio Leidensi. Ei collega fuit Franciscus Gomarus. Inter eos orta est perdifficilis sane & perobscura quæstio de re *prædestinaria* & de Divinis auxiliis. Arminius enim cum Pelagianis aut certe Semipelagianis sensit, contra Gomarus e Calvini partibus stetit. Itaque in certamen venerunt, de quo rumor ad omnes fœderati Belgii provincias perlatus est, satis quidem constans, nec sine auctore. Statim ad Arminium missi sunt *Deputati* Synodorum Hollandiæ australis & borealis, qui ab eo secessionis suæ ab Ecclesia Calviniana rationem rogarent. Is respondit, se in animum induxisse, ne ad ea, quæ rogabatur, aliquid diceret, nisi ipsi *Deputatorum* personas deponerent; quo facto se libere prolaturum quidquid de Religionis negotiis cogitaret, modo iidem fidem darent fore, ut id ipsum, quod in colloquio audirent, nusquam, nisi in Synodo nationali referrent: si contra contenderent, durius secum agi, quam per leges liceret. Quibus rejectis conditionibus illi discesserunt (a). Arminius autem animadverterat, adversarios in id conjurasse, ut ipse ad agendas turbas quasi princeps auctor palam prodiisse videretur. Hinc colloquium, quod Synedrium Leidense deposcebat, honesta usus causa recusavit. Jussi sunt undique Curatores Academiæ cavere, ne patria Religio & Respublica ab inimicitiis & dissensionibus Doctorum aliquid detrimenti caperent. Dordrechtana *Classis* profitetur, se maxime vereri, ne ea res in schisma adduceretur, aut certe Ecclesiæ esset offendiculo: & Synodus, quæ Rotterodami congregata est, novem quæstiones ad Curatores misit, quas a Doctoribus explicari juberent, eum in finem, ut sententiam quisque suam expromeret. At illi non commiserunt, ut in hoc discrimen Doctores jussu conjicerentur suo: cumque omnium studia eo inclinarent, ut nationalis Synodus haberetur, ad eam sese retulerunt. Namque fœderati Ordines decreverant, licere quidem per ipsos nationalem Synodum conscribi, si de publica catechesi, quæ in Belgium diu recepta fuerat, in ea judicium ferretur: ita ut iis consulerent, qui libere dicere percuperent, quidquid de Religionis quæstionibus sentirent. Namque eo consilio imperaverant, ad Senatum Magistratuum eas res referri, quas quisque in publica catechesi animadvertisset. Quod Gomaristis non placuit. Etenim primum pugnarunt, publicam catechesim hujusmodi esse loco, ut de illa judicium institui non posset: Cum autem id consilium non processisset, deinde contenderunt, certe ad Ecclesiasticos Conventus ea omnia esse deferenda, quæ in catecheseos

(a) *Præstant. vir. Epist.* 78.

seos doctrina cuilibet displicerent. Ex quo nationalis Synodus dilata est.

III. Interea Jacobus Arminius, cum receptum ad amicitiam & gratiam Magistratuum se habere cognosset, Ordines Hollandiæ libello adivit, eosque rogavit, ut de dogmaticis opinionibus quæ in quæstionem venerant, ipsi judicarent, aut Conventum instituerent, in quo ab ea invidia liberari posset, in quam falso crimine adductus esse videbatur. Ordines decreverunt, ut inter Gomarum & Arminium in supremo juridico Senatu colloquium haberetur. Gomaristæ cum Magistratibus expostularunt, quod ii in Pontificum munia invaderent, & de Religione sibi judicium vindicarent. Sed nihilosecius eorum Princeps Gomarus vadimonium obivit: cumque primum Magistratuum non esse partes excepisset ut de sacris judicarent, tandem de pluribus Religionis controversiis sententiam protulit suam. Arminius, qui Senatui primus se stiterat, statim promere non dubitavit quidquid de iisdem controversiis sentiret. Senatus in fidem suam recepit, propediem se operam daturum, ut in Synodo de iis quæstionibus judicium ferretur: sed quamdiu ea Synodus expectaretur, prudenter vetuit, ne uterque doceret quod Sacræ Scripturæ & patriæ Religioni dissentiret, si secus faxint & certamina consererent, id acturos, quod Ordinibus displiceret (a). Itaque ad Ordines Hollandiæ e Senatu missi sunt, qui in eorum conventu dicerent, ea omnia quæ inter Leidenses Doctores agerentur, non versari in Religionis fundamentis. Cujusmodi judicii auctor fuit Oldenbarneveldius, quem contra Gomarus audacter professus est, ipsum sibi male consultum coram Deo existimare, si in Collegæ sui sententiam concederet, & cum eo sentiens e vita discederet.

IV. Post id temporis, cum hæc gesta sunt, Ordines non cessarunt Ecclesiæ Religionisque negotiis prospicere, & de iis arbitratu suo judicare. In eorum conventum Arminius introductus est: Ille, cum plura de religione disputasset, ea scripto complexus est, quod publice asservatur. Per eosdem dies Gomarus Ordines adivit, & nactus dicendi facultatem adeo Arminio & Vitenbogardo succensuit, ut alterum cum Ario, alterum cum Eusebio, homine ex sui sententia Ariano & aulico conferret. In peroratione Ordines rogavit, ut provincialem Synodum convocarent, cujus fidei & potestati Religionis negotia committerent. Attamen Ordines de sedandis animis, iisque amicitia conjungendis cogitarunt. Cumque hoc ipsum studerent, (res enim, quæ disputabantur, medias esse, nec ad Religionis summam pertinere reputabant), Arminium & Gomarum Hagam compulerunt ad colloquium. Parent illi & disputare instituunt: sed ab incepto desistunt, quod Arminius per eos dies adversa valetudine usus est, ex qua mortem oppetivit.

V. Grotius ei funebria justa solvit, conscripto carmine. Hactenus tamen nec in Arminii, nec in Gomari partibus fuerat, quoniam se ad divinas disciplinas nullusdum applicuerat. Namque cum Epistolam anno 1609. ad Rutgersium scripsisset, in ea quidquid inter Gomarum & Arminium ageretur, se plane non intelligere confessus est, *Harum controversiarum*, inquit, *partem me non intelligere ingenue profiteor. neque enim faciunt ad edictum Prætoris; nobis modica Theologia sufficit* (b). In carmine Arminium elogiis affecit, cavit tamen, ne Gomaro obtrectaret, quam rem ita dexter egit, ut, cui lis addicenda esset, quasi ei non liqueret. Sic enim cecinit,

Et sive multum debuit tibi verum,
Seu parte in aliqua more gentis humanæ,
Et nescientis multa sorte naturæ,
Te cepit error, judicent, quibus sacri
Juris potestas, visque tanta noscendi.

Post eos dies Grotius operam industriamque suam in divinis disciplinis impendit, quas juris consultissimum virum ignorare nefas erat, iis potissimum temporibus, cum Synodi,

a 2

(a) *Epist. Grotii* 11. *pag.* 3.
(b) *Epist.* 135. *collect. Burman. tom.* 2. *pag.* 180.

di, Synedria, Gymnasia, Senatus & Ordines Religionis noscendis controversiis vacabant in fœderato Belgio. Dum autem in eo studio totus esset, in animum facile induxit, cum bonitate & providentia Dei omnia consentire quæ Arminius docuerat, & secus se habere, quidquid Gomaristæ contendebant. Itaque in Arminianas partes discessit.

VI. Jamvero Doctores, qui Arminii auctoritatem sequebantur, iniquis Gomaristarum judiciis apud omnes nisi sunt. In Conventum Hollandorum Ordinum anno 1610. iterum venerunt eorumque fidem & tutelam flagitarunt. Conscripserant libellum quem Ordinibus dederant: *Remonstrantia* appellata est, ex qua Arminiani *Remonstrantes* audierunt. In ea totam primum Gomaristarum rationem exposuerunt, deinde sententiam suam explicarunt, eamque quinque pronunciatis complexi sunt, quæ Philippus Limborchius descripsit (*a*). Postulatum autem est ab Ordinibus, ut Synodum convocarent, quæ publica auctoritate de iis omnibus censeret, quæ disputabantur: sin illud iis non placeret, statim edicerent, ut omnes Doctores, quamquam in mediis Religionis negotiis dissiderent, pace conjungerentur, & sese amice tolerarent, neve alii ab aliis officiorum societate segregarentur, quasi in Religionis fundamentis aliquid offenderent: Additum est, si has conditiones Ordines reiicerent, se iis dicto audientes fore, & cum ita collubitum sit, ægre id non passuros; ut munus, quod gerebant, e vestigio deponerent. Sibi enim eam esse mentem, ut alia ratione & via Ecclesiis suis consulerent (*b*). Sic Hollandiæ Ordines summo Imperio præfectos affati sunt Arminiani, ductu Vitenbogardi & Grotii, quos intime amicitia consociaverat. In Arminianos eum ob libellum plurima conjecta sunt maledicta a Gomaristis: Maximo illis crimini datum est, quod Religionis negotia non ad Synodos, sed ad Principes detulissent. Attamen Ordines qui in Summis Potestatibus jus inesse arbitrabantur constituendæ in Civitate Religionis, secundum Arminianos decreverunt, qui *Tolerantiam* exoptabant. Namque edixerunt ut inter omnes Ministros officiorum societas in Ecclesiis intercederet, nec alter alteri consuetudinem negaret, quamdiu iidem secus non judicarent. Gomaristæ contra obstrepunt, Ecclesiam Calvinianam sospitem non futuram, nisi Arminiani ab ea depellantur: Iis in animo esse, ut patriæ Religionis summam perdant; per Divinas Leges non licere cum iis amicitiam & pacem habere. Hæc tam vehementer expostulant, quivis ut facile intelligat, eos in posterum haud fore pacatiores. Quocirca Ordines Hollandi alterum colloquium Hagæ Comitis instituendum curarunt, quo præcipuos Doctores evocaverunt: Ex factione Gomaristarum convenerunt Ruardus Acronius, Petrus Plancius, Joannes Becius, Libertus Fraxinus, Joannes Bogardus, Festus Hommius, ex factione autem Arminianorum Joannes Vitenbogardus, Adrianus Borrius, Edvardus Poppius, Nicolaus Grevinkhovius, Joannes Arnoldus Corvinus, Simon Episcopius. Sex scilicet ex unaquaque factione. Antequam autem disputare inciperent, Gomaristæ libellum Ordinibus præbuerunt, in quo Calvinianæ Ecclesiæ doctrina explicata est (*c*). Eum libel-

lum,

(a) *In Relatione historica de origine & progressu controversiarum in fœderato Belgio de Prædestinatione*. *Sunt vero* I. Deus ante jacta Mundi fundamenta decrevit credentes in Christum & in fide perseverantes servare, incredulos vero ac contumaces damnare. II. Jesus Christus pro omnibus & singulis hominibus mortuus est, & remissionem peccatorum impetravit, ita tamen ut nemo reipsa illius remissionis particeps fiat præter credentes. III. Homo salvificam fidem non habet a se, neque ex liberi sui arbitrii viribus: sed necesse est, ut a Deo in Christo per Spiritum Sanctum regeneretur. IV. Hæc Dei gratia est principium, progressus & complementum omnis boni: Cæterum quod ad modum agendi attinet, ille non est irresistibilis. V. Fideles auxilio gratiæ Spiritus Sancti abunde instructi sunt viribus, quibus in fide possint perseverare.

(b) *Vide Clericum Hist. Hollandiæ tom. 1. lib. 29.*

(c) *Calvinianæ doctrinæ, quam in libello Gomaristæ complexi sunt, summam sic describit Limborchius loc. cit.* I. Deus ex humano genere corrupto in Adamo liberat certum

tum

lum, cum *Remonstrantiæ* obvertissent, *contraremonstrantiam* dixerunt, unde *Contraremonstrantium* nomine appellati fuerunt. Tum veniunt in colloquium & disputantur omnia, quæ utriusque factionis doctores coram Ordinibus professi fuerant, cujusmodi disputationis acta evulgata sunt nomine *Collationis Hagiensis*. Ita sermone confecto, Remonstrantes tolerantiam, Contraremonstrantes Synodum flagitant. Sed nihilosecius Ordines manent in sententia, nullas esse caussas, quam ob rem dissentientes doctores sese mutuo non tolerent, nec officiorum consuetudine consocientur: Itaque hos commonefaciunt, ut de iis, in quibus non convenit, modeste disputent, quin inter ipsos inimicitiæ & bella intercedant. Quod cum Hollandiæ Ordines summi rerum Rectores sanxissent, huic decreto consentientes leges Trajectini Ordines rogarunt, quas Vitenbogardus Grotio auctore conscripserat.

VII. Nec tamen res quietiores se habuerunt. Responsum enim fuerat secundum Arminianos, ex quo Gomaristæ magis incenduntur ad eos perdendos. Nituntur Ecclesiasticorum consensu, qui plurimam apud Plebem sibi adjunxerant auctoritatem. Noverat quidem Oldenbarneveldius universæ Hollandiæ magnus Assessor, consilium constituendæ inter dissentientes Doctores amicitiæ feliciter non processurum, nisi Ecclesiastici Dominis Ordinibus conspirarent. Statim auctor fuit, ut edictum de renunciandis Ministris iterum rogaretur, quod anno 1591. perlatum fuerat. In eo Ordines decreverant, ut ab Ecclesiasticorum synedrio & Magistratuum Senatu quatuor renunciarentur *Delegati*, duo ex unoquoque cœtu, a quibus Sacrorum Minister deligendus esset, ita ut delectus munus in Ecclesia suscipere non posset, nisi Magistratuum Senatus in eum consenserit. Res omnis eo evadebat, ut ii in Ecclesiis sacrum munus obirent, quos Magistratuum Senatus sibi consentientes tenebat. Sic enim Gomaristarum partes debilitari videbantur. Hinc alia certamina de Magistratuum auctoritate in sacris. Arminiani sentiunt, in iis jus inesse ut non modo de regimine Ecclesiæ leges jubeant, sed etiam de Religionis negotiis judicium publice ferant. At Gomaristæ, quamquam singulos cives domi pietatis suæ judices existiment, tamen negant, publicam religionem administrari posse, nisi in Ecclesiasticis Synodis. Itaque nihil pacati gerunt: Namque dissociantur ab Arminianis, quos ab Ecclesiis vi depellunt, & maledicta aspere in eos coniiciunt, quo de Religionis bello plures Hollandiæ scriptores commemorarunt.

VIII. Grotius anno CIↃIↃCXIII. Urbis Roterodamensis Assessor creatus est summa Procerum Hollandiæ & universi Belgii consensione. Quo in honore cum esset, non solum in Conventum Hollandorum Ordinum intromissus, sed inter Curatores Reipublicæ allectus est qui Sacra Rectorum *Hollandiæ* vice funguntur, & in fœderatorum consessum admittuntur. In id tempus erupit inter Batavos & Anglos de jure Indi-

---

tum quendam hominum numerum, quem in æterno suo & immutabili consilio ex mera misericordia secundum voluntatis suæ beneplacitum elegit, quos per Christum salvaret, reliquis justo suo consilio præteritis, & in peccatis suis relictis. II. Pro electis Dei etiam habendi sunt Filii fœderis, quantisper reipsa contrarium non declarant. III. Deus in hac sua electione non respexit ad fidem aut conversionem suorum electorum, tanquam ad caussas electionis, sed statuit, iis, quos ex beneplacito voluntatis suæ elegit, dare fidem & perseverantiam in pietate, atque hoc modo eos salvare. IV. Deus Filium suum Jesum Christum in mortem tradidit ad salvandos suos electos, adeo ut licet mors Christi sufficiens sit ad satisfactionem pro peccatis omnium hominum, in solis tamen electis vim suam habeat ad reconciliationem. V. Deus non tantum externe per prædicationem Evangelii, sed & interne tam efficaciter operatur in cordibus suorum electorum, ut non tantum possint sese convertere & credere, sed etiam, ut reipsa ac sponte sua convertantur & credant, VI. Vere fideles & regeniti, licet per imbecillitatem carnis in gravia peccata incidant, tamen eadem Spiritus Sancti virtute qua egenerati sunt, ita sustentantur ac conservantur, ut fidem nec totaliter nec finaliter amittere possint.

Indicanæ navigationis contentio; Grotius renuntiatus est, qui in Brittaniam pergeret & Reipublicæ caussam apud Jacobum Regem perageret. Ferunt mandata Ei clam data fuisse (a) ut cum Rege & Brittannicis Præsulibus secreto colloqueretur de Belgicis Religionis negotiis & de Ordinum in iis administrandis ratione. Hoc enim Hollandiæ Ordines studebant, ut Arminianis, quibus favebant, Anglos voluntate & sententia conjunctos haberent. Hac legatione gesta Grotius rediit Hollandiam. Gliscebant autem in dies seditiones, & plurima in invidia versabatur Arminianorum factio. Grotius vero & Oldenbarneveldius ea apud Ordines dignitate valent, ut illorum consilio omnia curentur. Igitur illi anno 1614 edictum de constituendis Religionis rebus inter Remonstrantes & Contraremonstrantes condunt, quod summi Reipublicæ dominatores Ordines auctoritate comprobatum sua pertulerunt. Hoc edictum ac expressum est.

DECRETUM

ILLUSTRIUM AC POTENTUM

ORDINUM

HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ

PRO

PACE ECCLESIARUM.

Quando multum dissidii ac contentionis per harum regionum Ecclesias subortum est, ex diversis interpretationibus locorum sacræ Scripturæ, in quibus de æterna Dei prædestinatione & quæ huic cohærent, agitur, provecto eousque calore certaminis, ut fuit qui male audiant, velut directe aut per obliquum docentes, alii quidem, Homines aliquos a Deo immortali ad damnationem creatos: Quibusdam hominibus a Deo peccandi necessitatem imponi: Tum vero, a Deo quosdam ad salutem invitari, quibus omnino salutem non dare decreverit: alii vero, Naturales hominum vires aut facta salutem ipsorum posse operari, quæ spectant utrinque ad Dei ignominiam, ad infamandam christianam reformationem, & nostræ piæ sententiæ adversantur: quibus obviam iri, visum est nobis ad Divini honoris & gloriæ propagationem, ad incolumitatem Reipublicæ & Ecclesiarum, ad tranquillitatem, concordiam, bonamque frugem civium perquam necessarium: idcirco rebus diu multumque perpensis, religioseque & circumspecte examinatis singulis, quæ in colloquio duodecim Pastorum Anno CIↃIↃCXI *nostro in Conventu ore primum peracta, mox etiam cum ipsorum consiliis perscripta, nobisque tradita fuere: usi ea auctoritate, quæ nobis, ut Summis legitimis Potestatibus juxta sanctum Dei verbum, eorumque Regum, Principum, ac Civitatum, quæ Reformationem Religionis amplexæ sunt, exempla competit, imperavimus atque etiamnum imperamus, ut in memoratis modo interpretationibus diligenter quisque attendat ad Sancti Pauli Apostoli monitum docentis, ne quis supra modum sapiat ultra quam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram Fidei: &, id quod passim tradunt sacræ litteræ, salutem qui-*

(a) *Vassor lib. 4. pag. 477.*

quidem nostram ex Deo solo esse, at nos nobis ipsis perniciem accersere: Ac proinde in explicandis sacris litteris, quoties ita feret occasio, Pastores insigant Populo, singulorumque sub nostro Imperio habitantium animis, principium, progressum ac finem humanæ salutis, atque ipsam adeo fidem non nativis hominum viribus aut factis, sed soli nec promeritæ Dei in Jesu Christo Servatore nostro gratiæ accepta ferri debere: nullos a Deo omnipotente homines ad damnationem creatos, nullis a Deo peccandi necessitatem imponi, neque a Deo ad salutem invitari quemquam, cui salutem omnino non dare decreverit. Quamquam vero in Academiis, eruditorumque hominum & Verbi divini interpretum conventibus solent (uti nos quoque permittimus) de sensu eorum Sacræ Scripturæ locorum, in quibus de prædestinatione & quæ cohærent, agitur, colloquia institui, unde accidere potest ut diversi diversa sentiant, quod & olim & nostro hoc Sæculo viris doctis piisque evenit; nolumus tamen, eas disputationes profundiores quæ contra sententiam jussionemque nostram extrema illa atque absurda, quæ imputari quibusdam ante diximus, post se trahunt, publice aut e suggestu aut alias apud Populum proponi. Qui vero in locorum ante dictorum explicatione supra nec docent nec sentiunt, quam a Deo omnipotente ab æterno ad salutem perpetuam electos, pro benevolo affectu voluntatis ipsius fundato in Jesu Christo Redemptore ac Servatore nostro, eos qui per impromeritam gratiam & Spiritus Sancti operationem in Jesum Christum Dominum nostrum credunt, & in fide per similem impromeritam gratiam ad finem usque perseverant, contra vero ad damnationem rejectos eos qui in Jesum Christum non credunt & in incredulitate ad finem perseverant, hos nolumus eo nomine molestiam pati aut urgeri, ut supra doceant aut sentiant, quum eam ipsam docendi formam judicemus ad salutem sufficere & ad Christianam instructionem esse idoneam. Imperamus præterea omnibus Pastoribus, ut in cæteris christianæ doctrinæ capitibus ea utantur explicatione, quæ consentiat cum Verbo Divino, cumque iis quæ per Ecclesias reformatas passim recepta, & quæ his convenienter in Reformatis harum regionum Ecclesiis, quas nos hactenus sustentavimus, defendimus, educavimus, nunc etiam sustentamus, defendimus & educamus, tradita fuere. Utque se porro ad christianam charitatem, concordiam, ac bona exempla componant juxta priora decreta, quo ulteriora dissidia evitentur. Quoniam ita faciundum ex re publica & Ecclesiæ, & ex usu ac tranquillitate populi censemus. Mense Januario Anni cIↃIↃcxiv.

IX. Hoc perlato decreto Gomaristæ ferocius adversus Hollandos Ordines loquuntur. Ex quo quisque asperius eosdem maledictis afficit, major ei apud suos est existimatio. Illud iis ægre est quod in decreto suorum doctrina exposita fuerat, non qualis ab iis ipsis, qui eam probant, accurate explicari solet, sed qualis ad eorundem invidiam congruentior visa est. Irascuntur vero potissimum, quod Domini Ordines judicium sibi vindicaverint de rerum divinarum quæstionibus contra Sacram Scripturam, contra Ecclesiæ leges & mores, sine christianorum Principum exemplis & nullo apud sacram antiquitatem auctore. Atque id ipsum, quod Ordines sibi sumpserunt, in potestate & imperio Principum non inesse palam dixerunt Rex Angliæ Jacobus Princeps clarissimus, & omnes Brittannici Præsules interque eos Archiepiscopus Cantauriensis. De Rege id testatum facit Isaacus Casaubonus, *Videtur etiam*, inquit, *hac formula* (significatur decretum Ordinum) *jus decernendi de capitibus Fidei Civili Magistratui tribui, quod neque prisci Imperatores, neque Rex Serenissimus Brittaniæ sibi unquam vindicarunt*. (a) Revertamur ad Contraremonstrantes. Igitur iidem propositum urgent, pacem cum Remonstrantibus esse non posse, qui Calvinianæ Ecclesiæ farta tecta non servant. Nonnemo libellum evulgat, in quo contra Hollandorum Ordinum Decretum cum Remonstrantibus omnem esse disjungendam consuetudinem pluribus evincit. Vitenbogardus decretum defendit, edito libro. Huic Triglandius opusculum obiicit, quod inscriptum est, *Defensio honoris & doctrinæ Reformatarum Ecclesiarum*. Idem ipse ad eam refellendam opinionem, quæ decreti auctoribus erat de mutua dissidentium *tolerantia*, librum

(a) *Epist. Casaub.* 863. *pag.* 563.

brum conscribit cum titulo, *Recte moderatus christianus*. Sed pro Dominis Ordinibus ad consociandos dissentientium animos complura elaborat Pastor Ultrajectinus Jacobus Taurinus. Omnia tamen non modo secessionem, sed bellum portendunt. Namque anno CIↄIↄCXVII. Amstelodamum conveniunt plures Ministri Contraremonstrantes cum senioribus, qui præside Plancio Ministro Amstelodamensi de facienda secessione conjurant. Etenim profitentur, se Remonstrantes agnoscere pro iis, *cum quibus licitum sibi minime sit conventus ullos habere, & quos pro membris cœtuum suorum non habent, verum se tandem ab iis separare donec a doctrina sua desistant*. Quod ipsum Contraremonstrantes decernunt Hagæ Comitis aliisque in Urbibus. Plura enim eorum decreta ad secessionem pertinentia descripsit Simon Episcopius in Antidoto Synodi Dordracenæ (*a*).

X. Per idem tempus Oldenbarneveldius auctor fuit ut summi Hollandiæ Rectores Ordines juberent, Militum delectum a Magistratibus haberi, qui præsidiis, custodiis & vigiliis oppida munirent contra seditiones. Idque Magistratibus mandatum datum est sine Principis Mauritii Militum Magistri & universi Belgii Gubernatoris consensione. Quod is suæ ipsius derogare auctoritati putavit. Itaque, Hollandiæ ne consultis quidem Proceribus, præcepta militibus dedit, ne arma caperent ad comprimendas seditiones, quæ ex Religionis controversiis orirentur. Ad hoc Urbes & oppida cum exercitu peragravit, & sublatis aut perditis novorum Militum excubiis, Oldenbarneveldium capitis condemnavit, & Hugonem Grotium in custodiam dedit, in qua mortem quidem oppetivisset, nisi eum uxor selectissima & immortalis fœmina optimo consilio liberasset: Etenim Princeps Mauritius succensebat iis ceterisque Arminianis, quod eorum auctoritate Domini Hollandiæ Ordines omnia gessissent, quæ imperio officere suo existimabat. Quapropter omnia decreta quæ perlata fuerant pro concilianda inter dissentientes pace, abrogavit, animumque ad defendendas Contraremonstrantium partes adjecit. Atque eo usque res rediit, ut nomine fœderatorum Ordinum nationalis Synodus, quæ omnium Gomaristarum voto diu exoptata fuerat, in Urbe Dordracena convocaretur. Remonstrantes suspicati, id quod accidit, ne opes suæ perderentur, statim professi fuerunt, *se Synodum non habere pro legitimo controversiarum Judice; ideoque judicium ejus nullum apud se & Ecclesias suas habiturum pondus*. Sed nihilosecius Synodus habetur, in qua Remonstrantes a publicis in Ecclesiis muneribus depelluntur. Arcessiti enim fuerunt trium criminum, quod Patriam religionem labefactassent, quod secessionem fecissent, & quod Magistratuum decretis in Synodo perlatis non obtemperassent. Sancitum tamen est, iis licere ut domi privisque in ædibus eam habeant religionem, quam arbitratu suo delegerint: Conscientiis enim, quibus vis inferri non posse dicebatur, ratione consulere studuerunt.

XI. Hactenus de Religionis controversiis in fœderato Belgio, quas pluribus persequuntur Philippus Limborchius (*b*), Joannes Vassor (*c*), Bossuetus (*d*), Grotius (*e*), Casaubonus & Vossius in Epistolis. Nunc illud agendum est, ad quod exornandum nostra respexit oratio. Sæpenumero certatum est de Principum imperio in sacris, cum inter Remonstrantes & Contraremonstrantes inimicitiæ intercesserunt, eoque de uberrimo loco ad vindicandam Dominorum Ordinum potestatem, quam sibi sumebant in Ecclesia, plures edisseruerunt. Vitenbogardus in Ordinum Conventu cum longam pro seipso & Jacobo Arminio habuisset orationem, dixissetque complura, quibus eorum temporum quæstionibus finis posset imponi, tandem ostendere instituit, provincias fœderati Belgii a Religionis controversiis nunquam otiose se habituras, quandiu Ecclesiastico-

(a) *Volum. 2. Opp. cap. 1.*
(b) *In Relatione Historica de origine & progressu Controversiar. in fœderato Belgio.*
(c) *In Hist. Hollan.*
(d) *In Hist. Variat. lib. 14.*
(e) *In Historia Belgica, in Apologetico aliisque in libris.*

fticorum cœtus de iis decidendis fibi attribuerent auctoritatem ab Imperio liberam. Hoc ipsum malorum omnium principium dixit, quod publicæ Religioni Pontifices præessent, & de illa leges conderent: idque vocavit *collateralitatem* Potestatum, civilis & ecclesiasticæ, quam abrogatam ab Ordinibus voluit. Gomarus evulgato apologetico ei subiratus est, quod suos existimaret statum in statu constituisse, id quidem Pontificios effecisse, eisque crimini idem ipsum esse dandum, Calvinianos autem omnem sacrorum curationem Religionisque doctrinam sibi vindicare, quin aut de summo Imperio derogent, aut eidem alterum Imperium opponant. Gomaro librum anno CIↃIↃCX. Vitenbogardus objecit cum titulo, *De auctoritate christiani Magistratus in rebus Ecclesiasticis*, qui liber Arminianis omnibus placuit. Adrianus Saravia olim Doctor Theologiæ in Academia Lugduno Batava, tunc in Anglia vitam degens sic ad Vitenbogardum scripsit, *Tuus ad meas manus de Summi Imperii in rebus Ecclesiasticis auctoritate tractatus pervenit; unde tantam percepi lætitiam, quantum tristitiæ de altercationibus Leidanis. Deo gratias ago, qui tibi hanc mentem & animum dedit, quod publico scripto a tam pernicioso errore vestros homines deterrere ausus es* (a). Vitenbogardum tamen multis refellere aggressus est Antonius Walæus edito ad eam rem volumine anno CIↃIↃCXV. contra quem Simon Episcopius dissertationem, *De jure Magistratus circa sacra*, evulgavit anno CIↃIↃCXVIII.

XII. At nemo hoc argumentum pluribus percurrit quam Grotius. Ad Archiepiscopum Cantauriensem missa epistola Sibrandus Lubbertus conquestus est, quod Ordines Hollandiæ Domini non finerent, sacros Ministros eo potestatis munere fungi, quam a Christo acceperant, & sibi omnia arriperent, quæ Pontificum erant munia. Gomarista enim respexit Ordinum decretum, quo renunciandorum in Ecclesiis Ministrorum Magistratibus credita fuerat auctoritas, item illud quo sancitum erat, non licere Synodum conscribi nationalem, nisi de publicæ catecheseos doctrina in ea judicaretur. Et quo major Ordinibus esset invidia, eos Socinianismi arcessivit, quod nimirum anglum virum Conradum Worstium ex sui sententia Socinianum in locum demortui Arminii subrogassent in Academia Lugduno-Batava. Statim Ordines Grotio mandarunt, ut Sibrandum refelleret, & suo ipsorum nomini apud Anglos consuleret. Acceptis mandatis Grotius librum prompsit, qui inscriptus est, *Ordinum Hollandiæ ac Westfrisiæ Pietas ab improbissimis multorum calumniis, præsertim vero a nupera Sibrandi Lubberti Epistola, quam ad Reverendissimum Archiepiscopum Cantauriensem scripsit, vindicata per Hugonem Grotium eorundem Ordinum Fisci Advocatum* (b). In eo libro, cum Hollandos Ordines ab ejus criminis quod objectum erat, suspicione liberasset, e vestigio multis de Imperio Summarum Potestatum in sacris disputavit, idque eo consilio, ut auctoritatem vindicaret, quam iidem Ordines sibi attribuerant in publicæ Religionis decidendis controversiis. Cujusmodi Grotii labore admodum delectati sunt Isaacus Casaubonus (c), Vossius (d), omnesque Arminiani. Amplissimus Ordinum Consessus Ei gratias publice habuit anno CIↃIↃCXIII. (e), quo ipso satis testatum fecit, sese optime consultum existimationi suæ a præstantissimo Cive putasse. At nihilosecius Contraremonstrantes palam Grotianum librum despexerunt, & Sibrandus eum refellere aggressus est. Itaque Grotius ei respondit, eundemque locum de Imperio Principum in sacris pertractavit, edito opusculo cum titulo, *Bona fides Sibrandi Lubberti demonstrata ex libro, quem inscripsit, Responsio ad pietatem Hugonis Grotii* (f).

Anno CIↃIↃCXIV. summis Hollandiæ Rectoribus auctores fuerant Grotius & Olden-bar-

(a) *Epist. Eccles. & Theolog.* 182.
(b) *Reperitur tom.* IV. *oper. Edit. Basileæ an.* 1732.
(c) *Epist.* 925.
(d) *Ep.* 1.
(e) *In Collect. Epist. Burman tom.* 2. *Epist* 211.
(f) *Ibid.*

barneveldius, ut edictum rogarent, quo, inspectis eorum temporum quæstionibus sacris, mutuam inter dissentientes conciliari *tolerantiam* jusserunt. Id ob decretum Amstelodamenses ad secessionem inclinabant. Hos duo movebant, tum sacri regiminis forma, quam Domini Ordines constituerant, tum tolerantia, quam iidem imperaverant inter diffidentes, quorum alii pro Calviniana Religione dimicabant, alii vero eam perdere studebant. Illudque maxime displicebat, quod eam omnem rem ad Principes pertinere credidissent. Intererat autem Reipublicæ, ne Civitas Amstelodamum his de caussis offenderetur, quippe quoniam omnium Civitatum erat nobilissima sane & potentissima. Igitur Ordines è suo cœtu plures viros & in his Grotium miserunt, qui in Amstelodamensi Senatu longam Belgico sermone orationem habuit ad eam Civitatem in fide continendam. In ea locum de auctoritate Principum in sacris semel & iterum pertractavit. Is enim hoc agebat ut Hollandorum Ordinum conventui inesse potestatem evinceret, qua in edendo tolerantiæ decreto usi fuerunt inter Arminianos & Gomaristas in Religionis rebus discrepantes. Hanc orationem Theodorus Schrevelius latine convertit: Titulus est, *Oratio ab Hugone Grotio Consiliario & Syndico Reipublicæ Rotterodamensis vernacule habita in Senatu Amstelodamensi o. Cal. Maji* MDCXVI., *cum ab Illustribus ac Potentibus DD. Hollandiæ Westfrisiæque Ordinibus delegatus esset, una cum viris amplissimis DD. Adriano a Mathenes Toparcha Rivirae, Opmerae, Doesse &c. Hugone Musio ab Holy Prætore Dordraceno, Gerardo ab Eyck Delphensis, & Gulielmo Hases Hornanæ Reipublicæ Consulibus, ad informandum Consules & Senatum antedictum de sincera DD. Ordinum mente in conservanda Christiana reformata Religione deque probis & firmissimis rationibus, quibus moti in Ecclesiastica re ea sanxerunt decreta, quorum in ipsa oratione fit mentio* (*a*).

At enim reliquis Contraremonstrantibus obviam iretur plane necesse erat, qui non modo decretum Ordinum reprehendebant, sed etiam audacter confidenterque ex Christiani Imperii natura negabant, illud ab Ordinibus condi & perferri potuisse. Ad eos igitur refellendos Grotius decretum evulgavit, sic ut singulas ejus partes confirmare eniteretur. Quo in opere id primum posuit, *Auctoritatem Summis legitimis Potestatibus competere, ut obviam eant falsæ doctrinæ & Ecclesiarum dissidiis*, quod ille testimoniis veteris Testamenti sed in suum sensum detortis perficit: Opus inscribitur, *Decretum Illustrium ac Potentum Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ pro pace Ecclesiarum munitum sacræ Scripturæ auctoritate & Conciliorum, antiquorum Patrum, Confessionum publicarum & recentiorum Doctorum testimoniis* (*b*). Cumque Grotius nosset, nec res a Contraremonstrantibus quieturas fore, eusdem decreti defensionem suscepit, quam quidem non absolvit. Editus tamen est mutilus hic liber cum titulo, *Defensio decreti Ordinum Hollandiæ pro pace Ecclesiæ* (*c*).

XIII. Hactenus ille argumentum de potestate Principum in rebus sacris persequutus fuerat, illudque exornare pluribus fategerat. Sed maxime animo angebatur, quod, quamvis a nullis laboribus & vigiliis vacasset, tamen reperiebat, Dominorum Ordinum nomen nondum liberasse ab ea obtrectatione, in quam maxime apud Anglos pervenerant. Optimo enim civi ægre erat, quod Summi Patriæ Rectores, quos tanquam parentes colebat, in tantam invidiam adducti essent potissimum apud potentissimas Nationes. Itaque auctor fuit (*d*), ut Hollandiæ Proceres illam epistolam scriberent, quæ ad Jacobum Brittanniæ Regem missa est. In ea illi, cum susceptas inter Remonstrantes & Contraremonstrantes inimicitias ordine exposuissent, de ratione edisseruerunt, quæ sibi fuerat in iis conciliandis, eamque studiose vindicarunt: Regis fidem

(a) *Evulgata est tom.* IV. *opp. Theol. Grot. pag.* 177.
(b) *Extat tom.* IV. *opp. Theol. pag.* 141.
(c) *Ibid. pag.* 195.
(d) *Præst. Vir. Epist. pag.* 497

fidem & tutelam implorarunt, & tandem professi sunt, sese in animum induxisse suum, patriam vindicare Religionem & res novas arcere. Sic ad Brittannicum Regem Proceres. Grotius porro, quo facilius caussæ, quæ amissa erat omnium opinione, deserviret, commentarium elaboravit, *De Imperio Summarum Potestatum circa sacra*. In eo studio totus fuit, ut Summis Potestatibus hoc est Dominis Hollandiæ Ordinibus constituendæ condendæque in Christiana Civitate publicæ Religionis Imperium assereret. Id ille egerat, attamen videri voluit, Christianorum Principum munus in Ecclesia angustioribus descripsisse finibus, quam per Divinas Leges licebat: Scribit enim, *Ego multo magis vereor, ne minus quam par est Magistratibus, aut plusquam par est Pastoribus tribuerim, quam ne in alteram partem iterum excesserim: nec sic quidem illis satisfiet qui se Ecclesiam vocant* (a). Quod an jure affirmari potuisset, paulo post dicemus.

C A P. II.

I. Enarratur ea auctoritas, quam Hollandiæ Proceres arripuerunt in sacris.

II. Item Arminianorum, quorum consilio omnia Ordines egerunt, sententia exponitur.

II. His explicatis facile intelligitur, quid Grotius studuerit in libro, de Imperio Summarum Potestatum circa sacra. *Attamen hoc ipsum ex ipsius verbis & sententiis percipitur.*

I. IN diuturno certamine, quod inter Gomaristas & Arminianos commissum est, Summi Hollandiæ & Westfrisiæ Rectores satis declarasse videntur, quantam sibi asseruerint auctoritatem in gerendis Religionis Ecclesiæque rebus. Voluere nimirum in potestate esse sua, ut inter eos, quibus non convenit de publicæ Religionis doctrina, quasi judices & arbitri sederent, ipsi itidem dogmata constituerent, quæ in publicis Templis doceri oporteret, ea præscriberent tum quæ ad Religionis summam pertinerent, tum quæ cujusque arbitratu disputari possent, de synodo porro judicarent, & de creandis depellendisque ministris leges conderent. Atque eam ob caussam iidem Belgici Proceres ad colloquium sæpe doctiores discrepantium sententiarum Pastores compulerunt: cumque eosdem de sacris disputantes audivissent, multis factis Senatusconsultis caverunt, ne dissidentes utrinque officiorum societate disiungerentur, sed alter alterum tolerarent in Ecclesiis. Existimavere enim, omnes quæstiones, quæ Gomaristas & Arminianos exercebant, non versari in Religionis fundamentis, sed natura sua ita medias esse, ut in iis id sentire quisque posset, quod ex sacræ Scripturæ sententiis & verbis conficeret. Hoc Imperium in sacris, quod Ordines sibi esse datum duxerunt, certe perspicere licuit anno 1614., cum iis collibitum est, certos figere fines, quos intra utriusque factionis Doctores dicendo consisterent. Tum enimvero universam Gomaristarum & Arminianorum doctrinam investigandam susceperunt, & rebus diu deliberatis decrevere, Gomaristas, si opinioni insisterent suæ, ad eorum vesaniam offensuros, qui Deum habuere peccatorum auctorem, crudelem, simulatorem, Arminianos contra eo facile perventuros, ut putarent cum Pelagianis, naturales hominum vires ad salutem valere, aut *Gratiæ* nomine eam intelligerent, quæ meritis redderetur, cujus Christus non esset caussa princeps & fundamentum. Senatus Consultum latum est in hanc sententiam, Utriusque factionis Doctores nihil docuisse quod in Religionis summam incurreret, si modo Gomaristæ Manichæorum, & Arminiani Pelagianorum errores fugerent, idque si facere pergerent, utrinque pace & amicitia consociandos fore, quippe quoniam de præcipuis Ecclesiæ dogmatibus conjurarent. *Idcirco*, sic loquuntur Ordines, *rebus diu multumque perpensis . . . . . . usi ea auctoritate quæ nobis*

b 2

(a) *Epist.* 42.

nobis, ut Summis Potestatibus juxta sanctum Dei verbum competit . . . . . imperavimus atque etiamnum imperamus, ut . . . . in explicandis sacris litteris, quoties ita feret occasio, Pastores infigant Populo, singulorumque sub nostro imperio habitantium animis, principium, progressum & finem humanæ salutis atque ipsam adeo fidem non nativis hominum viribus aut factis, sed soli, nec promeritæ Dei in Jesu Christo Servatore nostro Gratiæ accepta ferri debere: nullos a Deo omnipotente homines ad damnationem creatos, nullis a Deo peccandi nacessitatem imponi, neque a Deo ad salutem invitari quemquam, cui salutem omnino non dare decreverit . . . Nolumus disputationes profundiores, quæ contra sententiam jussionemque nostram extrema hæc atque absurda post se trahunt, publice aut è suggestu aut alias apud Populum proponi. Quoniamque Arminianorum opinio esset exposita, qualis ab iis ipsis explicari solet, additum est, *Eam ipsam docendi formam judicamus ad salutem sufficere & ad Christianam instructionem esse idoneam*. Tandem imperata inter dissidentes concordia peroratum est in hæc verba, *Ita faciundum ex re publica & Ecclesiæ, & tranquillitate Populi censemus*.

II. At illud ipsum perscrutemur necesse est, quam ob rem Domini Ordines suam ipsorum auctoritatem in sacris cousque pertinere crediderint, ut hujusmodi de Religione decretum edere potuissent. Illud scilicet imperium sibi esse mandatum Hollandiæ Proceres duxerunt auctoribus Arminianis, quorum hæc de Principatu universa est ratio. Seponunt ii Religionem quam separatim quisque habet, aut in privis ædibus docet, ab ea quæ in Civitatum templis publice colenda est. Putant Religionem, quæ privatim docetur, ab omni Summarum Potestatum vacare imperio. Per omnes enim leges cuique licere arbitrantur, privatos cœtus agere, & quidquid de rebus Divinis sentiat, id confidenter in iis expromere, ne si Summæ Potestates id interdictum velint, conscientiarum libertati vis inferatur. Dordracena Synodus edixerat, ne Remonstrantes in cœtibus ad opiniones suas alios instituerent, quamquam iis permiserat, ut separatim domi arbitratu suo sacra haberent. Hoc ipsum Arminiani cum Synodo expostulant, quod ipsis ea sentiendi adempta sit libertas, quæ ab omni Dominatu libera est. Etenim id solum Summis concedunt Potestatibus, ut si Doctores falsa & impia in privis ædibus doceant, domum suam statim doctos piosque viros mittant, qui Scripturarum auctoritate & rationum momentis errores depellere possint. Ac de sacris privatis quidem hactenus. Religionem vero, quæ in publicis templis administranda est, Fidei & potestati Principum esse creditam ducunt, quod student efficere sic; publicam Religionem aliis non esse commissam, quam iis, quibus Summum est Imperium in Republica: Duo enim Summa esse Imperia non posse, quorum alterum ad politica, alterum ad sacra pertineat, nec alterum alteri obtemperet: id enim si accidat, nullum fore in Civitate ordinem, qui in eo maxime nititur, quod ab uno Principatu omnia gerantur: si nanque duo sint Principatus, facile rem eo inclinaturam, ut imperata vel contraria vel discrepantia perferantur, ex quo cives, si ea facere velint, in summa rerum perturbatione versentur: *Gomaristæ*, his verbis Limborchius Vitembogardi sententiam & aliorum Arminianorum expressit, *introducunt duas Potestates sibi Collaterales, quarum una ab altera nullo modo dependeat, quæ singulæ negotia sua supremâ potestate decidant: quod quoniam cum pace Reipublicæ consistere nequit, omnique bono ordini adversum est, sequitur etiam in rebus ecclesiasticis Magistratui Christiano summam sub Jesu Christo Domino nostro competere auctoritatem: & quidem speciatim in hisce:. ut in Ditione sua instituat cultum veræ Religionis*: Sic ille. Atque hoc imperium, quod Arminiani Principibus vindicant in publici cultus curatione, ita accipiunt, ut ii possint sacra omnia in Ecclesiis administrare, ministros ad ea procuranda deligere, ipsosque, si bene rem peragant, in munere tueri, sin male, ab eo arcere, ne Pastoribus quidem consultis. Nanque non oportere putant, ad eas res curandas a Principibus Pastorum sententias rogari, divina enim eos auctoritate esse præditos, & sacram iisdem Scripturam in promptu esse, quam facile consulant. Addunt Arminiani, quod plane ex his sequitur, Pastores id audere non posse in publicis templis, ut ea doceant, quæ Principes doceri

vetue-

vetuerunt, aut refellant, quæ iis placuerunt: Contra si faxint, *Cæsari negari quod Cæsaris est*. Etenim Principum esse arbitrantur, in ipsis Synodis aut prædefinito decidere id quod disputatur, aut quod in iis gestum est, pro lubito ratum habere, vel rejicere, quoniam publicæ legis loco nihil existimari par est, nisi quod illi comprobaverint. Sed nihilosecius iidem concedunt, ita sibi providere Pastores posse, ut si eam catechesim sacræ Scripturæ consentientem repererint, quæ a Principibus præcepta sit, eorum mandatis pareant, sin secus, non audeant quidem contra docere, quam Principes jusserint, sed potius munere publico sese abdicent, & in privatis cœtibus doceant, quod sacræ Scripturæ congruentius existimant. Nanque licere dicunt, in iis, quæ ad sacra respiciunt, non facere quod Principes imperant, sed nefas esse contra facere, quam illi præcipiunt. Hæc Arminiani de Summis Potestatibus censent, Vitenbogardus (a), Philippus Limborchius (b), Simon Episcopius (c) aliique complures. Quum igitur Arminianorum ductu & consilio omnia, quæ ad Religionem pertinebant, in Dominorum Hollandiæ Senatu deliberata essent, quod sæpe cum iis Gomaristæ conquesti sunt, plane dicamus necesse est, Summis Ordinibus eadem in animo insedisse, quæ de illorum in sacris Imperio Arminiani sentiebant, ex quo jus constituendæ condendæque in Republica Pietatis tot latis decretis sibi tributam voluerunt.

III. His ita constitutis, dicere quidem in proclivi est, quorsum Grotius evadere instituit, tot libris conscriptis pro vindicanda Hollandorum Ordinum auctoritate in sacris. Eam nimirum talem esse defendit, qualem Proceres exserebant: Si enim nonnihil illam imminueret, optimi Patroni fidem officiumque prodere videretur, imo Ordines turpiter falleret. Nanque ipsius consilio & auctoritate ab iis Senatusconsulta facta sunt quæ Ordines pertulere de dogmaticis controversiis. Valent hæc quidem ad promendum quidquid Grotius de sacro Summarum Potestatum Imperio cogitaverit. At ne quis objiciat, talem adversarium nobis finxisse, de quo facile triumphare possimus, illud ipsum ex ipsius verbis & sententia planum facimus. Is quidem privata sacra a publicis disjungit, & illa singulorum civium arbitratui, hæc autem Principum imperio esse commissa existimat. Nanque cum Brentio affirmat, *ut privatus privatam, ita Principem publicam habere de doctrina Religionis potestatem* (d). Et alias sic rem expresserat contra Sibrandum, *De sua Religione judex est unusquisque; De Ecclesiæ fide ipsa Ecclesia statuit: At de fide Ecclesiæ quæ publica est, nemo jus statuendi habet, præter eum, cujus omnia publica sunt in manu & potestate*. Et quoniam in Imperio potestas judicandi inest, is efficit Principes posse in rebus Religionis censere, & omnes de dogmate controversias decidere: *Sicut ipsum Imperium*, inquit Grotius, *ad sacra non minus quam ad profana extenditur, ita & judicium* (e). Et si qui Reges aut Imperatores recusaverint, quominus de Religione judicarent, eos arbitratur ita se gessisse, quod ii judicium ferre non possent, quod esset erroris expers, aut quod ad eam rem expediendam in seipsis satis non esse virium noverint. Dicit quidem Spiritum Sanctum interpretem esse & judicem sacræ Scripturæ; eum autem, si agatur de privata Religione, per cujusque Christiani judicium, sin de publica, per Summarum Potestatum edicta sensus expromere suos, *Spiritus Sancti*, (sunt verba Grotii) *judicium actio humana non sequitur nisi intercedente judicio humano, quod judicium ut ad actiones privatas Christiani cujusque, ita ad publicas actiones & privatas quæ publico Imperio reguntur, Summarum est Potestatum & quidem Summarum in summo gradu* (f). Additque in hoc ferendo judicio Principes posse ex sui sententia decernere, quin-

(a) *De Auctoritate Christ: Magistratus in rebus Eccles.*
(b) *In Relation. hist. de orig. & progressu controversiarum in Fœderato Belgio.*
(c) *De Jure Magistratus circa sacra.*
(d) *Hujus libri cap.* v. n. v. *Et in ordinum Hollandiæ & West. pietate.*
(e) *Ibidem n.* III.
(f) *Ib. n.* v.

quin rem in consilium Pastorum mittant (a). Ex quo concludit, eorum esse jus præstantissimum & cum auctoritate conjunctum ut in Synodo quo velint loco censeant, iidemque de rebus quæ gestæ sunt, aut derogent, aut iis addant id quod Religionis & Reipublicæ commodis aptius duxerint (b). Atque ex eodem Imperio, quod Principibus in sacra vindicat, multis efficit, eam in Civitatibus Religionem publice esse habendam, quam Principes delegerint, *Nulla in re magis*, inquit, *elucescit vis Summi Imperii, quam quod in ejus arbitrio est, quænam Religio publice exerceatur, idque præcipuum inter Majestatis jura ponunt omnes, qui politica scripserunt* (c). Quod si quis opponat, Regum animos non ita semper se habere, sed variare in iis potissimum quæ ad Divinum cultum respiciunt, ille respondet, publicam Religionem in eodem versari loco, atque gravissima quæque, quæ vices subeunt pro eorum libito, a quibus geruntur: itaque ob periculum ne Religio mutetur, Regibus adimi non posse auctoritatem condendæ in Republica Religionis, quam iidem excogitaverint, idque magis, quod si illi corruptum cultum civitate donaverint, & contra eos, qui non parent, licenter sævierint, Ecclesiæ nequaquam officiunt, *quæ ab ipso ducet opes animumque ferro*.

Atque Grotius in eo studium collocans suum, ut Dominos Hollandiæ Rectores tueatur, qui concordiam inter Gomaristas & Arminianos pluribus latis decretis jusserant, plane ad illud semper spectat, ut naviter efficiat, Principes posse, missis in consilium rerum Divinarum quæstionibus, judicare, an eæ in Religionis fundamentis nitantur, & si contra censuerint, inter dissidentes ecclesiasticam imperare *Tolerantiam*. Id ille studet in hoc libro (d), id in *Oratione* quam habuit in Senatu Amstelodamensi, id in *Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ Pietate*, id in *Decretorum defensione*. Atque hoc argumentum dum Grotius urget, non modo inter Remonstrantes & Contraremonstrantes concordiam conciliare conatur, sed etiam inter omnes Christianos, qui de Religione dissident. Sic quidem Jacobus Arminius diremerat dogmata, in quibus æterna salus reponitur, ab iis, quæ Religionis sunt fundamentum, & plane constituerat, ob dissensum in his postremis rebus nefas esse per Divinas leges, Ecclesias officiorum sese divellere societate (e), idque ne fieret, Summarum Potestatum contineri Imperio. Arminium sequuti sunt omnes Remonstrantes (f) & in his Simon Episcopius (g) & Limborchius (h), qui ipsos Socinianos cum suis ecclesiastica consuetudine conjunxerunt: Hæc Arminiani. Horum igitur Princeps Grotius reipsa contendit, illos, qui Imperium regunt, ea præditos esse auctoritate ut omnes Christianas sectas in unum agere cœtum possint, hoc est, si verus ejus sensus expromatur, Aram condere, quale Adriani Imperatoris lararium fuisse dicitur, ubi inter multa idola Christus colebatur.

CAP.

(a) *Ib. cap.* VI.
(b) *Ib. cap.* VII.
(c) *Ib. cap.* VIII.
(d) *Cap.* VIII. *n.* VI.
(e) *Epist. Eccles. & Theolog. Epist.* 44.
(f) *In Apologia Confessionis & in responsione ad specimen calumniarum a Professoribus Leidensibus editum.*
(g) *In Instit. Theol. lib.* IV. *sect.* II.
(h) *Theolog. Christ. lib.* VII. XXII.

C A P. III.

I. Gomaristæ cum Arminianis infeliciter certant de auctoritate Hollandorum Ordinum in sacris.

II. Constituitur id, a quo universæ disputationis initium capiendum est.

I. EXposita sunt, quæ Grotius pro Hollandorum Procerum Imperio persequutus est. Huic Patrono omnes Contraremonstrantes sese opposuere, qui dicebant universa Religionis negotia, quæ ad potestatem suam Ordines revocaverant, a Synodis fuisse administranda, sub publico tamen præsidio & tutela. Synodis enim Principes præesse concedebant, ut *omnia tranquille & decenter agerentur*, *deinde ut caveretur*, *ne quidquam in iis deliberaretur*, *quod ad Ecclesiæ utilitatem non pertineret*, *aut politicæ gubernationi esset contrarium* (*a*). Cæterum ducebant, civiles Rectores in numero eorum fore, qui Pastores audiunt & ab iis ad publicæ Religionis disciplinam instituuntur. Sic Contraremonstrantes, qui tamen, si doctrinæ suæ convenienter edisseruissent, ex eo certamine evadere victores non potuere. Arbitrantur ii nullum in Ecclesia judicem esse & interpretem *ἀναμάρτητον falli nescium* omnium, quæ de Fide commoventur, quæstionum, sed singulos Christianos in eo esse officio, ut privatim Scripturam interpretentur, de synodis judicent eamque sibi asciscant Religionem, quam sententia sua aptiorem censuerint. Istud quum constituissent, contra Arminianos contendunt, publicum de Religione judicium esse ferendum in Pastorum & Doctorum synodis, quarum auctoritatem non modo singuli Christiani, sed Civitatum Rectores sequantur. At hoc postremum quomodo evincant, si, quod primo ponunt loco, minimum de Plebe quiritem Scripturæ interpretem & Religionis judicem suæ existiment? Namque concedant oportet, Principes eodem certe, ac privatos quosque, jure esse præditos, ut expromant Scripturarum sensus, perpendant quæ decreta sunt in synodis, Religionemque sibi condant. Id autem si conveniat (negari certe ex Contraremonstrantium universa ratione non potest), illud sequitur, singulos posse Principes edicere, ut ea sacra in Rebuspublicis colantur, quæ illi probaverint & delegerint: quod ipsum sane Arminiani sic paucis perficient.

Principes Imperio præsunt non sui caussa, sed Reipublicæ: *Dei enim ministri sunt nobis in bonum* (*b*). Gravissimus auctor Plato, eorum, qui Imperium gerunt, officium his complexus est, *Nemo in aliquo principatu imperans*, *quatenus princeps est*, *quod sibi conducat*, *cogitet aut præcipiat*, *sed quod civibus utile sit*, *& quæ dicit*, *quæque facit*, *cuncta ad illorum commodum decoremque dicat & faciat* (*c*). Antoninus Imperator pronuntiavit *ὠφελίαν ἀνθρώπων utilitatem hominum* rem esse præcipuam, quæ Principum & Legumlatorum munere continetur (*d*). Quod porro Ammianns Marcellinus dixit (*e*), id omnes sapientes sentiunt, *nihil aliud esse Imperium*, *nisi curam salutis alienæ*. Quum autem Terrarum Orbi nihil Deus salubrius & præstantius Christiana Religione dedisset, in illud Principes Reipublicæ bene procurandæ studiosissimi incubuere, ut eam propagandam curarent, legibusque suis tuerentur. Imperatores Theodosius & Honorius in epistola ad Marcellinum, *Neque enim*, inquiunt, *aliud aut belli laboribus.*

(a) *Apud Grotium de pietate Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ.*
(b) *Ad Rom.* 13. 3.
(c) *De Rep. lib.* I.
(d) *Lib.* IV. *cap.* 12.
(e) *Lib.* XXIX. *cap.* 2.

ribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum Orbis nostri Plebs devota custodiat. A Regibus enim tanquam a Regibus Deo mos gerendus est, *Divinitus præcipitur*, inquit Augustinus, *Regibus, bona jubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad Divinam Religionem*. Verum ecquam Religionem Principes propugnare, imperare & ornare debeant, nisi eam, quam ipsi inter omnes sectas sacræ Scripturæ magis consentientem judicaverint? In tot Christianorum dissidiis cujus judicium Principes sequantur? Utantur quidem Doctorum consiliis: Hinc illud,

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ
Dat sapere Regi turba sapientum comes.

At quum sapientissimus quisque falli possit, eodem res recidit, ut Principes de Religione consultent, atque eam, quam Scripturæ congruentiorem judicabunt, arbitratu suo in Civitate esse recipiendam edicant. Hoc sane quod prolatum est argumentum, si contra Gomaristas Arminiani urgeant, eos facile superabunt.

II. Noverint igitur Calviniani Gomaristæ universum locum, qui est de auctoritate Summarum Potestatum in sacris, hac in re versari, an post Apostolorum tempora cœtus superfuerit aliquis aspectabilis, de quo certi esse possimus, ea omnia, quæ ab eo decernuntur, in nullam posse adduci dubitationem. Si enim in Ecclesia post Apostolos judex sedeat, qui nec fallere, nec falli possit in Sacris rebus, Principes solum vindices ac tutores sunt Ecclesiæ ita ut eis nec secus imperare, nec credere liceat. Sin hoc Divinum oraculum desideretur, Principes sunt etiam Judices & moderatores Religionis, quorum judicio omnes in publicis templis stare Christianos oportebit. Ea enim res agitur, auctore ipso Grotio, *Si quod*, inquit, *sit inter homines Divinum oraculum, si qui Prophetæ ἀναμάρτητοι (falli nescii), tam Regum quam privatorum judicium ad eam regulam dirigendum: ita ut contra nec Regibus imperare, nec privatis aut credere aut agere fas sit: Omne enim humanum imperium, omnis item actio Imperio Divino subjacet, an post Apostolos tale aliquod oraculum existat, hoc est de quo quæritur* (a). Ergo id constituamus, unde tanquam ab universæ rei capite nostra omnis disputatio instituenda est.

CAP. IV.

I. *Arminianæ sive Grotianæ sententiæ caput petitur. Namque id ostendendum suscipitur, in Catholico orbe Religionis sedere interpretem & judicem, qui fallere & falli nesciat.*

II. *Affertur primum argumentum ex consensu doctrinæ, qui universæ esse debet Ecclesiæ. Eum enim conciliare non potest, nisi Divinus aliquis moderator, qui Ecclesiam sine errandi periculo gubernet.*

III. *Refelluntur Arminiani & Calviniani, qui dictitant posse Ecclesiam sibi consentientem teneri, si paucissima sint dogmata, quæ in dubitationem non adducuntur. Rejicitur quidquid iidem edisserunt de consilio percutiendi fœderis inter omnes dissidentes Christianorum societates.*

IV. *Adjungitur alterum argumentum ex præsidio, quod Christus Ecclesiæ ferre sæpe pollicitus est. Istud ipsum ex pluribus Scripturæ locis illustratur.*

I. MAgnum equidem locum aggredimur, quem plerique tam accurate & copiose explicant, ut animum ab eo tractando libenter avocaremus, nisi nos impelleret ordo disputationis, quæ suscepta est cum Grotio Arminianorum Principe. Dicemus

(a) *Hujus lib. cap.* VI. §. IV.

mus igitur paucis, quod ab aliis expositum est uberrime, perlata novi Fœderis Religione publicum interpretem & judicem a Christo fuisse constitutum in Ecclesia, qui de rerum Divinarum quæstionibus sine ullo errandi periculo censeret. Dicemus etiam, eum judicem publica præditum esse auctoritate, tali nimirum, cui Reges & Imperatores omnesque Christiani pareant & auscultent in Religionis doctrina. Hæc si perfecerimus, profecto tam bonam & justam caussam contra disertissimum quemque adversarium optime defendisse videbimur, quod facile nos assequuturos confidimus, si primum oratione nostra bene lex illa explicetur, quam Christus ad Ecclesiasticæ Reipublicæ incolumitatem pertulit, tum promissa omnia recte intelligantur, in quibus idem despondit, sese operam daturum, ne quando Ecclesia deficeret & interiret. Etenim nec Ecclesia sospes esse potest, nec Christus eandem satis tueri videtur, nisi publicus inter conventus Christianos existat Judex, qui Deo ductore simul & adjutore Religionem gerat.

II. Reipublicæ Ecclesiasticæ princeps lex est, ut omnium Christianorum conventuum, qui ipsius complexu continentur, summus sit in Religionis doctrina consensus. Nanque de salvis & prosperis Ecclesiæ rebus profecto lætamur, si omnes, qui in orbe sunt Catholico, idem ipsum de Religione cogitent, nec dissensiones & certamina commovent. Ecclesiæ quæ convenerat Hierosolymis, *erat cor unum*, *unus animus* (a), cujusmodi verba summam credentium consensionem sonant: Vetus Poeta apud Plutarchum in Catone Uticensi de duobus amicis similiter dixit, qui animos iisdem sententiis & studiis conjunxerant;

Δυο φιλοι, ψυχη μια

Amici duo, animus unus.

Neque secus Christianos, qui ad Philippensem Ecclesiam pertinebant, de concilianda amicitia & fugiendo dissensu Apostolus commonefecit. Sic enim eos affatus est, *agite quasi unum animum habentes & idem ipsum sentientes* (b). Cumque accepisset, Corinthiorum animos ad dissidia esse inflammatos, ne illa Ecclesia discordiis dilaberetur, eos rogavit, *ut omnes eadem loquerentur*, *nec essent inter eos schismata*, *sed essent perfecti* ἐν τῷ αὐτῷ νοΐ *in eadem mente*, και ἐν τῃ αὐτῃ γνωμῃ, *& in eadem sententia* (c). Ex quo Ecclesia alias vocata est *unum corpus*, in quo *una Fides* existat (d). Nititur enim *in una doctrina Apostolorum & Prophetarum* (e), quasi in fundamento, quo ob sententiarum dissimilitudinem disiecto illa concidit & labitur. Eodem valet vetus præconium, quo Ecclesia *Una* dicta est vel in antiquissimis symbolis, quæ ante Nicænam Synodum conscripta fuerant. Prisci enim Patres, cum eo elogio usi fuerunt, ad Religionis tollendum dissensum respexerunt. Testis est Irenæus, *Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia & quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam Domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, & unum cor & consonanter hæc prædicat & docet & tradit, quasi uno ore loquatur* (f).

Jam illud sequitur, ut tantæ in Religione consensionis conciliatrix aliqua fuerit auctoritas. At cujus? Non ipsius quidem Scripturæ. Nanque id ipsum in quæstionem venit, quo modo omnes conventus, qui ad Catholicam Ecclesiam aggregati sunt, in exponenda Scriptura consentientes teneantur, ne aliorsum eam accipiant atque sonat. Quam quidem ad rem sacrorum librorum urgeri obscuri-

(a) *Act.* Iv. 32. ἠν ἡ καρδια και ἡ ψυχη μια.

(b) *Ad Philip.* 2. v. 2. Συμψυχοι, το ἑν φρονουντες.

(c) 1, *Cor.* 1. 10.

(d) *Ad Eph.* 4. *v.* 3.

(e) *Ibid.* 2. *v.* 20.

(f) *Lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 46. *edit. Ernesti Grabii*. Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειληφυια, και ταυτην την πιστιν, ὡς προεφαμεν, ἡ ἐκκλησια, καιπερ ἐν ὁλῳ τῳ κοσμῳ διεσπαρμενη, ἐπιμελως φυλασσει κ. λ.

scuritatem non oportet; Nam in iis etiam explicandis locis, quibus maxima affusa est perspicuitas, variæ sunt hæreticorum hominum & discrepantes sententiæ. Quæ enim res ipsis Arminianis cum Socinianis & utrisque cum Calvinianis non conveniunt, eæ omnes in perspicuis Scripturæ pericopis versantur. Non Summi Imperii in Christiana Republica. Cum enim Principes falli possint, eoque civium judicio utantur, si quam publicam catechesin rogaverint, aut de sacris judicaverint, nunquam id perficient, ut in eorum sententiam omnes cives conjurent, nec contra sentiant. Documentum capi potest ab iis, quæ in fœderato Belgio gesta sunt. Nunquam enim inter Gomaristas & Arminianos conciliari consensus potuit, licet Summi Hollandiæ & Westfrisiæ Rectores eorundem conjungere animos pluribus latis decretis studuerint. An denique singulorum Christianorum iudicia sic congruunt, ut eosdem in legendis Scripturis sensus percipiant eandemque Religionem expromant? Contra res se habuit. Nanque alii ex Scripturis dogmata collegerunt, quæ iisdem dissentire alii existimarunt. Sic Calviniani de Divinis decretis deque tota æternæ salutis ratione aliter pronuntiant atque Arminiani, & utrique Scripturarum auctoritate pro sententia decertant sua. Igitur restat ut aliquis in Catholica Ecclesia judex sedeat, qui Deo ductore universas Fidei decidat quæstiones, quin usquam offendat, aut incurrat, eaque potestate prædiтus sit, ut illius judicio omnes qui in Ecclesia esse velint, libenter auscultent & acquiescant.

III. Calviniani & Arminiani secus disputant. Nanque docent, duplex esse dogmatum genus, quæ Christiana Religio complectitur, alterum eorum quæ numero quidem pauca, sed in eo existimanda sint loco ut quivis ea tenere debeat, nec aut negligere aut negare possit sine æternæ salutis discrimine, alterum eorum, de quibus arbitratu suo sentire & dicere Doctoribus fas sit, ut quamvis in iis explicandis ab ipsa scriptura discrepent, beatam immortalemque vitam non amittant. Itaque Ecclesiam unam vocant propter eorum, qui in ea sunt, consensum ad dogmata, quæ salutis fundamenta dicunt, ac definere unam esse negant propter eorundem dissensum ab iis, quæ, licet in scripturis expressa sint atque a Synodis satis explicata, non versantur in summa Religionis. Nimirum omnes Christianos cœtus, qui de sacris certant, in unam eandemque societatem congregant, & Ecclesiam quasi Rempublicam quandam fœderatam habent, in paucis solum & præcipuis consentientem. Atque hæc dogmata, quæ fundamenta esse salutis ducunt, tam perspicua esse in Scripturis putant, facile ut quilibet ea possit intelligere. Ex quo concludunt, doctrinæ constantiam & concordiam, in qua Ecclesiæ incolumitas reposita est, omnino tolli non posse, etiamsi singuli Christiani illud ipsum sibi adscribant ut Religionis quisque suæ auctor existat, nec ullus inter eos ad explicandam declarandamque Religionem a Deo delectus sit Judex qui nec falli, nec fallere possit. Hæc est communis non modo Arminianorum, sed etiam Calvinianorum sententia, quam ex Arminianis explicant eorum Princeps Jacobus Arminius (*a*), Episcopius (*b*), Limborchius (*c*), Grotius (*d*), Curcellæus (*e*), ex Calvinianis autem Petrus Jurieu (*f*), Isaacus Casaubonus (*g*), Jacobus Usserius (*h*), Genevensis Turretinus (*i*), aliique, in quibus sunt Ecclesiæ Marchicæ

(a) *Epist. Eccles. & Theolog. Epist.* 144.

(b) *In Vedelio Rhapsodo aliisque in libris, quos complectitur tomus secundus Opp. edit. Goudensis an.* 1665.

(c) *Theolog. Christian. lib. VII. cap. XXI.*

(d) *In omnibus libris, quos ad defendendam Ordinum auctoritatem conscripsit & potissimum in Oratione, quam habuit coram Senatu Amstelodamensi.*

(e) *In Præf. Opp. Episcopii.*

(f) *De verit. Ecclesiæ & articulis fundamentalibus tract. VII. & VIII.*

(g) *In Ep. ad Vitenbogardum.*

(h) *De successione Ecclesiarum in Occidente cap. I.*

(i) *In disquisitione de articulis fundamentalibus.*

chicæ Doctores (a). At contra hic locus magna argumentorum ubertate tractatus est a doctissimo Viro Nicolio in libro, quem conscripsit adversus Petrum Jurieum (b). Idem explicatus a nobis est *in primo volumine Dogmaticæ Theologiæ*, in quo planum fecimus, eam esse Catholicæ Ecclesiæ naturam, ut eos in numerum suorum allectos velit, qui universam Christi & Apostolorum doctrinam colunt, eosque arceat, qui pervicacissimis animis quodvis Religionis dogma reiiciunt. Vetus enim Ecclesia sacris depulit non modo Cerinthianos, Arianos, Sabellianos aliosque qui præcipua Religionis capita petivere, sed etiam Novatianos, Catharos eosque omnes qui qualemcumque hæresim defenderunt. Nunc pressius agamus cum Arminianis & Calvinianis. Quæramus nimirum an eorum consilium de feriendo inter omnes Christianos conventus fœdere feliciter procedere possit, quin Judex erroris expers sedeat in Catholico Orbe. Quænam dogmata existimentur fundamentum Religionis? Quænam in eorum numero reponantur, quæ disputari possint sine salutis discrimine? Ecquis alia ab aliis seponat? Quam ad normam ea omnis res dirigenda sit? Nihil est incertius, nihil obscurius inter eos ipsos quibuscum nobis totum istud est negotium. Ex Calvinianis complures fundamenta esse salutis arbitrantur, quæcunque explicatis verbis expressa sunt a Divinis Scriptoribus, & de cæteris quæ ex perspicuis eorum sententiis perficiuntur aut obscure ab iisdem efferuntur, sic existimant ut pro libito sive teneri sive negari possint. Alii dogmata, sine quibus esse Ecclesiæ salus non potest, omnia contineri putant in solo Symbolo, quod Apostolis adscriptum est. Aliis sic docere placet: Christus est fundamentum, teste Apostolo, *Nemo potest aliud fundamentum ponere, præter illud, quod positum est, Jesum Christum* (c): Christus autem eo spectavit, ut sublatis inimicitiis, quæ inter Deum & homines intercedebant, hos a peccatis atque æternis pœnis liberaret. Ergo si conferantur tum ea, quæ in Christo insunt, tum ista sine quibus comparari non potest finis, cujus caussâ omnia a Christo gesta sunt, facile colligendo dinumerantur ea Religionis capita, quæ sola æternam salutem pariunt. Sic Joannes Franciscus Buddeus (d). Arminiani denique ita dictitant, dogmata, in quibus quasi in fundamentis Christiana nititur Religio, numero quidem esse pauca, & in sacris litteris ad perspicuitatem plane expressa, cum adjuncta tamen promissione beatæ immortalitatis iis qui illa credant, comminatione vero miseræ post obitum vitæ iis qui credituri non sint: Putantque, omnia doctrinæ capita, quæ dilucide ex illis colliguntur & veteris catholicæ Ecclesiæ consensu confirmantur, non aliter esse censenda atque principia, ex quibus tanquam conclusæ rationes sequuntur. Hæc Grotius (e) & Limborchius (f); quæ ex Arminianorum sententia accurate explicavit magnæ Brittanniæ Rex Jacobus, teste Casaubono (g). Expositæ sunt sententiæ eorum, cum quibus certa-

(a) *In brevi expositione consensus suæ Ecclesiæ reformatæ cum aliis in Germania, & extra Germaniam reformatis Ecclesiis in lingua Germanica an. 1666.*

(b) *De Unitate Ecclesiæ.*

(c) 1. *Corinth.* III. 12.

(d) *Inst. Theol. Dogm. lib.* I. *cap.* I. §. *XXXII.*

(e) *In Orat. cit.*

(f) *Theolog. Christ. lib. VII. cap. XXI.*

(g) *In Responsione ad Cardinalis Perronii Epistolam Observ.* 3. *pag.* 30. Verissime scriptum esse (sunt verba Casauboni) in explicatione τῶν ἁπλῶς ἀναγκαίων *rerum absolute necessariarum*, Rex arbitratur earum ad salutem non magnum esse numerum. Quare existimat ejus Majestas, nullam ad ineundam concordiam breviorem viam fore, quam si diligenter separentur necessaria a non necessariis; & ut de necessariis conveniat, omnis opera insumatur, in non necessariis Christianæ libertati locus detur. Simpliciter necessaria Rex appellat, quæ vel expresse Verbum Dei exprimit credenda faciendave, vel ex Verbo Dei necessaria consequentia vetus Ecclesia elicuit. At quæ

certamen est de norma, ad cujus præscriptum præcipua Religionis capita a cæteris seponenda sint. Cumque universum id negotium non conveniat, sequitur, complura dogmata quasi fundamenta aliis futura, quæ medio esse loco alii existimaverint. Ex quo adparet, hanc sanciendi fœderis inter Christianos cœtus rationem, quæ ab Arminianis, & Calvinianis suscepta est, eo tandem evadere, ut majores inimicitias & contentiones inter eos commoveat.

Atque, quamvis omnes, qui in aliquo sunt Christiano conventu, in id ipsum consentiant quod præstitutum sit ad separanda salutis fundamenta ab iis, quæ media sunt, tamen ne inter eos ipsos quidem otiose Ecclesia se habebit a discordiis & magnis certaminum studiis. Periculum ex Arminianorum factione faciamus. Hæc enimvero ipsas res, in quibus Ecclesiæ salus reposita sit, paucissimas esse censet: Nanque Religionis fundamentum in iis esse jactum sentit, quæ in Scripturis tanquam credenda & facienda plane exprimuntur, adjuncta iis pœna, qui contra credant aut faxint. Quam vero pauca ita explicata sunt a Divinis scriptoribus! Quocirca Arminiani universas Christianas sectas ad Ecclesiam aggregant suam, iisque salutem despondent: Cum ipsis Socinianis fœdere percusso conjuncti sunt. Certant enim Socinum, ut ut tollere augustissimam *Trinitatem* studuerit, ad eam non offendisse doctrinam, in qua Ecclesiæ nititur incolumitas: Idque agunt tum *in Apologia Confessionis*, tum *in Responsione ad specimen calumniarum editum a Professoribus Leidensibus*. Sed eo pergamus, quo instituimus. Hoc ergo dicimus ne in ipsâ Arminianorum factione sibi consentientem teneri posse Ecclesiam, si eorum norma dispiciatur, unde capi necesse sit concordiæ initium. Nanque ex eorum lege præcipuum Fidei caput exprimitur in his Scripturæ verbis, *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* (a), tum in illis, *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum* (b) item in illis, *Crede in Dominum Jesum & Salvus eris* (c). At enim quam ex propinquo certamina de hoc dogmate factioni suæ imminent ab ipsis Arminianis! Illud enim in proclivi erit, ut alii sentiant cum Catholicis, Christum æternum esse Deum nec a Patre discrepantem in natura, alii cum Arianis, Christum ante Mundum conditum extitisse, Deumque aliquem esse minorem & natura a summo Deo dissimilem, alii cum Cerinthianis, Photinianis & Socinianis Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον merum hominem, qui a Deo missus sit ad homines liberandos. Quis horum concertationibus modus? Postremo res adeo reditura est, ut pro sententia quisque sua ita dimicet, ut eam in Religionis fundamento versari contendat, atque ab aliis, qui secus sentiunt, seorsum cœtus instituat. Quid enim obest, ne contra agant? Singuli enim sacrorum Scriptorum sensus in eas, quas tuentur, partes detorquere, & veteris Ecclesiæ auctoritatem interpretari ad sententiam enitentur. Perspiciant igitur fœderatæ in Orbe Christiano Ecclesiæ auctores ne illud quidem esse assequuturos, ut inter omnes qui in societatem suam allecti sunt, pacem & concordiam conciliare possint. Confiteantur eam ob rem necesse est, nec sibi ipsis in factione sua, nec cum Calvinianis, neque cum cæteris Christianis cœtibus amicitiam esse futuram, quamdiu in Religionis interpretem a Christo in Ecclesia constitutum non omnes consenserint.

IV. Ha-

---

quæ ex institutione hominum præter Verbum Dei, quamvis pie & prudenter, pro tempore in usum Ecclesiæ sunt recepta, mutari, molliri, antiquari posse existimat . . . Si ad decidendas hodiernas controversias hæc distinctio adhiberetur, & jus Divinum a positivo candide separaretur, non videtur de iis, quæ absolute sunt necessaria, inter pios & moderatos viros longa aut acris contentio futura: nam & pauca illa sunt, ut modo dicebamus & fere ex æquo omnibus probantur, qui se Christianos dici postulant.

(a) *Joan. III.* 36.
(b) *Ib. XVII.* 3.
(c) *Act. XVI.* 31.

IV. Hactenus equidem de doctrinæ unitate, quæ in Ecclesia esse non potest sine publici Judicis, qui falli & fallere nesciat, auctoritate. Videamus nunc de præsidio, quo Christus Ecclesiam firmat. Perexiguum certe est, si Catholica Ecclesia ab ea, quam Christus instituit, Religione possit deficere, idque, quod sacris contrarium est Scripturis, approbare. Arminiani quidem audacter pronuntiant, in id tempus posse Ecclesiam abripi, ut publica auctoritate maximi errores doceantur, nec sint qui contra publice dicant, quamquam iidem profitentur, Deum, qui Religionis est conditor, nunquam permissurum, ut inter omnes Christianos Christi doctrina omnino tollatur, aut si id accidat, propediem non instauretur (a). In eandem fere sententiam Novatores loquuntur, cum a catholicis rogati respondent, *ubi Ecclesia fuerit ante Lutherum*? Quod faciunt Balduinus (b), Jac. Heilbrunnerus (c) & Buddeus (d). At enim si accurate omnia intelligantur, quæ de Christiana Republica in novi fœderis tabulis dicta sunt, explorate ostendunt, eam Dei ductu & numine sic conservari, ut nunquam universi simul Christiani conventus in religione errare & ab ea desciscere possint. Nihil nos movent argutæ illæ conclusiones, quas contra Arminiani & Novatores attexunt. Quod Ecclesiæ præsidium a Deo promissum est, id solum spectamus. Adversus Ecclesiam meam, quam conditurus sum, inquit Christus, *Portæ inferi non prævalebunt*: Hæc autem id ipsum sonant, quod, *Potestas mortis Ecclesiam non opprimet*, sive *Ecclesia non interibit nec deficiet* (e). In quam sententiam Catholica Ecclesia vocatur ab Apo-

(a) *Apud Philippum a Limborch Theol. Chr. lib. VII. cap. XIV.*
(b) *De vera Christi Ecclesia ante tempora Lutheri.*
(c) *In dem uncatholischen Pabstthum art. 15. cap. 7.*
(d) *In dissertatione, quæ inscribitur, Judicium beati Lutheri de Ecclesia Romana expensum & vindicatum.*
(e) *Matth.* XVI. 13. *Interpretes summo consensu id promissum accipiunt, quasi affirmasset Christus, se Ecclesiæ ita consulturum ut Diaboli & improborum hominum molitiones nunquam valituræ essent ad perdendam Ecclesiam. At enim neminem esse putamus, qui legerit, verba* πυλας ᾅδου, portas inferni *sive Ethnicis sive Christianis scriptoribus huic fuisse usui ut Diaboli sedem aut scelestorum vires significarent. Nanque* ᾅδης *est* mors *vel* sepulcrum, πυλη *est* potestas, ut πύλαι ᾅδου recte reddantur, vires mortis. *Sic apud Homerum Il. E. v. 646. alter gloriatur a se alterum δμηθέντα πύλας ἀΐδαο περήσειν*, interfectum ad portas Orci perventurum; *ex quo vetus comicus*,

Χρυσος δ' ἀνοιγει παντα, κ' ἀιδ υ πυλας,
Aurum cuncta aperit, etiam portas inferas.

& incertus auctor,

Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πυλας αἴδαο περησαι.
Aut jamjam genitum dimitti protinus Orco.
Nec secus idem loquendi genus latini accipiunt.
Virgilius Æneid. VI. 120.
Noctes atque dies patet atri janua Ditis.
Ovid. Metam. I. 661.
Nec finire licet tantos mihi morte dolores,
. . . . præclusaque Janua Leti
. . . .
. . . .
Propert. IV. II. 1.
Desine, Paulle, meum lacrymis urgere sepulcrum,
Panditur ad nullas janua nigra preces

Quibus adjungendi sunt Euripides in Alceстide & Æschylus in Agamemnone: Petron. Sat. 62. Ecce autem miles fortis, tanquam Orcus, [illegible]
orci

Apostolo *columna & stabilimentum veritatis*, quod ea nimirum labare nunquam poterit, sed omni tempore veram Religionem sustentabit & attollet (*a*). Enimvero Christus se daturum operam pollicitus est, ut Spiritus Paracletus non modo Apostolis, sed iis, qui in eorum locum Ecclesiæ Doctores substituti fuerint, ductor & auctor existeret ad veram docendam Religionem. *Ego*, inquit, *rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis* (*b*). Promisit scilicet Christus, ab eorum cœtu, qui Ecclesiam omnium temporum administraverint, nunquam illum Spiritum discessurum. quem Apostolis Deus daturus erat, de quo dicit paulo post, *Paracletus autem Spiritus S., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis* (*c*). Eam ob rem idem Christus abiturus in Cœlum, in semet recepit, sese ab Apostolis & ab iis, qui Apostolis subrogandi erant, nunquam procul futurum: *Ecce ego vobiscum sum omnes dies usque ad consummationem sæculi* (*d*). Ex iis enim verbis dilucide apparet, voluisse Christum ut Apostoli aliis, illi rursus aliis munus Apostolicum commendarent. Nam cum promissum hoc ad temporum finem spectet, Apo-

---

orci *& Orcus declarant idem, quod apud Græcos est* κράτος θανάτου mortis imperium. *Eademque his vocibus subjecta notio est in utriusque Testamenti tabulis. In carmine Regis Ezechiæ quod apud Esaiam est* XXXVIII. 10. *Græce legitur*, πορεύσομαι ἐν πύλαις ᾅδου, vadam ad portas inferi, *hoc est è vita discedam. Porro* ᾅδης *est mors vel sepulchrum. Atque in hoc significatu vox* ᾅδης *accepta est Esaiæ* XXVIII. 15. *Ecclesiastici* XLVIII. 5. *&* LI. 8., *& Sapientiæ* II. 1. *Enimvero respondet hebraicæ* שאול Scheol *quæ est sepulcrum: Neque enim secus sonat* 1. *Corinth.* XV. 55. *Apocalyps.* I. 18. XX. 13. 14. *& Act.* II. 27. *quo in postremo loco verba*, Ne derelinques animam meam in inferno, *id expromunt*, Ne relinques me in ditione & dominatu mortis. *Ex quo apud Græcos verba* πέμπειν εἰς ᾅδου, mittere ad inferos *significant* interficere, *item hæc*, καταβαίνειν εἰς ᾅδου, descendere ad inferos *sonant* interire. *Itaque Christi promissum*, Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, *cum ad Christianam societatem, quam ipse conditurus erat, aperte pertineat, de hujus diuturnitate & perpetua incolumitate explicandum est: Sonat nimirum, contra Portas sive vires mortis* (sepulcri januam & fores interitus *ex Ovid. Trist.* III. 2.) *Ecclesiam omnium temporum sospitem futuram.*

(a) *I. Tim.* III. 15. *Locus integer sic habet*, Ἐὰν δὲ βραδύνω, ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, θεὸς κ. λ., si tardavero, ut scias quomodo oporteat, te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Et manifeste magnum pietatis est mysterium, Deus manifestatus in carne &c. *Bengelius & Schmidius, probantibus Jo: Camerone & Jacob. Cappello, disjungunt ab Ecclesiæ titulis hæc verba*, columnam & firmamentum veritatis, *& annectunt magno illi pietatis mysterio, de quo deinde Apostolus loquitur. Sic enim legunt*, In domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi. Columna & firmamentum veritatis & manifeste magnum pietatis est mysterium &c. *Sic Arminiani & in iis Limborchius Theol. Christ. lib.* X. *cap.* X. *His enim officit tam augustum Ecclesiæ elogium, ex quo plane adparet, eam ab omni vacare errore in rebus Religionis. Ipse tamen Grotius eos refellit. Cum enim dixisset, Ecclesiam* columnam & firmamentum veritatis *vocari, sic pergit*, Tituli hi sunt Ecclesiæ, cui qui eos invident, mirum quam laborent ut hæc verba sequenti periodo connectant. Eis tum alia repugnant, tum illud τὸ quod ponitur ante τῆς εὐσεβείας μυστήριον (pietatis mysterium), qui articulus ostendit, novum esse sensum, non titulorum cum sequentibus continuationem, & illud μυστήριον (mysterium) poni subjective, non prædicative ut Scholæ loquuntur. *Annot. in Epist.* 2. *ad Timotheum cap.* 3. *v.* 15.

(b) *Joan.* XIV. 16.

(c) *Ib.* 25. *&* 26.

(d) *Mat.* 28. 20.

Apostoli autem tamdiu victuri non essent, omnino Christus in Apostolorum persona omnes Ecclesiæ Doctores omnium temporum affatus est. Igitur conclusa sit hæc ratio: si nimirum ex perspicuis Christi promissis nec Ecclesia deficere possit, nec Doctores, qui eam administrant, Dei ductu & numine destituantur, profecto dicamus oportet, in Ecclesia Divinum sed aspectabile aliquod existere Oraculum, cujus auctoritate procuranda sit Religio.

C A P. V.

I. QUis sit Judex Religionis in Ecclesia, investigatur. Eum esse amplissimum Episcoporum Ordinem paucis probatur.
II. Arminiani Catholicos Romanos criminantur, quasi inter ipsos non conveniat de Judice sacrorum.
III. Explicatur Ecclesiæ Catholicæ gubernatio, quam Arminiani non intelligunt.
IV. Concluditur apud Catholicos certum esse Religionis Rectorem & Interpretem, cui ab omnibus parendum sit, qui ab ipso Catholicorum nomine deficere nolint.
V. Profertur consensus piorum Imperatorum, qui non sibi, sed Episcopis datum esse dixerunt, de sacris decernere.
VI. Vetus Ecclesia semper docuit, cognitionem de religionis rebus ad Episcopos pertinere.
VII. Quinimo illa, si quid Principes de dogmate religionis edixissent, hoc libere rejecit eam ob caussam, quod sic edicendi iis non erat auctoritas.

I. PRoximum autem est, ut quæratur, quibus in Catholico orbe jus sit ferendi judicii in controversiis de sacris, & promendæ Religionis tanta quidem auctoritate præditis, ut ii divinum quasi edentes oraculum non possint a vera Christi atque Apostolorum doctrina aberrare. Istud scilicet jus sibi asserit Pastorum, quos Ecclesiæ Deus præficit, amplissimus Ordo. Hos enim Apostolus sic alloquitur, *Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos posuit Episcopos pascere Ecclesiam Dei* (a). Atque alias eorundem munus is ipse Apostolus explicavit: Sicut enim Deus in theocratica Hebræorum Republica creaverat Tribuum Principes, chiliarchos, centuriones, aliosque minores curatores, ita Christus in Ecclesia *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios Pastores & Doctores*: iis injunxit *opus ministerii*, quod consistit in docendis decidendisque Religionis rebus, idque eum in finem, ne homines *fluctuantes & abrepti omni vento doctrinæ* in contrarias sententias distraherentur. Sic Apostolus (b). Sacra enim Christi vice Pastores in Ecclesia funguntur, ut qui his dicto audientes sint, Christo parere, & qui eos despicatui ducunt, eundem Christum contemnere videantur: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit* (c). Namque ab iis ipsis, qui Ecclesiæ præfecti sunt, Christus nunquam procul futurus est. Itaque Apostolorum & Episcoporum senatus, qui Hierosolymis habitus est ad sedandam inter Antiochenses quæstionem de mosaicis præceptis, sententiam sic pronunciare instituit, *visum est nobis & Spiritui Sancto*

(a) *Act. XX.* 28. Προσεχετε ουν ἑαυτοις και παντι τῳ ποιμνιῳ, ἐν ᾡ ὑμας το πνευμα το ἁγιον ἐθετο ἐπισκοπους ποιμαινειν την ἐκκλησιαν του θεου.

(b) *Ad Eph. IV. II.* Καὶ αυτος ἐδωκε, τους μεν ἀποστολους, τους δε προφητας, τους δε ευαγγελιστας, τους δε ποιμενας, και διδασκαλους .... εις ἐργον διακονιας .... κλυδωνιζομενοι και περιφερομενοι παντὶ ἀνεμῳ της διδασκαλιας.

(c) *Luc. X.* 16. Ο' ἀκουων ὑμων, ἐμου ακουει, και ὁ ἀθετων ὑμας, ἐμε ἀθετει.

cto (*a*), quæ verba significant, *Visum est nobis a Spiritu Sancto directis*: ductu enim & numine Sancti Spiritus rem perspexerat. Quod si non modo Apostoli & seniores, sed universa Ecclesia Antiochiam miserunt litteras, quibus judicium suum nunciarent (*b*), hoc eo valet ut intelligas Ecclesiam non eodem jure atque Apostolos & Seniores censuisse, sed tantum ipsam in Pastorum, quos habebat, sententiam discessisse. Enimvero soli Apostoli & Seniores quæstionem in consilium miserunt (*c*), iidemque soli decretum condiderunt (*d*). Igitur Ecclesiæ Pastores sive Episcopi Interpretes sunt ac Judices rerum, quæ ad Religionem pertinent, ut quidquid in eorum summo & Principe Ordine convenerit, id ipsum Apostolicæ Doctrinæ adversari non possit.

II. Arminiani quibuscum hoc nobis est negotium, objiciunt, Catholicos Romanos de judice & interprete Religionis maxime discrepare; alios enim supremum de sacris judicium Romano Pontifici, alios autem Œcumenicis conciliis vindicare: itaque concludunt, eosdem Ecclesiam habere non posse concordem, quod de fundamento Religionis differentiant. Limborchius enim audacter affirmat, *Romanos in fundamentali suæ Religionis capite, penes quem suprema judicandi potestas sit, non convenire: ac proinde ipsos semper in sua Religione incertos hæsitare* (*e*). Sic illi, contra quos breviter dicamus necesse est.

III. Atque explicanda quidem est Catholicæ Ecclesiæ gubernatio, qua non intellecta Arminiani in nobis hoc ipsum subaccusant, in quo iidem maxime reprehenduntur. Igitur supremus in Catholica societate Episcoporum Ordo, quorum præses est Pontifex Romanus, omnia summo jure administrat quæ ad divinum publicumque Dei cultum respiciunt. Quidquid is Ordo de Religionis rebus censuerit vel in Œcumenicis conciliis, vel sine illis, id quidem gerit Dei ductu & numine. Hoc dogma est, in quo omnes Catholici consentiunt & conjurant. Videamus primum de conciliis, quorum quidem auctoritas ita inter omnes Catholicos constat, ut divini Oraculi loco id habeant, quod ab iis sancitum sit in Religionis Doctrina. Constantinus Magnus in Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam de Nicæna Synodo sic commemorat: *Quod trecentis placuit Episcopis, nihil aliud existimandum est, quam Dei sententia, præsertim cum in tantorum virorum mentibus insidens Spiritus Sanctus divinam voluntatem aperuit: Quocirca nemo vestrum ambigat, nemo differat* (*f*). Hinc Rufinus, *Defertur ad Constantinum Sacerdotalis Concilii Sententia: ille tanquam a Deo prolatam veneratur, cui si quis tentasset obniti, veluti contra divina statuta venientem, in exilium se protestatur acturum* (*g*). Cujusmodi judicio & existimatione Constantini magni omnes Œcumenicæ Synodi utuntur. Is enim in Epistola ad omnes Ecclesias sive ad Episcopos, qui Nicæam non venerunt, plane scribit, Deum esse ductorem illius sententiæ, quam Œcumenica concilia de sacris pronunciant, *Quod enim*, ait, *in Sanctis Episcoporum conciliis agitur, id omne ad Divinam referendum est voluntatem* (*h*). Et in Epistola ad Episcopos post Arelatense concilium addit, *Dico enim*, sunt ipsius verba, *ut se veritas habet, Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet* (*i*). Atque hoc ipsum publice do-

(a) *Act.* 15. 28. Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν.
(b) *Ib. v.* 21.
(c) *Ib. v.* 6.
(d) *Act. cap.* 16. *v.* 4.
(e) *Theol. Lib.* 2. *cap. X.*
(f) *Apud Socratem Lib.* 1. *cap. IX.* Ὃ γὰρ τοῖς τριακοσίοις ἤρεσεν Ἐπισκόποις, οὐδέν ἐστιν ἕτερον, ἢ τοῦ θεοῦ γνώμη, μάλιστά γε ὅπου τὸ ἅγιον πνεῦμα τοιούτων καὶ τηλικούτων ἀνδρῶν ταῖς διανοίαις ἐγκείμενον τὴν θείαν βούλησιν ἐξεφώτισεν κ. λ.
(g) *Lib. II.*
(h) *Apud Eusebium de vita Constantini lib. III. cap. XX.* Πᾶν γὰρ ὅτι δ᾽ ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν Ἐπισκόπων συνεδρίοις πράττηται, τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφοράν.
(i) *Vid. Henricum Valesium in not. ad Euseb. loc. cit.*

ce docetur. Nanque Synodus Constantiensis decrevit, in Œcumenicis conciliis universam contineri Ecclesiam in iisque auctoritatem inesse, quæ ab ipso Christo credita est. Martinus V. Papa edito diplomate anno 1418. hæreticos Wicleffistas & Hussitas rogari jussit, an in animum inducerent suum, quidquid in conciliis Œcumenicis decernitur, id Catholicæ placere Ecclesiæ: quod idem paulo post duo concilia Senense sub Martino V. & Basileense sub Eugenio IV. sanxerunt. Cum nimirum ex communi Catholicorum consensu Ecclesia in Synodis comprehendatur eaque deficere non possit, sane perspicuum est, eosdem certum habere, Synodos ab omni vacare errore in rerum Divinarum condendis decretis.

Disseramus modo de judiciis, quæ de Religione feruntur sine Œcumenicis conciliis: an scilicet, cum nulla in orbe sedet Synodus, de aliquo Ecclesiæ summo Rectore inter Catholicos conveniat, qui ipsorum in sacris consensionem conciliet & cui omnes pareant? Atque illi docent, in Ecclesia amplissimum Pastorum Ordinem perpetuum esse Religionis moderatorem, eumque sine œcumenica Synodo sententiam sæpe exprimere suam, eadem quidem cum auctoritate atque in Synodo ut nemo contra sentire possit. Nanque Religio administranda est summo Pastorum, qui Ecclesiis præsunt, consensu, qui facile constat, quin ii omnes in unum se locum congregentur. Complures enim de sacris controversiæ supremo Ecclesiæ judicio distractæ sunt ante Constantinum magnum, cum Œcumenica comitia haberi per Imperatores non licebat. In harum numero reponenda est quæstio, quam Asiani Præsules commoverunt de celebrando salutaris Paschatis die. Eam enim ob rem Ecclesiastici conventus coacti sunt Palæstinæ; Romæ, in Ponto, in Galliis, Osdroenæ aliisque in Ecclesiis. Multi vero Episcopi epistolas solum conscripserunt, in quibus sensus protulerunt suos: In his fuit Bacchyllus Corinthiorum Præsul: *Omnes* attamen, teste Eusebio, *eandem fidem eandemque doctrinam promentes unam ediderre sententiam* (a). Nec Catholicæ Ecclesiæ judicium diverso modo Paulus Samosatenus celebris sophistes accepit, qui Christum servatorem nostrum non esse Deum sentiebat cum Artemonitis. Eusebius quidem, interprete Henrico Valesio, inquit, *Synodus innumerabilium fere Episcoporum* (Antiochiæ) *convenit: in qua auctor*

(a) *Describimus totam Eusebianam pericopen, ex qua intelligitur omnium ferme Episcoporum sine Œcumenico concilio consensus in una eademque lege sciscenda*: Synodi ob id, cœtusque Episcoporum convenerunt: Atque omnes uno consensu Ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt: ne videlicet ullo alio modo, quam Dominico die mysterium resurrectionis Domini unquam celebretur: utque eo dumtaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus. Extat etiamnum Epistola Sacerdotum, qui tunc in Palestina congregati sunt, quibus præsidebant Theophilus Cæsareæ Palestinæ, & Narcissus Hierosolymorum Episcopus. Alia item extat epistola Synodi Romanæ, cui Victoris Episcopi nomen præfixum est. Habentur præterea litteræ Episcoporum Ponti, quibus Palma utpote antiquissimus præfuit. Epistola quoque Ecclesiarum Galliæ, quibus præerat Irenæus, Ecclesiarum quoque in Osdroenæ provincia & in urbibus regionis illius constitutarum litteræ visuntur. *Sic vero pergit*, καὶ ἰδίως Βακχύλλου τῆς Κορινθίων Ἐκκλησίας Ἐπισκόπου καὶ πλείστων ὅσων ἄλλων, οἳ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν δόξαν τε καὶ κρίσιν ἐξενηνεγμένοι, τὴν αὐτὴν τίθενται ψῆφον. Seorsum vero Bacchylli Corinthiorum Episcopi, aliorumque complurium Epistolæ extant: qui omnes eandem fidem eandemque doctrinam proferentes unam edidere sententiam, *Hist. Eccl. lib. V. cap.* 23. *Hieronymus in libro de scriptoribus Ecclesiasticis Eusebiana verba de Bacchyllo ita convertit*, Bacchyllus Corinthi Episcopus sub eodem Severo Principe clarus habitus, de Pascha ex omnium, qui in Achaja erant, Episcoporum persona elegantem librum scripsit: *Nimirum Hieronymus vocem* ἰδίως *ita intellexit, quasi Bacchyllus seorsum & ipse in Achaja concilium habuerint. Contra alius sensus afferri potest, ut scilicet Bacchyllus privato nomine epistolam scripserit, non autem Synodicam, ut ceteri. Sic* ἰδίαν ἐπιστολὴν *idem Eusebius accepit lib. 6. cap.* 11.

auctor ille nefariæ apud Antiochiam hæreseos Paulus convictus & ab omnibus manifestissime deprehensus falsi dogmatis reus ab universa, quæ sub cælo est, Ecclesia Catholica eliminatus est (*a*). At enim hos Episcopos, quos πλείστους ὅσους (*innumeros*) Eusebius dixit, numero fuisse septuaginta Athanasius (*b*) & octoginta Hilarius (*c*) produnt. Soli enimvero Episcopi ex viciniis urbibus & provinciis dicuntur Antiochiam venisse in Epistola Synodica, quæ ab eius Concilii Patribus ad Dionysium Romanum, ad Maximum Alexandrinum & ad reliquas Orbis Ecclesias conscripta est (*d*). Ea videlicet Synodus, quam ex innumeris Episcopis coactam Eusebius vocat, provincialis dicenda est, quamquam paulo frequentior: ex quo Joannes Launojus illam cum Tridentina male & fidenter confert, quasi in multis Tridentinis conventibus ne septuaginta quidem Præsules dinumerati sint (*e*). Nanque Synodi Œcumenica auctoritas non in Episcoporum numero versatur, sed in eorum omnium aut ferme omnium consessu, qui Catholicam Ecclesiam gubernant. At illuc redeamus. Igitur sophistes Paulus Catholicorum communitate est exterminatus, non ab uno Antiocheno conventu, qui supremus in Ecclesiastica Republica esse Judex non poterat, sed omnium Præsulum, qui in orbe erant Catholico, consensione. Sic Alexander Alexandrinus Antistes inquit, *Paulus concilio & judicio omnium ubique Episcoporum ab Ecclesia ejectus est* (*f*). Sed quoniam non omnes in Synodum venerunt, existimandi sunt, consensum Antiochenis decretis per litteras adhibuisse suum. Atque ea ratio distrahendarum controversiarum, quæ de sacris agebantur, abrogata non est, cum Ecclesia ab ethnicis Imperatoribus conquievit. Nanque si quæstiones orirentur, de quibus inter omnes judicium liqueret, cur Terrarum orbis commoveretur? Id comprobat Augustinus: *Nunquid*, ait, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit: cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit* (*g*). Religionis enim negotia, Pontifice Romano ductore simul & auctore, ex communi Episcoporum omnium consilio gerebantur. Epistolæ sive privatim mittebantur, sive a pluribus Præsulibus:. Illud summa Ecclesiæ auctoritate sancitum erat, in quo omnes ferme Antistites consensissent. Ita Nestoriana hæresis per Cælestinum, & Eutychiana per Leonem occasuræ essent, nisi factiones Orientem commovissent. Leo Papa Imperatori auctor est, Synodum non esse convocandam contra Eutychem, cujus caussam amplius cognosci non oportebat post suam, Flaviani, aliorumque Præsulum concordem sententiam (*h*). Neque enim secus Pelagianæ hæresi Ecclesia finem fecit: *Ad sedem Apostolicam duo Concilia* (Carthaginense & Milevitanum) *missa sunt: inde etiam rescripta venerunt, caussa finita est* (*i*). Hoc Judicium idem Augustinus tale existimavit, *quale* ab Ecclesia Catholica reddi *debuit* (*k*), & alias *competens & sufficiens* dixit (*l*). Sed pluribus opus non est: Hunc enim

---

(a) *Lib.* VII. Hist. Eccl. cap. 29. Τελευταίας συγκροτηθείσης πλείστων ὅσων Ἐπισκόπων Συνόδου, φωραθεὶς καὶ πρὸς ἁπάντων ἤδη σαφῶς καταγνωσθεὶς ἑτεροδοξίαν ὁ τῆς κατὰ Ἀντιόχειαν αἱρέσεως ἀρχηγὸς, τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῆς Ἐκκλησίας ἀποκηρύττεται.

(b) *In lib. de Synodis.*

(c) *In Epist. de Synodis.*

(d) *Apud eundem Euseb. loc. cit. cap.* XXX.

(e) *Epist.* IV. *ad Jacobum Malatestam.*

(f) *In Epist. ad Alexandrum C. P. de Ario tom.* 2. *Concil.*, *& apud Theod. Hist. Eccl. lib.* I. *cap.* IV. Συνόδῳ καὶ κρίσει τῶν ἁπανταχοῦ Ἐπισκόπων ἀποκηρυχθέντος τῆς Ἐκκλησίας.

(g) *Lib.* IV. *ad Bonif. cap.* XII. *n.* 34. *Tom.* X.

(h) *Conc. Chalc. part.* I. *Epist.* IV. *Tom.* IV. *pag.* 15.: *inter Leon. Epist.* XXI.

(i) *Serm.* CXXXI. *de verb. Evang. Joan.*

(k) *Lib.* III. *cont. Jul. cap.* I. *n.* 5.

(l) *Ad Bon. loc. cit.*

enim locum copiose persequitur Meldensis Episcopus Bossuetius (a).

IV. Hæc igitur est Ecclesiæ Catholicæ temperatio, quæ ab optimo ejus conditore Christo effecta est. Nanque sic omnes Orthodoxi habent, Pastoribus qui sacris præsunt, & eorum Præside Romano Pontifice contineri Ecclesiam, atque eorundem consensu Religionem administrari. Sententias, quas totus ipsorum Ordo quamquam sine Œcumenicis Conciliis expromit, iidem colunt easque, quasi ab Apostolico Senatu prolatæ sint, sic existimant, ex quo in dogmatum doctrina consentiant necesse est. Neque enim certamina iis committere fas est, nisi de illis Divinarum rerum quæstionibus, quæ nondum explicatæ sunt. Expositum est gubernationis genus, quo nihil nec aptius, nec accommodatius inveniri potest ad Ecclesiæ concordiam & incolumitatem: idque contra Calvinianos suos ostendit magnus Angliæ Philosophus Joannes Lokius (b). Redeamus ad Arminianos, qui putant, apud Catholicos Ecclesiam carere non posse dissidiis factionum, quippe quoniam nondum liqueat, quis Religionis existat summus moderator, a quo quidem in ea consensus capiat initium oportet. Illi enim spectant ad eas disputationes, quas multi ex iis de Romani Pontificis ἀναμαρτησία (*inerrantia*) habuerunt, & in quibus eundem Pontificem cum Œcumenico Concilio auctoritate certantem induxerunt. Nimirum de publico Ecclesiæ Romanæ statu ex privatorum rationibus judicant, quibus plurima data est ab agendis gravioribus rebus vacatio. At nefas est de sacro regimine, quod a Catholicis probatum est, non ex iis potius censere, quæ publice apud eosdem aguntur. Illud enim publice geritur, ut quidquid judicio omnium fere Pastorum auctore Romano Pontifice in sacris sancitum est, id nullam habeat dubitationem. Atque iis ipsis, qui dimicant de Romani Pontificis auctoritate, eumque cum Œcumenicis Conciliis libere conferunt, id cum reliquis Catholicis constat, amplissimum Pastorum Ordinem Religionis summum esse Rectorem, cujus scitis omnes parere debeant, si in officio esse velint, nec ab Ecclesia deficere.

V. Jamvero manifestis Scripturæ testimoniis adjungamus Imperatores, qui, cum de sacris ageretur, non sibi ipsis, sed illis judicandi esse potestatem dixerunt, ad quos ea res ex Divinis legibus pertinebat, nimirum Catholicæ Ecclesiæ Episcopis. Sic Valentinianus semper recusavit, quominus de sacris sive publice sive privatim habendis censeret. Complures enim Præsules Hellesponti, Bithyniæ ac alii, qui Filium Deo Patri ὁμοούσιον dicebant, Hypatianum Heracleæ Perinthi Episcopum ad Imperatorem miserunt, qui ad vindicandam Catholicam Fidem contra Arianos eum de convocando Concilio rogaret. Hypatianus, cum legatione functus esset, id responsum ab illo tulit, sibi quidem, qui *Laicorum* Ordini allectus erat, fas non esse, Religionis negotia perscrutari: Sacerdotes vero, quibus hoc muneris est, quo tempore quove loco collubitum sit, conventus posse ad ea expedienda celebrare (c). Atque idem Valentinianus hoc ipsum, quod Hypatiano responderat, publica edixit lege, quam Divus Ambrosius memoravit in Epistola ad Valentinianum juniorem, *Augustæ*, inquit, *memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in caussa Fidei vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissi-*

(a) *In Defens. Declar. Cleri Gallicani part.* III. *lib.* IX. *cap.* II. & *seqq. item in prævia dissertat. de Gallia orthodoxa cap.* LXXVI.

(b) *In opere quod inscribitur*, Christianismus rationabilis *pag. m.* 368.

(c) *Apud Sozomenum Eccles. Hist. lib.* VI. *cap.* VII. Προσελθόντος δὲ αὐτοῦ, καὶ τὰ παρὰ τῶν Ἐπισκόπων διδάξαντος, ὑπολαβὼν Οὐαλεντινιανὸς, ἐμοὶ μὲν, ἔφη, μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ οὐ θέμις τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν. Οἱ δὲ ἱερεῖς οἷς τούτου μέλει, καθ' ἑαυτοὺς ὅπῃ βούλονται συνίτωσαν. Qui (Hypatianus) cum Imperatorem adiisset, & Episcoporum mandata ei exposuisset, Valentinianus ita respondit: Mihi equidem in Laicorum ordine constituto fas non est, hujusmodi (Ecclesiastica) negotia curiosius scrutari: Sacerdotes vero, quibus id curæ est, seorsum, ubicumque voluerint, conveniant.

milis (hæc verba rescripti sunt) hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. Tum Theodosius Augustus in Epistola ad Ephesinam Synodum nefas (ἀθέμιτον) habuit, eos, quos amplissimus Episcoporum Ordo non asciverit, rerum Divinarum Judices nominare. Addimus Arcadium & Honorium qui ad Apollodorum Proconsulem Africæ rescripserunt, Episcopos Religionis esse disceptatores & cognitores, si quando illius dogmata venerint in certamen: ex quo rescripto delibata est lex prima, quam in Theodosiano Codice sub titulo *de Religione* evolvimus. Ea enim sic exprimitur, *Quoties de Religione agitur, Episcopos convenit judicare: ceteras vero caussas, quæ ad Ordinarios cognitores vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri.* Quod ipsum Cæsares sanciverunt legibus 17. 23. & 41. in Titulo qui inscribitur *de Episcopis*. Ad eos Valentinianus Tertius in Novella 12., quamvis dixisset, Episcopos *forum legibus* (politicis) *non habere*, tamen eos solos jure præesse cognitionibus de Religione declaravit: Nanque in eandem Arcadii & Honorii sententiam hujusmodi judicia publicis Magistratibus ademit, & Præsulibus vindicavit (a). Itaque Romanæ Synodo, quæ de Symmacho referebat, Theodoricus Rex respondit, *In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se, præter reverentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere*; committens etiam potestati Pontificum, *ut sive propositum vellent audire negotium, sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo venerandi provisione Concilii pax in Civitate Romana Christianis omnibus redderetur.* Postremo negligendus non est Basilius Augustus, qui Synodum octavam in conventu decimo, sive actione decima sic affatur, *Datum non est laicis secundum canones jus dicendi quidquam de Ecclesiasticis caussis: Opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum est: quia etsi laicus pietatis & sapientiæ laude præstet, tamen laicus est, & ovis, non Pastor.*

VI. Videamus de prisca Ecclesia, quæ optima est interpres tum potestatis suæ, tum ejus, quam summis Magistratibus Christus in sacris credidit. Nanque cum Divinis Auctoris sui institutis & præceptis esset imbuta, nunquam illud commisit, ut iis, qui Reipublicæ præerant, aliquid detraheret & Pastorum Ordini adscriberet. Verum edifferi necesse non est de illa Ecclesia, quæ ante Constantinum Magnum Imperatorem vixit. Certum enim Grotius habet, iis temporibus, cum ethnicum orbem ethnici Principes regebant, Ecclesiam per Pastores suos de publicis sacris censuisse & deliberasse sive in conventibus provincialibus, sive in Synodis paulo frequentioribus. *At omnis multitudo*, sic enim obiicit ille, *legitimo Rectore* (Christiano Principe) *destituta, ita ut potest, regere se debet* (b). Igitur dispiciamus necesse est, quid de Principum auctoritate in Divini cultus rebus Ecclesia sensisset, postquam illi Christianam Religionem publice ascitam voluerunt. Atque de Ario quidem cognovit & judicavit Nicæna Synodus, non Constantinus, de Macedonio & Apollinaristis Synodus C-Politana, non Theodosius & de Nestorio Synodus Ephesina, de Euthychete autem Synodus Calchedonensis non Theodosius, nec Marcianus. Catholica enim Ecclesia hos Imperatores admonuit, ut ad vindicandam præsidio suo Religionem Œcumenicas Synodos convocarent, sed solis Episcopis judicandi potestatem adscripsit. Igitur Hosius summa pietate & doctrina præditus, atque eas ob virtutes Constantino carus ex Catholicæ Ecclesiæ sententia Constantinum Imperatorem his alloquitur, *Ne te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ, ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris*

(a). Quoniam constat, *inquit*, Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere, nec de aliis caussis secundum Arcadii & Honorii divalia constituta (*intelligit rescriptum ad Apollodorum Proconsulem Africæ*) quæ Theodosianum corpus ostendit, præter Religionem, posse cognoscere.

(b) *In Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ Pietate.*

juris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Neque igitur fas est, nobis in terris Imperium tenere, neque tu sacrorum potestatem habes, Imperator (a). Atque sapientissimus quisque Catholici orbis Præsul ad id ipsum semper advigilavit, ne potestatem in sacris, quæ Ecclesiæ Pastoribus a Christo credita est, sibi Principes arriperent. Valentinianus Imperator jusserat Auxentium Arianum & Ambrosium evocari ad colloquium, cui ipse præesset eo consilio, ut inter eos, qui decertarent, Judex sederet. Verum Ambrosius ab hujusmodi cogendo conventu Imperatoris animam absterrere studuit non modo Divinarum legum auctoritate, sed etiam publico jure, quod Valentinianus Pater condiderat. Tum his eum increpuit, *Quando audisti, clementissime Imperator, in caussa Fidei laicos de Episcopo judicasse? Ita ergo quadam adulatione curvamur, ut Sacerdotalis juris simus immemores, & quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus a laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet & Episcopus audiat, Episcopus discat a Laico. At certe si vel Scripturarum seriem Divinarum, vel vetera tempora tractemus, quis est, qui abnuat, in caussa Fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare*. Ita Valens Imperator, cum Arianorum sese adjunxisset partibus, publice edixerat, ut omnes Romanæ Reipublicæ Catholici in easdem discederent, atque a Nicæna deficerent doctrina. Eo mandante Præfectus Prætorio Modestus universos Edessæ Presbyteros evocavit & eorum Principem Eulogium sic affatus est, *Communica ergo cum Imperatore*, quibus verbis eum sentire idem ipsum jussit in Religione, quod Imperator sentiebat. Ad ea Eulogius, *Numquid ille* (Imperator) *una cum Imperio Sacerdotium etiam est adeptus? Pastorem habemus, & illius nutu & Imperio* (in doctrina Religionis) *omnes nos regimur*. Sic ille (b). Significavit enim, Episcopum in Edessena urbe Religionis esse cognitorem & interpretem cui ipsi auscultare debebant, nec Imperatorem constituendæ doctrinæ, quæ in rebus Divinis versatur, potestatem habere.

VII. Ad hæc Catholica Ecclesia celeberrimum Zenonis *Henoticum* eam potissimum ob caussam antiquavit, quod ab illo, in quo nulla ejus condendi inerat potestas, esset perlatum. In eo edicto, quod ad Ægypti Antistites missum est, Zeno Imperator studuit Euthychianos & Catholicos amicitia & officiorum consuetudine conjungere. Ad Fidem quidem non offendit, sed ei plurimum obfuit, quod de Calchedonensis Synodi decretis tacebat. In his enim decretis, cum Euthychis heresis condemnaretur, Catholicum satis explicatum erat dogma: ex quo ea decreta tacita præteriri non potuerunt, nisi Imperator gratiam ab Eutychianis inire voluisset. Hujusmodi enimvero argumentis, sed eo potissimum, quod ab Imperatore conditum erat Zenonis Henoticum, Facundus Hermianensis oppugnavit (c). Eam ob rem Felix III. Pontifex Romanus

(a) *Apud sanctum Athanasium in Epistola ad solitarios*.

(b) *Apud Theodoretum Hist. Eccl. in lib.* IV. *cap.* XVIII. Τοιγάρτοι, ἔφη ὁ ὕπαρχος, κοινώνησον τῷ Βασιλεῖ. ὁ δὲ εἰρωνικῶς καὶ μάλα χαριέντως προσφέρει. μὴ γὰρ ἔφη, καὶ μετὰ τῆς βασιλείας καὶ τῆς ἱερωσύνης μετέλαχεν; ὁ δὲ ὕπαρχος τῆς εἰρωνείας αἰσθόμενος ἐχαλέπηνε, καὶ λοιδορίαις κατὰ τοῦ πρεσβυτέρου χρησάμενος, καὶ ταῦτα προστέθεικεν. οὐ τοῦτο εἶπον ἐμβρόντητε, ἀλλ' οἷς κοινωνεῖ βασιλεύς, κοινωνῆσαι ὑμῖν παρῄνεσα. ἐπειδὴ δὲ εἶπεν ὁ πρεσβύτης καὶ ποιμένα ἔχειν καὶ τοῖς ἐκείνου νεύμασιν ἕπεσθαι. Communica ergo, inquit *Præfectus*, cum Imperatore. Ad hæc Eulogius facete admodum & urbane: Numquid ille, inquit, una cum Imperio Sacerdotium etiam est adeptus? Præfectus cavillationem intelligens graviter commotus est: jactisque in senem conviciis, hæc etiam addidit. Non hoc, dixi, stupide: sed vos hortatus sum, ut cum iis communicaretis, quibuscum Imperator communicat. Sed respondit senex, pastorem se habere, & illius nutu imperioque omnes ipsos gubernari in Sacris.

(c) *Lib.* 12. *cap.* 4. & *cap.* 13. *Is graviter affirmat*, Christi solius esse regnum cum Sacerdotio simul habere: quoniam etsi quidam Reges in ejus venturi figuram Sacerdo-

manus ita Zenonem alloquitur. *Certum est hoc rebus vestris esse salutare, ut, cum de caussis Dei agitur, & juxta ipsius constitutum Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre: & sacrosancta per eorum Præsules discere potius, quam docere: Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere: neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit Clementiam vestram piæ devotionis colla submittere, ne dum mensura cælestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis* (a). Hactenus Felix Papa. Neque enim Ecclesia de tali studio unquam remisit, quo illud diligenter provisum est; ne in Catholico Orbe Reges sacrorum sederent Judices & Moderatores. Pertulerunt Heraclius *Ecthesin*, & Constans *Typum* eo consilio ut Monothelitis faverent. Nanque in his edictis sancitum est, ne unam vel duas in Christo inesse voluntates diceretur. In iis complura Patres & Synodi abrogarunt, tum illud præcipue, quod illorum non Sacerdotes sed Cæsares erant auctores. Magistratibus enim C-politanis, qui in colloquio pro *Typo* sive lege Constantis decertabant, Maximus Abbas, vir summa pietate præstantissimus palam respondit, id non esse in Cæsarum potestate, ut de Divinis rebus decernerent, *Quoniam*, inquit, *Sacerdotum est, quærere ac definire de salutaribus Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus* (b). Sic universa vetus Ecclesia, contra cujus sententiam Grotius summis Hollandiæ Magistratibus judicium & Imperium vindicavit de publicis sacris (c).

CAP.

---

cerdotio functi sunt, tamen, quum manifesta lux veniret in mundum, umbras removens futurorum, nulli alteri dedit, quod sibi singulare servavit, sed in diversos sua dona distribuens, sic, quæ propria sunt Sacerdotii, Regibus interdixit. Quo circa, quemadmodum vir sapiens non profanum indicaret hoc velle videri, quod solus est Christus?

(a) *Epist. 9. ad Zenonem.*

(b) *Vide* Collationem Maximi cum Principibus in Secretario anno IↃCLV. editam a V. C. Sirmondo inter Collectanea Anastasii.

(c) *Non alia Græcis junioribus opinio erat de Principibus suis.* Demetrius Chomatenus *Archiepiscopus Bulgariæ ad Constantinum Cabasilam*, Ὁ βασιλευς γαρ, οἷα κοινος των Εκκλησιων ἐπιστημοναρχης και ων και ὀνομαζομενος, και συνοδικαις γνωμαις ἐπιστατεῖ, και τὸ κυρος ταυταις χαριζεται. Ἐκκλησιαστικας ταξεις ῥυθμίζει, και νομοθετει βίῳ και πολιτειᾳ των τῳ βηματι. Ναὶ μην και δικαις Ἐπισκοπων και κληρικων, και πρός γε χηρευουσῶν θρόνοις ἐκκλησιων, Imperator ut communis in Ecclesiis doctrinæ Princeps & re & nomine, Synodorum placitis præsidet & auctoritatem ipsis largitur: Ecclesiasticas ordinationes disponit, & legem ponit vitæ atque officio eorum qui altari inserviunt: quin & judiciis Episcoporum & Clericorum & electioni Ecclesiarum vacantium.

C A P. VI.

I. EX iis, quæ disputata sunt, universa Grotiana opinio de Principum jure in sacris refellitur.

II. Obiiciuntur a Grotio pii Imperatores tanquam auctores illius potestatis, quam in sacris Proceres Hollandiæ & Westfrisiæ exercebant. Disseritur de Constantino Magno, qui initio arbitrum egisse videtur inter Arium & Alexandrum Episcopum.

III. Respondetur, Constantinum, cum primum Arius & Alexander decertare cœperunt, negotium esse credidisse solum de verbis, non de præcipuo Religionis dogmate, nec tamen Judicis, sed conciliatoris partes sampsisse.

IV. Cognita re, quæ in disputationem venerat, illum Nicænam Synodum convocasse, in qua sibi jus dicendæ sententiæ non esse, satis declaravit.

V. Explicatur qua potestate usus sit Imperator cum de Fidei controversiis in Synodo disceptavit & dissidentes sententias conciliavit.

VI. Quomodo intelligendus sit Eusebius, qui Constantinum vocem ὁμοούσιον Symbolo attexuisse affirmavit.

VII. Pleraque enarrantur quæ Constantinus post dimissam Synodum peregit. Ex iis enim efficitur, Constantinum de Religionis rebus non judicasse, sed ad eam fidem, quam Synodus pertulerat, tanquam Patronum accessisse.

VIII. Exponuntur quæ Constantinus gessit in caussa Donatistarum: Episcopos judices dedit, qui jus dicerent. Horum oraculum sic habuit, ut illud judicio non subesse suo profiteretur. Expetentibus tamen Donatistis demum cessit & cognitoris munus arripuit.

IX. Attamen id peregit, tanquam is, ad quem caussæ cognitio non pertinebat: quinimo non de quæstione Ecclesiastica, sed publica cognovit.

I. JAm sequitur quidquid Arminiani & inter eos Grotius edicunt de Hollandicorum Procerum jure in sacris, id legibus esse contrarium, quibus Deus Religionem & Ecclesiam gubernat. Hæc omnis Arminiana sive Grotiana opinio erat, talem sentiendi in quibusvis civibus inesse potestatem, ut quamlibet ex sacris Scripturis sibi sacrorum disciplinam fingere possint, illamque separatim in privatis conventibus atque Ecclesiis habere. Hanc enim *conscientiarum libertatem* appellant, quam prorsus sacram existimant: In publicis autem Templis & cœtibus eam Religionem colendam atque usurpandam esse, quam Principes Civitatum voluerint, ut Doctores secus atque civiles leges jubent, in iis docere nefas sit. Quam vero ea discrepat ab optimo Ecclesiæ statu, qualem Christus condidit! Sapientissimus enim Ecclesiæ conditor Christus ad Divinæ doctrinæ incolumitatem & constantiam publicum certumque illius cognitorem ac interpretem constituit, qui est amplissimus Pastorum ordo, atque in Synodis jure sociatis aut sine Synodis loquitur. Is quidem omnia Religionis dogmata tradit, & de sacris judicat eo Numinis ductu, ut nunquam falli, aut ad Divinas Scripturas offendere possit. Ex quo hic cultus sive privatim sive publice habendus est ad beatam vitam, quem ille interpres expromit. Hæc legum, quæ ad novum pertinent Fœdus, summa lex est, quæ omnes jubet illius Judicis auctoritatem sequi, eique parere & auscultare. Quorsum enim evadet illa, quam Christianis Arminiani afferunt, sentiendi libertas in pietatis negotio, nisi in singulorum perniciem & Civitatum exitium? Proclive enim est, eos a vero Dei cultu deficere, in quo ipsorum sempiterna salus versatur. Optima ea est libertas, ex certis sapientiæ legibus vitam instituere, in eaque esse Religione, quam Deus rogavit, & per eorum, quos eidem præfecit, sententias explicat & declarat.

His ita constitutis palam est, omnes Civitatum summos Rectores eo præditos non

non esse jure, ut de sacris edicant, iidemque doctrinam praescribant, quae publice docenda sit. Oportet enim illos rerum Divinarum rationem ab iis expositam habere, quibus a Deo id munus datum est, eorumque judiciis, quae de sacris controversiis redduntur, libenter morem gerere, sive quid privatim secum egerint, sive publicas leges rogaverint. Omnia quidem recte conclusa sunt, nisi forte Arminiani Hobbesio audaciores, Hollandiae Dominos a Divino liberos esse Imperio putent in administranda Republica. Quod non modo contra sacras utriusque Foederis tabulas, sed contra communes omnium hominum sententias quis ausit dicere? Impudentissimus quidem fuit Stratocles, qui legem Athenis pertulit, *Ut quidquid jussisset Rex Demetrius, id & apud Deos fas & apud homines jus esset* (a). Quam licenter foemina Parytatis, de rege Artaxerse dixit, *Legem Persis ipsum a Deo, honestique & inhonesti datam esse normam* (b). Plutarchus, qui haec facinora commemoravit, bene ac sapienter pronuntiat, *Quis ergo imperabit Principi? Lex, omnium Rex mortalium, atque immortalium, ut ait Pindarus* (c): quod Pufendorfius (d), Kumberlandus (e), & Buddeus (f) copiose percurrunt.

II. Pergamus porro. Nanque oportet ad explicanda exempla accedere, quae Grotius pro defendendis Hollandiae & Westfrisiae Proceribus protulit. Is in eo libro, qui Ordinum pietatem continet, Sibrandum Lubbertum Gomaristam piorum Imperatorum auctoritatibus urgere aggressus est. Repetit jam a Constantino magno, tum commemorat Theodosium, Marcianum, Valentinianum, Constantinum Pogonatum, Justinianum, additque tandem Carolum magnum quasi Fidei in Francofordiensi Synodo disceptatorem & arbitrum (g). De singulis dicendum est. A Constantino magno exordiemur,

(a) *Plutarch. Demet.* pag. 900.

(b) *Idem in Artaxerse pag.* 1002., Πέρσαις νόμον αὐτὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ δικαιωτὴν αἰσχρῶν καὶ καλῶν ἀποδεδειγμένον.

(c) *Ad Principem indoct. pag.* 78., Τίς οὖν ἄρχει τοῦ ἄρχοντος; ὁ πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, ὥς φησι Πίνδαρος.

(d) *De jure Naturae & Gent. lib. VIII. cap.* 1. §. 2. & 3.

(e) *Disquisit. de jure Nat. cap.* 9.

(f) *In Dissert. de Principe legibus humanis, non Divinis soluto.*

(g) *His enim Sibrandum affatus est*. Constantinus, *inquis Sibrande*, Nicaenam coegit, sed de prophetiis judicandi auctoritatem reliquit Episcopis. Aune ita ut ille in nullam veniret partem? Cave dixeris. Ipse ego, *inquit Imperator*, τῆς ἀληθείας ἐξέτασιν ἀνεδεξάμην, *disquisitionem veritatis suscepi*. Ipse vocem ὁμοούσιον exposuit, dissidentes sententias conciliavit, formulas alias rejecit, alias approbavit, ex solis sacris litteris definiendam dixit controversiam: κοινωνὸς fuit τῶν ἐπισκεπτομένων, *particeps fuit eorum quae expendebantur*, imo οἷά τις κοινὸς ἐπίσκοπος *velut communis Episcopus* a Deo constitutus. Praeterea Constantinus post Synodum Arelatensem de caussa Donati cognovit, & sententiam tulit. Reliquit, *inquis*, Episcopis judicandi potestatem Theodosius in C-Politana: imo & ipse quae ibi acta sunt ἐπεψηφίσατο *suo suffragio comprobavit*, rogatus scilicet ab Episcopis ut placita Synodi sua subscriptione muniret. Sed maxime miror etiam Calchedonensis ausum te mentionem facere. Nonne ibi οἱ ἀπὸ τῆς συγκλήτου βουλῆς *qui senatorii erant ordinis* non minus quam Episcopi ἐψηφίσαντο *suffragium tulerunt*? Hoc ψηφίζεσθαι *ferre suffragium* quid est aliud, *inquit Witakerus*, quam decernere & definire? Sed inspiciantur acta. Singulis paginis occurrit, *Gloriosissimi Judices & amplissimus Senatus dixerunt*. Nec interlocuti tantum sunt saepissime, sed ipsi una Dioscorum damnarunt, & quum major pars Episcoporum contenta esset dicere, duas esse in Christo naturas, nec quicquam ultra requirerent, Judices consulto Imperatore effecerunt, ut ad detegendas Haereticorum insidias adderetur ad formulam, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως *inconfuse, inconvertibiliter, indivisibiliter & insepa-*

mur, quem in Religionis negotiis secus se gessisse, atque Arminianus putavit, ordine ostendetur. Quumque eximius ille Princeps contra duplicem præsertim Hæreticorum factionem egerit, primum dispiciamus qua potestate usus sit contra Arianos. Allatus est Imperatori nuntius, Alexandriæ magnas Ario presbytero cum Episcopo suo intercedere concertationes de rebus Divinis, quæ, adjunctis partium studiis, Antistites & populos in certamen conjecerant (a). Gravem is dolorem percepit, quod Ecclesia, quæ, ipso auctore, a tyrannis conquieverat, intestinis bellis conficeretur. Quoniam vero potestati & Fidei suæ hoc esse creditum sciebat, ut Ecclesiæ pacem afferret, Hosium Cordubensem, virum pietate & doctrina eximium Alexandriam misit, qui inter dissensionis auctores amicitiam conciliaret: eique litteras dedit, quas ad Arium Presbyterum atque ad Alexandrum Episcopum perferret (b). In his litteris Constantinus se universæ concertationis arbitrum ad eos ipsos, qui dimicabant, consociandos constituit. Sic enim inquit, *Arbitrum me dissensionis vestræ & quasi pacis moderatorem interpono* (c). Scripsit deinde, eosdem in iis quæstionibus esse quas non modo pertractari a prudentibus viris, sed ne commoveri quidem decebat. Quid vero illud esset, quod inter illos agebatur, nec planum fecit nec diserte indicavit. Itaque multis ipsos commonefecit, ut ab hujusmodi controversiis animos avocarent, aut si disputare pergerent, societate officiorum non disjungerentur. Nanque ita perorare instituit, *Atque hæc non eo dico, ut vos de inepta & qualiscunque demum vocanda est, quæstione idem omnino sentire cogam. Potest enim gravitas conventus integre apud vos conservari, & una eademque inter omnes communio retineri, quamvis invicem de re aliqua minimi momenti dissentiatis: siquidem nec idem omnes volumus in omnibus, nec una omnium indoles est, atque sententia* (d).

III. Hæc Constantinus, quæ quidem Hollandici Proceres sibi arripuerunt ad vindicandam eam, quam sibi descripserunt, in sacris potestatem, quasi pius Imperator de Arianis controversiis judicasset, cumque eas ad Religionis summam non pertinere cognosset, tolerantiam inter dissidentes imperasset. At quomodo ille judicium ferre de iis rebus consideret, quæ Alexandriæ disputabantur, nisi eos audivisset, qui disputabant, & omnia

separabiliter. In Concilio autem C-Politano tertio Imperator & Synodus jubent: ubi Imperator non adest, Judices & Synodus. Postea Imperator legisse se ait & consensisse. Idem factum est in C-Politano quarto. Ephesinæ autem Synodo Theodosius & C-Politanæ secundæ Justinianus per occupationes interesse non potuerunt, sed eos, quos vellent Episcopos, suo nomine & mandato præsidere Conventui jusserunt. Facimus autem id quoque quod per alios facimus, & cui auctoritatem nostram impartimur. Quoniam vero & Synodi Francofurtensis a Sibrando fit mentio, interrogare illum lubet, An imaginum adorationem prohibere ac tollere Carolus magnus per se quoque non potuerit, etiamsi contra Episcopi judicassent? Sed nec huic Synodo dicis caussa assedisse Carolum, sed ut arbitrum Acta ipsa loquuntur: prolixum habet sermonem de caussa Fidei: Consensum suum scripto testatur: postremo hæc ipsius verba sunt, Decernimus & Deo donante decrevimus quid esset de hac inquisitione (loquitur de caussa Fidei, nempe an Christus dicendus esset Filius Dei adoptivus) firmiter tenendum.

(a) *Euseb. lib.* II. *de vita Const. cap.* LXI.

(b) *Euseb. ibid. cap.* LXIII.

(c) *Id. ib. cap.* LXVIII. Μέσον ὡς πρὸς ἀλλήλους ὑμῶν ἀμφισβητήσεως, διον εἰρηνης πρυτανιν ἐμαυτὸν προσαγω ἱκετως.

(d) *Idem ib. cap.* LXXI. Και λεγω τοῦτο, οὐχ ὡς ἀναγκάζων ὑμᾶς ἐξ ἅπαντος τῇ λίαν εὐήθει, καὶ οἵα δή ποτέ ἐστιν ἐκείνη ἡ ζήτησις, συναινεῖσθαι. Δύναται γὰρ καὶ τὸ τῆς συνόδου τίμιον ὑμῖν ἀκεραίως σώζεσθαι, καὶ μία, καὶ ἡ αὐτὴ κατα πάντων κοινωνία τηρεῖσθαι, κἂν τα μάλιστα τις ἐν μέρει πρὸς ἀλλήλους ὑμῖν ὑπὲρ ἐλαχίστου διαφωνία γένηται. ἐπειδὴ μηδὲ πάντες ἐν ἅπασι ταυτὸ βουλόμεθα, μὴ δε μία τις ἐν ὑμῖν φύσις ἢ γνώμη πολιτεύεται.

& omnia percepisset, quæ ab iisdem quærebantur? Nanque nuntiatum erat, eos verbis solum & animis certamina commisisse, licet in sententiis consentirent, *Non enim*, inquit, *de præcipuo & summo legis nostræ mandato inter vos est orta contentio: neque novum aliquod a vobis de Dei cultu introductum est dogma. Sed unam eandemque sententiam tenetis, adeo ut ad communionis societatem coire facile possitis* (a). Contra vero Alexander & Arius de dogmate certabant, quod Christianæ Religionis caput est, itaque dissidebant ut in adversantissimas sententias distraherentur. Nanque Alexander sentiebat, Dei Filium esse sempiternum, nec ulla in re, nisi in persona a Patre discrepare. Sed Arius objiciebat, Deum non semper fuisse Patrem, sed tempus fuisse, cum Deus minime esset Pater, Filium Dei non semper extitisse, sed ex eo, quod non erat, ad lucem evasisse eum in finem ut Deus per eum cetera conderet: neque extiturum fuisse, nisi cetera Deus procreare voluisset, eapropter mirabilem & eximium adparuisse (*b*). Hæc autem omnia Imperatori non liquebant: si enim talia nosset, Alexandrum & Arium consentientes non dixisset. Igitur de iis quæstionem non instituit, nec judicavit. Quid enim tam temerarium aut tam indignum gravitate atque constantia sapientis, qualis habendus est Constantinus, quam de iis, quæ non satis explorate percepta sint & cognita, sine ulla cunctatione censere? Nimirum hactenus Constantinus nullum de sacris judicium reddidit, sed solum id agere studuit, ut auctoritatem interponeret suam, amicitiæ conciliatricem inter eos, qui de Religione dimicabant. Huc enim valent illa, quibus epistolam absolvit, *Date hoc mihi, ut . . . pro communi omnium concordia, ac libertate debitas Deo gratias cum unanimi laudum concentu referre possim* (c).

IV. Postea Imperator comperit, id quod certabatur inter Episcopum & Presbyteros Alexandrinos, præcipuum esse Religionis dogma, nec de eo concertationes quieturas, nisi Episcoporum, ad quos id negotium pertinebat, universus Ordo consuleretur, eoque accepto oraculo haberent omnes quod sequerentur. Noverat se ipsum quidem de sacris Judicem non esse, sed ex iis unum qui rerum Divinarum dogmata a Doctoribus accipiunt: in eo tamen esse officio, ut ad Ecclesiæ pacem & ad Religionis incolumitatem advigilaret (*d*). Quam quidem ob rem Synodum, qualem nulla viderat ætas, in Urbe Bythiniæ Nicæa convocari jubet. In eam venit: omnibus Episcopis oris jucunditate comitateque injicit admirationem sui: Orationem pro pace habet pietatis plenam, quam alter græce convertebat. Illos, qui cum Episcopis nescio quæ crimina expostularunt, statim monet, ne inimicitias suscipiant: *Christus*, ait *præcipit, ut veniam fratri det, quisquis sibi ipsi veniam dari velit* (*e*). Igitur quæstiones a Concilii Præsidibus referuntur: Universi Antistites eas cognoscere & de iisdem deliberare incipiunt. Etenim Constantinus *iis qui Concilio preerant, dicendi copiam dedit* (*f*), atque Episcopis *ut de Religionis nostræ dogmatibus accuratius quærerent suo ipsorum arbitrio & potestate, par esse affirmavit* (g). Eo tandem res perducta est, ut universi Præ-

(a) *Idem ib cap.* LXX. Οὐδὲ γὰρ περὶ τοῦ κορυφαίου τῶν ἐν τῷ νόμῳ παραγγελμάτων ὑμῖν ἡ τῆς φιλονεικίας ἐξήφθη πρόφασις. οὐδὲ καινή τις ὑμῖν ὑπὲρ τῆς τοῦ Θεοῦ θρησκείας αἵρεσις ἀντεισήχθη. ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἔχετε λογισμὸν, ὡς πρὸς τὸ τῆς κοινωνίας σύνθημα δύνασθαι συνελθεῖν.

(b) *Socr. Lib.* I. *cap.* IV. *H. E.*

(c) *Id. ib. cap.* LXXII. Συγχωρήσατε θᾶττον . . . . . τὸ ὑπὲρ τῆς κοινῆς ἁπάντων ὁμονοίας τε, καὶ ἐλευθερίας ὀφειλομένην χάριν ἐπ' εὐφήμοις λόγων συνθήμασιν ὁμολογῆσαι τῷ κρείττονι.

(d) *Euseb. lib.* III. *de vita Const. cap.* XVII.

(e) *Socr. Hist. Ec. lib.* I. *cap.* VIII. *pag.* 18. Κελεύει χριστὸς ἀφιέναι τῷ ἀδελφῷ, τὸν ἀφέσεως τυχεῖν ἐπειγόμενον.

(f) *Eus. ib. cap.* XIII. παρεδίδου τὸν λόγον τοῖς τῆς Συνόδου προέδροις.

(g) *Socr. ib.* αὖθις περὶ τῶν δογμάτων ἐπιμελέστερον ἐπισκέψασθαι τῇ αὐτῶν γνώμῃ ἐπιτρέψειν.

Præsules Latini, Syri, Phœnices, Arabes, Palæstini, Ægyptii, Thebæi, Libyci, Thraces, Macedones, Achivi, Epirotæ, quique ex Ponto, Galatia, Pamphylia, Cappadocia, Asia aliisque ex remotissimis regionibus advenerant, amice conjurarent & ad unam condendam fidem consentirent. Quam sententiarum summam concordiam posteris commendavit ipse Philostorgius, qui teste Photio (a) Arianos in historiæ suæ libris collaudavit & orthodoxis invidiam conflavit. Synodus omnia quæ gessit, sibi attribuit, sub præsidio & tutela Constantini in Epistola Synodica, *Habita est* (sunt verba Synodi) *coram piissimo Principe Constantino quæstio de impietate ac perversitate Arii & sociorum: Cunctisque suffragantibus placuit, ut impia ejus opinio anathemate damnaretur* (b). Ipse Imperator in Epistola ad Ecclesias de Nicæna Synodo professus est, se ad Synodum convocandam adjecisse animum, quod Ecclesiis pax conciliari non poterat, *nisi omnibus Episcopis, vel certe plurimis eorum in unum congregatis singula, quæ ad sacratissimam Religionem pertinent, disceptata prius fuissent* (c): ipsum quidem in Synodum venisse, ipsoque præsente de maximis rebus Antistites quæsivisse & judicasse Numinis ductu, *Me præsente* (sic quidem inquit, nec addidit, *& judicante*) *cuncta competenti examine discussa sunt* (d). Ex quibus perspicuum est, Imperatorem in Synodo nec censuisse, nec jus dicendæ sententiæ sibi vindicasse, sed tantum in ea sedisse, ut omnia ordine administranda curaret & certaminum studia cohiberet.

V. At Eusebius quum de illius in Synodo rebus gestis commemoret, eundem Nicænorum Decretorum non modo suasorem sed auctorem existimare videtur. Prodit enim illum, disputantibus Episcopis & in contrarias sententias discedentibus, eos qui bene sentirent, collaudantem, eosque qui secus dicerent, docentem tam sapienter rem administrasse, ut inter omnes idem dogma constaret, *Omnia*, inquit, *patientissime Imperator auscultans, intento animo propositas quæstiones excipit . . . . alios vi rationum adductos in suam sententiam trahit, alios orat & flectit, eosque qui recte dixissent, laudibus afficit, & universos ad concordiam incitat: Donec tandem eos concordes in omnibus, de quibus antea certabatur, & consentientes efficit* (e). Accedit, quod idem Eusebius in litteris, quas post dimissam Synodum ad Ecclesiam suam misit, plane affirmat, Cæsariensi Symbolo quod ab ipso prolatum fuerat, Constantinum omnium primum auctoritatem adjunxisse, atque unam vocem *omousion* addidisse, quam tamen recte explicasset: *Cum hæc*, ait, *a nobis fides esset exposita, nullus erat contradicendi locus. Sed & Imperator ipse noster Deo carissimus eam rectissime conceptam primus omnium testatus est: atque ita sentire se affirmavit cunctosque hortatus est, ut ei assentirentur atque subscriberent, utque in hanc doctrinam omnes conspirarent, una dumtaxat voce omousios adjecta* (f). Hæc ille, qui Synodo affuit, & Constantino orationem dixit.

Omnia

(a) *In Epitome E. H. Philostorgii ex lib.* 2.

(b) *Apud Socr. ib. cap.* IX. ἐξητάσθη τὰ κατὰ τὴν ἀσέβειαν, καὶ τὴν παρανομίαν Ἀρείου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ θεοφιλεστάτου Βασιλέως Κωνσταντίνου. καὶ παμψηφεὶ ἔδοξεν ἀναθεματισθῆναι ἀσεβῆ αὐτοῦ δόξαν.

(c) *Apud Euseb. ib. cap.* XVII. Εἰ μὴ εἰς ταυτὸ πάντων ὁμοῦ, ἢ τῶν γοῦν πλείστων Ἐπισκόπων συνελθόντων, ἑκάστου τῶν προσηκόντων τῇ ἁγιωτάτῃ θρησκείᾳ διάκρισις γένοιτο.

(d) *Ib.* Αὐτὸς δὲ . . . . ἐτύγχανεν συμπαρὼν . . . . ἅπαντα τῆς προσηκούσης τετύχηκεν ἐξετάσεως.

(e) *Ib. cap.* XIII. Ἀνεξικάκως ἐπηκροᾶτο Βασιλεὺς τῶν πάντων. σχολῇ τ' εὐτόνῳ τὰς προτάσεις ὑπεδέχετο . . . . τοὺς μὲν γοῦν πείθων, τοὺς δὲ καταδυσωπῶν τῷ λόγῳ, τοὺς δ' εὖ λέγοντας ἐπαινῶν, πάντας τ' εἰς ὁμόνοιαν ἐλαύνων, ἕως ὁμογνώμονας καὶ ὁμοδόξους αὐτοὺς ἐπὶ τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἅπασι κατεστήσατο.

(f) *Apud Socratem lib.* I. *cap.* VIII. Ταύτης ὑφ' ἡμῶν ἐκτεθείσης τῆς πίστεως, οὐδενὶ παρῆν ἀντιλογίας τόπος. ἀλλ' αὐτός τε πρῶτος ὁ θεοφιλέστατος ἡμῶν Βασιλεὺς, ὀρθότατα περιέχειν αὐτὴν ἐμαρτύρησεν. οὕτω τε καὶ ἑαυτὸν φρονεῖν ἐμαρτύρατο, καὶ ταύτῃ τοὺς πάντας παρεκελεύετο, ὡς συγκατατίθεσθαι, καὶ ὑπογράφειν τοῖς δόγμασι καὶ συμφωνεῖν τούτοις αὐτοῖς, ἑνὸς μόνου προσεγγραφέντος ῥήματος τοῦ ὁμοουσίου.

Omnia tamen facile explicantur, si Imperator non tanquam Judex, sed tanquam Religionis vindex & pacis conciliator tum demum ea ipsa egerit, cum Orthodoxi Antistites Catholicam rationem exposuerant & ad eam ipse doctus fuerat. Atque ita res se habuit. Relatum est in Synodo de iis, quæ adversus Servatoris nostri divinitatem Arius disseruerat. Omnes fere Antistites, aut certe eorum plerique, qui in Synodum venerant, cum Divinas Scripturas & constantem Ecclesiæ doctrinam exprompsissent, summa consensione censuerunt, Christum esse vere Deum & Patri omousion. His vero plures adversari cœperunt qui Arii rebus studebant. Nanque putarunt, in voce *omousios* id inesse, quod sibi displiceret, siquidem omousion habebant quod ab alia re vel effiueret vel erumperet vel divelleretur. Contra Orthodoxi Præsules vocem in alium sensum acceperunt, atque corpora omousia dici solent. Nanque negarunt, materiæ expertem naturam, quæ totus est animus & tota mens, sic affici posse, quo modo corpora afficiuntur (a). Quæ cum disputarentur, Constantinus sese non continuit, quin eam ipsam cum Arianis iniret contentionem. Is enim ab Episcopis Catholicis in conventu explicatam tenuerat doctrinam dogmatis, quod erat in certamine: Quid Divini Scriptores docuissent, quid vetus Ecclesia, quid prisci Patres, ab iisdem acceperat. Itaque iis, qui secus sentiebant, Catholicam Fidem exponere aggressus est, eandem Scripturis & Patrum testimoniis uberrime confirmare, atque ad ea, quæ illi objecerunt, opposite & apte dicere. Idque consequutus est, ut eorum complures, qui in Arianis erant partibus, idem ipsum, quod Catholica Ecclesia tenebat, sua opera, ductu & consilio sentirent. Ipse Eusebius Pamphili, cum ob vocem *omousios* primum ceteris Episcopis restitisset, deinde ea voce accuratius perspecta, in illorum sententiam concessit (b). Præsules, qui ab Ario discedere recusarunt, numero quinque, teste Socrate (c), fuerunt, Eusebius Nicodemiensis, Theognis Nicææ, Maris Calchedonis, Thomas Marmaricæ & Secundus Ptolemaidis. At enim Theodoretus (d) & Nicæenses ipsimet Patres in synodica epistola ad Alexandrinos quam exscripserunt Socrates (e) & Theodoretus (f) testatum faciunt, solos Secundum Ptolemaidis & Theonam Marmaricæ ab hæresi non defecisse. His Synodus officiorum in Ecclesia consuetudine, & Constantinus urbe interdixit. Quod igitur Eusebius Cæsariensis dixit, Constantinum fuisse auctorem, quam ob rem communi omnium consensione Nicæni Concilii decretum in lucem proferretur, is de Constantini studio intelligendus est, quo adversus Arianos disputavit eosque a proposito abstraxit. Sic in amplissimo Hollandiæ & Westfrisiæ conventu paucis recusantibus, quin de Republica illud consilium caperetur, quod a plerisque Senatoribus datum est, si forte Orator aliquis, in quo nullum dicendæ sententiæ jus inesset, differendo assequeretur, ut ii, qui antea abnuebant, aliis consentirent, profecto hic nec Senatusconsulti auctor vocandus esset, nec in Senatu censuisse videretur. Nec secus Constantinus in Nicæno Concilio operam dedit, ut ii, qui ab universo Catholicorum Episcoporum cœtu dissidebant in Religione, cessarent dissentire: itaque decretum quidem Synodus condidit, sed assensionis, quam decreto plures Ariani præbuerunt, Constantinus suasor & auctor fuit. Quod quidem ille spectavit in Epistola ad Catholicam Alexandrinorum Ecclesiam, in qua sic scripsit, *Convocavi in Urbem Nicæam quamplurimos Episcopos, quibuscum ego unus ex vestro*

(a) *Apud eundem ib.*
(b) *Ib.*
(c) *Ib.*
(d) *H. E. lib.* I. *cap.* VII.
(e) *Ib. cap.* IX.
(f) *Ib. cap.* VIII.

ſtro numero, qui me veſtrum conſervum eſſe magnopere gaudeo; veritatis examen ſuſcepi (a).

VI. Nunc de voce *omouſios*, quam Cæſarienſi Symbolo Conſtantinum addidiſſe Euſebius affirmavit. Dixerat autem paulo ante in eadem epiſtola, quam ad Eccleſiam ſuam miſit, non Conſtantinum, ſed Epiſcopos ad Symbolum, quod ipſe protulerat, eam vocem attexuiſſe. Sic enim Cæſarienſes affatur, *Neceſſarium putavimus ad vos mittere, primum quidem Fidei formulam a nobis propoſitam, deinde alteram, quam Epiſcopi, quibuſdam ad noſtram adjectis appendicibus, promulgarunt* (b). Quorſum hæc in una Epiſtola diſſenſio? Quidve Euſebius ſequi voluit? Is nimirum veritus eſt, ne in offenſionem atque invidiam Cæſarienſium ſuorum incurreret, quod Nicænam Fidei formulam verbis ab illorum Symbolo diſcrepantem receperat, ob idque videri poterat ab Eccleſiæ ſuæ priſca & Apoſtolica doctrina diſceſſiſſe. In tota epiſtola hoc ſtuduit, ut eam, quam apud ſuos timebat, obtrectationem proſterneret. Id enim ſatis explorate indicavit, cum poſt veterem Fidei conceptionem, quæ uſui erat ſuis, recitatam, e veſtigio inquit, *Affirmamus, nos ita tenere atque ita ſentire, & olim ita tenuiſſe & uſque ad mortem retenturos atque in hac fide conſtanter permanſuros eſſe, omnem impiam hæreſim anathemate damnantes* (c). Idem Euſebii conſilium patefecit Athanaſius in libro de Decretis Synodi Nicænæ & in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ. Hoc igitur Euſebius cum ſibi propoſuiſſet, modo Imperatorem, modo Præſules habuit vocis, quæ in Symbolum recepta fuerat, auctores, & ſic egit, quaſi neſciret, quid apud Cæſarienſes magis valeret ad tollendam eam, in quam venerat, mutatæ Fidei ſuſpicionem. Res autem, quam de induſtria ille involvit, ita explicanda eſt, ut Epiſcoporum conventus poſt prolatum Cæſarienſe Symbolum attexendam illi eſſe cenſuerit vocem *omouſios*, Conſtantinus vero eorum auctoritatem ſequutus fuerit & ſententiam confirmaverit. Hic enim Nicænis temporibus in catechumenis numerabatur, nec ad rerum Divinarum diſciplinas tam bene inſtitutus erat, ut Religionis dogmata accurate explicare poſſet. Sic enim Euſebium intelligimus, niſi forte velis cum Petavio, Baronio, Alexandro & Clerico eundem poſt dimiſſam Nicænam Synodum ab Arianis ſtetiſſe partibus, eumque in finem Conſtantinum vocis *omouſios* conditorem dixiſſe, ut huic non ex animi ſententia, ſed ob metum paruiſſe videretur.

VII. Jamvero Conſtantinus miſſo Concilio complura geſſit, ex quibus adparet, non judicandi poteſtatem in Religionis rebus, ſed ſolum tutelam ſibi ipſum vindicaſſe, in quam Eccleſias ſuſceperat. Omnes primum Antiſtites, antequam Urbem quiſque repeteret ſuam, muneribus affecit & multis affatus eſt. Rogavit eos, ne diſſenſiones & certamina ſererent, nec maledictis ſeſe offenderent, ſed amicitia & officiorum conſuetudine conſociarentur, ea potiſſimum de cauſſa, quod concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur: ſi contra faxint, id futurum, ut Gentiles, quibus Romanus Orbis affluebat, ad contemnendam Chriſtianam Religionem provocarentur. Ad extremum ab iiſdem petiit, ut ad Deum pro ſeipſo aſſiduas preces adhiberent (d). Tum quatuor epiſtolas de Nicæna Synodo conſcripſit. Ad Eccleſias ſive ad univerſos Epiſcopos, qui Nicæam ad Concilium non iverunt, prima miſſa eſt. In ea ordine narra-

(a) *Apud Socr. ib.* Συνεκάλεσα εἰς τὴν Νικαίων πόλιν τοὺς πλείστους τῶν Ἐπισκόπων, μεθ' ὧν περ εἷς ἐξ ὑμῶν ἐγὼ, ὁ συνθεράπων ὑμέτερος καθ' ὑπερβολὴν εἶναι χαίρων, καὶ αὐτὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἐξέτασιν ἀνεδεξάμην.

(b) *Ib.* Ἀναγκαίως διεπεμψάμεθα ὑμῖν πρῶτον μὲν τὴν ὑφ' ἡμῶν προτεθεῖσαν περὶ τῆς πίστεως γραφὴν, ἔπειτα τὴν δευτέραν, ἣν ταῖς ἡμετέραις φωναῖς προσθήκας ἐπιβαλόντες ἐκδεδώκασι.

(c) *Ib.* Διαβεβαιούμεθα οὕτως ἔχειν, καὶ οὕτω φρονεῖν, καὶ πάλαι οὕτως ἐσχηκέναι, καὶ μέχρι θανάτου οὕτω σχήσειν καὶ ἐν αὐτῇ ἐνίστασθαι τῇ πίστει, ἀναθεματίζοντες πᾶσαν αἵρεσιν ἄθεον.

(d) *Euſeb. Lib.* III. *de vita Conſt. cap.* XXI.

narravit, quidquid ipse fecerat, *quo sanctissimis Catholicæ Ecclesiæ populis una fides, sincera caritas & consona ergo Omnipotentem Deum Religio servaretur* (a): Se nimirum Episcopos Nicæam convocasse, eos summa consensione de quæstionibus judicasse, quæ Ecclesias conficiebant, idque judicium reipsa a Deo optimo Christianæ Reipublicæ moderatore esse prolatum, ex quo illos commonefecit, ut in eandem sententiam concederent & Catholici Orbis concordiæ consulerent. Alteram scripsit ad Catholicam Alexandrinam Ecclesiam sive ad populum Alexandrinum, in qua de suscipiendo Nicæno decreto & de tollendis dissidiis disseruit. Hanc paucis Socrates complexus est, *Imperator omnium, qui illuc convenerant, voluntatem, Dei voluntatem appellat, nec dubitat, quin tot ac talium Episcoporum consensio a Spiritu Sancto procurata sit* (b). Addita est tertia Epistola ad Ægyptios, qui post supremam Catholicæ Ecclesiæ sententiam pacatiores non fuerunt; de qua Eusebius, *Illos enim ut Patres, aut potius ut Prophetas Dei, omni honore Imperator afficiens iterum ad se vocavit, iterum arbiter eorundem fuit, iterum eos muneribus ac donis honoravit: sententiam quoque, quam arbiter dixerat, per epistolam significavit confirmans ac sanciens ea, quæ a Synodo decreta fuerant* (c). Atque hæc quidem his verbis, quivis ut intelligat, Constantinum plures Ægyptios, qui de Religione decertabant, iterum ad colloquium evocasse, eos uti Dei Prophetas coluisse; inter eos quasi pacis conciliatorem sedisse, & quod ipse putaverat, planum fecisse missa epistola, in qua Nicænibus decretis suam stare auctoritatem confirmavit. Nanque verba, quæ Valesius reddidit, *arbiter eorundem fuit . . . sententiam, quam Arbiter dixerat, per Epistolam significavit*, accuratius converti possunt, *inter eos conciliatorem egit & quidquid arbitratus est, per epistolam patefecit*. In quarta denique Epistola, quæ ad Episcopos & Plebes scripta est, declaravit, Arianos in eodem esse probro, atque Porphyrianos, jussitque omnes Arii libros igne cremari & ab illis, qui eos asservant & comburunt, mortis sumi supplicium (d). Hactenus de Arianis, contra quos Nicæna Synodus judicavit, Imperator vero Synodi judicium pluribus gestis rebus defendit. Quamobrem ille Episcopus appellatus est, de quo elogio in *secunda critica exercitatione*.

VIII. At enim Constantinus *post Arelatensem Synodum de causa Donati cognovit & sententiam tulit*. Hæc Grotius (e), in quibus nullum est momentum ad eum confirmandum locum, in quo versatur, de jure Principum in condendis publicis sacris. Universam rem ordine explicemus, quæ multis exposita est in collatione Carthaginensi, in Actis purgationis Cæciliani atque Felicis, in libris adversus Parmenianum ab Optato Milevitano Episcopo, in pluribus epistolis & libellis ab Augustino, itidem a junioribus Balduino, Baronio, Henrico Valesio *in Schismate Donatistarum*, atque ut ceteros missos faciamus, a Cardinali Norisio *in historia Donatistarum*, quam Petrus & Hieronymus Fratres Ballerinii perfecerunt. Renuntiatus est, demortuo Mensurio, Cæcilianus Episcopus Carthaginensis, quem Felix Aptungitanus consecravit. Illum falsis criminibus in invidiam adducunt Botrus & Celeusius, qui eundem honorem expetiverant. Ad eos accedunt Lucilla potentissima fœmina, & Plebis seniores. Ita-

(a) *Id. ib. cap.* XVII. ὅπως παρὰ τοῖς μακαριωτάτοις τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας πλήθεσι, πίστις μία καὶ εἰλικρινὴς ἀγάπη ὁμογνώμων τε, καὶ περὶ τὸν παγκρατῆ Θεὸν εὐσέβεια τηρῆται.

(b) *Hist. Eccl. cap.* VIII. γνώμην θεοῦ, τὴν πάντων τῶν ἐκεῖ συνελθόντων γνώμην καλεῖ, καὶ πνεύματι ἁγίῳ τοσούτων καὶ τηλικούτων Ἐπισκόπων τὴν ὁμοφωνίαν γενέσθαι οὐκ ἀπιστεῖ.

(c) *Eus. ib. cap.* XXIII. οἷα γοῦν πατέρας, ἢ καὶ μᾶλλον προφήτας θεοῦ, πάσῃ περιέπων τιμῇ, καὶ δεύτερον ἐκάλει καὶ πάλιν ἐμεσίτευε τοῖς αὐτοῖς ἀνεξικακῶς, καὶ δώροις ἐτίμα πάλιν, ἐδήλου τε τὴν δίαιταν δι' ἐπιστολῆς. καὶ τὰ τῆς Συνόδου δόγματα κυρῶν ἐπεσφραγίζετο.

(d) *Socr. ib.*

(e) *In eodem libro qui inscribitur*, Ordinum Hollandiæ & Westfrisiæ Pietas.

Itaque omnes, inito consilio, ad Secundum Tigisitanum Antistitem & Numidiæ Primatem litteras mittunt, in quibus eum rogarunt, ut ipse Carthaginem veniret, & quam plures Episcopos comites deligeret. Numidiæ Præsules Cæciliano succensebant, quod is ab aliis potius, quam ab ipsis in episcopum sese cooptari & consecrari sivisset. Ea propter plerique Carthaginem convenerunt synodumque sociarunt. Vocatus est Cæcilianus, qui tamen ire in concilium recusavit, Catholicis auctoribus. Præsules enim, qui præerant quæstioni, apud Cæciliani manifestos hostes diversabantur. Sic absens is duplicis criminis arcessitus est, quod ethnicis Magistratibus sacros codices tradiderat & Martyribus in custodia positis afferri victum vetuerat. Synodus censet, non modo cum eo, sed cum universis ipsius collegis amicitiam & officiorum societatem esse disiungendam. Nanque in ejus locum Majorinum subrogarunt. Hæc gesta fuerunt anno 311. ex quo tempore duplex factio in Africanis Ecclesiis nata est, altera Catholicorum, qui Cæcilianum sequebantur, altera vero schismaticorum, qui è partibus Majorini stabant. Hæc postrema factio a Donato Casensi principe suo Donatistarum dicebatur. Causa delata est ad Constantinum magnum per Anulinum Africæ Proconsulem. Petiverunt Donatistæ, ut Judices è Gallia darentur, cujus libelli exemplar est apud Optatum in libro primo in hæc verba, *Rogamus te, o Constantine, optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros Imperatores persequutionem non exercuit; & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos & cæteros Episcopos contentiones sunt. Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua.* Sapientissimus Imperator satis bene percepit, eam rem non ad Magistratus, sed ad Divinos sacrorum Judices Episcopos pertinere. Itaque per litteras Anulinum monuit, ut juberet, Cæcilianum & Majorinum cum denis utriusque factionis Clericis Romam venire: Porro scripsit ad Miltiadem Urbis Romæ Episcopum, & ad Episcopos Galliæ atque Italiæ ut die sexto Nonas Octobris Romæ concilium haberent & inter partes sententiam pronunciarent. Describimus ex libro decimo Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii Epistolam Constantini ad Miltiadem, ut plane teneamus, quomodo Imperator Episcopos tanquam illius controversiæ solos Judices existimaverit, *Quoniam hujusmodi plures Chartæ a V. C. Anulino Africæ Proconsule ad me sunt missæ, in quibus continetur, Cæcilianum Carthaginensis Urbis Episcopum a quibusdam collegis suis per Africam constitutis multis de rebus insimulari: quod quidem permolestum mihi videtur, in istis Provinciis, quas Divina providentia meæ devotioni spontanea deditione tradidit, & in quibus maxima est Populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, & episcopos inter se dissentire: Placuit mihi, ut idem Cæcilianus una cum decem Episcopis, qui accusare ipsum videntur, & cum decem aliis, quos ipse ad suam caussam necessarios esse judicaverit, Romam naviget, quatenus ibi coram Vobis & coram Reticio, Materno ac Marino collegis vestris, quos ea caussa Romam properare jussi, possit audiri, quemadmodum Sanctissimæ Legi convenire OPTIME NOSTIS. Porro ut totius negotii plenissimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me missorum litteris meis subjecta ad collegas vestros supradictos transmisi. Quibus lectis PERPENDET GRAVITAS VESTRA, quonam modo supramemorata controversia accuratissime dijudicanda sit.* Concilium Romæ habitum est. Hoc agebatur, an Cæcilianus sine ullo vitio ad Sacerdotium fuisset admotus. Ille re deliberata absolutus est. Nam testes qui a Donato inducti fuerunt, prorsus negarunt se habere quicquam, quod adversus eum dicerent. Neglecta autem quæstio est de crimine, cujus accusabantur Felix Aptungitanus & cæteri Præsules, qui Cæcilianum inter Episcopos allegerant. Concilium enim censuit, eos quamquam criminis conscios Cæcilianum jure consecrasse, siquidem quisque Episcopus potest munia Sacerdotii administrare quamdiu idem Ecclesiasticum judicium non acceperit. Contra damnatus est Donatus a Casis nigris, qui plane confessus fuerat, sese non modo rebaptizasse, sed ipsis Episcopis iterum manus imposuisse. His ita gestis putabat Constantinus Magnus, Africanas res esse pacatas, cum cognovit, factionem Donatistarum

rum audacius tumultuari. Criminabatur enim, Episcopos in Concilio Romano temere judicium reddidisse, nec de iis, quæ acta fuerant, ut par erat, consultasse: Cæcilianum dignum non esse, qui Sacerdotium gereret. Imperator primum respondit, sese sic habere, universis contentionibus finem illos Episcopos fecisse, qui in Romano Concilio sententiam pronunciaverant, quandoquidem probatissimus quisque judicaverat. Sic ipse Constantinus scripsit in epistola ad Elafium, sive ut alii legunt, ad Ablabium Vicarium Africæ, *Id quoque te scire convenit, quod ex iisdem (Donatistis) venerunt, asserentes, quod minus dignus idem Cæcilianus cultu sincerissimæ religionis habeatur . . . respondetam frustra eos id jactare, cum res fuissent apud Urbem Romam ab idoneis Episcopis terminatæ*. Sed nihilosecius pientissimus Princeps, quum totus esset in concilianda inter dissidentes amicitia, frequentiorem Synodum Arelati convocavit. Nefas enim esse censuit, sese cognitionibus præesse de negotiis, quæ religionem spectarent. Augustinus in Epistola 162. hoc ipsum prodit, *Neque enim ausus est Christianus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse judicaret, sed alios, ut dixi, Episcopos dedit*. Congregatis Episcopis, quos Constantinus evocaverat, res agi cœpta est. Donatistæ cum Cæciliano duo ex postularunt, quod Martyres, ademptis alimentis, necare studuisset jussu Mensurii Antistitis sui, & quod deinde in Episcopum esset cooptatus ab iis, qui libros Sacros Ethnicis Tyrannis tradidissent. Sed Synodus ab utroque crimine eximium virum liberavit: nam prorsus esse insontem & integrum pronunciavit. Ab ea Arelatensium Patrum sententia ad Imperatorem provocarunt Lucianus, Capito, Fidentius & Nassutius Episcopi & Mammarius presbyter, Donatistarum principes. Is cum in spem venisset, id facile fore ut si votis eorum annueret, inter dissidentes diuturna dissensio tolleretur, tandem assiduis & quotidianis querelis victus de tota caussa cognoscere decrevit.

IX. Sed quonam jure, dispiciamus. Ipse Constantinus satis docuit, auctoritatem sibi non esse, ut de iis negotiis censeret, quæ Religionem respicerent. Hoc declaravit, cum semel in Romano concilio, & iterum in Arelatensi de schismate Donatistarum deliberare Pastores imperavit. Idque ipsum non recusavit, quin confiteretur, cum eum caussæ judicem suæ & cognitorem Donatistæ exoptarunt. Dum enim Præsules nondum ab Arelatensium Urbe discessissent, ad eos Imperator hæc scripsit de iis Donatistis, qui ad ipsum provocaverant: *Quæ in ipsis* (Donatistis) *tanta vesania perseverat, cum incredibili arrogantia persuadeant sibi, quæ nec dici, nec credi fas est, desciscentes a recto judicio dato, pro quo meum judicium eos comperi postulare, quæ vis malignitatis in eorundem pectoribus perseverat? Quotiens a me jam ipso improbissimis aditionibus suis sunt condigna responsione oppressi? Qui utique si hoc ante oculos habere voluissent, minime hoc ipsum interposuissent. Meum judicium postulant, qui ipse judicium Christi expecto: Dico enim, ut se veritas habet, Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens judicet . . . . O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Equidem Gentes minora interdum judicia refugientes, ubi justitia deprehendi potest, magis ad majora judicia auctoritate interposita ad appellationem se conferre sunt solitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cœleste judicium, meum putaverunt posculandum, sic sentire de Christo Salvatore? Ecce jam proditores, ecce sine ulla acriori disquisitione, ipsi per semet prodiderunt facinora sua*. Integrum epistolam describit Norisius *p. 1. cap. XI.* in Historia Donatistarum. Negavit nimirum Imperator, per Divinas leges sibi licere de controversiis judicare, quæ inter schismaticos & orthodoxos intercedebant, idque magis, quod de iisdem in duobus conciliis cœtus sacrorum Pastorum sententiam dixerat. Eam ob caussam illis iratus est, qui Imperatorium judicium expetierant, eosdemque ob id ipsum asperioribus verbis excepit. Ergo, si Constantinum auctorem audiamus, nullum ei jus inerat, ex quo inter Donatistas & Catholicos judex sederet. Quod si ille demum ad eam caussam cognoscendam accessit (nam insontem Cæcilianum & Donatistas improbissimos pronunciavit), non ita se gessit, quasi id juris sibi attribueret, aut judicium suum Sacerdo-

cerdotum sententiis anteferret. Quis hanc invidiam Imperatori conflaret, qui res ab Episcopis judicatas pari loco atque auctoritate existimaverit, ac si Deus ipse censuisset? Illud igitur egit, tanquam is, qui omnia sive ex lege sive sine lege facere studuerit, ut Africanarum Ecclesiarum saluti prospiceret, quæ in magno discrimine versabantur. Hoc Augustinus docuit in Epistola 162., *Donatistæ* (post Synodum Arelatensem) *ad ipsum rursus Imperatorem provocare maluerunt. Qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis. Atque utinam saltem ipsius judicio insanissimis animositatibus suis finem posuisset, atque, ut eis ipse cessit, ut de illa caussa post Episcopos judicaret, a sanctis Antistitibus veniam postea petiturus, dum tamen illi quod ulterius dicerent, non haberent, si ejus sententiæ non obtemperarent ad quem ipsi provocaverunt; sic & illi aliquando cederent veritati*. His si fides adhibenda sit, Imperator primum cognitionem detrectavit de rebus de quibus Donatistæ cum catholicis certamen iniverant, deinde eam suscipere in animum induxit, quod spem optimam conceperat, Ecclesias omnes in Africa post judicium suum quieturas. Paraverat enim a sanctissimis Episcopis veniam petere ob hoc ipsum, quod de negotiis judicasset, quæ ditionis non erant suæ, eamque sibi ominabatur, si quod suscepisset, feliciter succederet. Atque hæc quidem declarant, id quod in caussa Donatistarum Constantinus gessit, argumento non esse, cur dicamus penes Christianos Principes auctoritatem residere ad reddendum judicium de Religione. Verum concedamus, Imperatorem quæstioni præfuisse tanquam Judicem, ad quem ea pertinebat. Grotius nihilosecius nihil habet, quod ad rem suam proficere possit. Duplex enim erat quæstio, altera an Cæcilianus ad Sacerdotium legitime esset admotus idque ipsum jure administraret, altera vero an idem ea crimina admisisset, quæ sibi Donatistæ objiciebant. Primæ quæstionis universa ratio erat sacra, quam, quum ad Synodos Constantinus detulisset, nunquam exercuit. Postrema autem publica erat. Nam requiri cum proconsularia, tum municipalia acta & cætera id genus monumenta oportebat, ex quibus crimina probari possent. Hanc ipsam Imperator Synodis commiserat, eandemque, evocatis Mediolanum Cæciliano ejusque adversariis, tandem solus ipse habuit. Hoc facile intelligi par est ex decreto, quod Constantinus sic concepit, ut non diceret, Cæcilianum legitime in Episcopum fuisse cooptatum, sed pronunciaret, eundem ab iis criminibus esse liberum, de quibus fuerat postulatus. Contra vero Donatistas omnium esse improbissimos censuit & publicis pœnis affecit. Hujusmodi decretum memoriæ prodidit Augustinus *in Breviario Collationis tertiæ cap.* 19. *Recitatum est judicium Constantini, quemadmodum se inter partes caussam Cæciliani cognovisse, ad Eumalium Vicarium Africæ scripsisset, quo remotis omnibus arbitris Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos comperisse testatus est*. Itaque Imperator legem in Donatistas scripsit, ut universa eorum loca in quibus conventus agerent, Fisco vindicarentur, quod Augustinus nos docuit *in Epistola* 68. *&* 165., tum in *libro secundo adversus Petilianum*.

CAP. VII.

I. Commemorat Grotius Theodosium quasi eum, qui ad vindicandam Hollandicorum Ordinum auctoritatem afferri posset. Disputatur quo consilio tum Theodosius, tum cæteri orthodoxi Principes Synodorum decreta approbaverint.

II. Pergit Arminianus obiicere Senatores, qui in Concilio Calchedonensi Imperatoriæ vicis munus obiverunt. Attamen iis hujusmodi partes solum fuisse commissas docetur, ut de ordine rerum gerendarum caverent, operamque darent, ne ulla Patribus vis fieret.

III. Opponitur Constantinus Pogonatus. Sed facile ostenditur, eum in tertio C-Politano concilio veluti Fidei, ad quam instituendus erat, Patronum sedisse.

IV. Iniicitur mentio de Augustis, qui in quarto C-Politano fuerunt. Hi vero palam dixerunt, sese in Synodis nec Judicum, nec cognitorum potestatem exercere.

V. Declaratur quid ditioni suæ attribuerint Theodosius in tertio œcumenico Concilio & Justinianus in quinto.

VI. Tandem perficitur nec Carolum Magnum quidquam egisse, quod Hollandiæ Proceribus prodesset. Is enim neque de imaginum cultu decernere potuit, nec in Elipandum & Felicem judicium reddidit.

I. DIsseruimus equidem de Constantino: nunc de aliis ab illo Imperatoribus, quos ipse Grotius protulit. De Theodosio dixit, ipsum Præsulum rogatu & admonitu *ἐπιψηφίσασθαι suo suffragio comprobasse*, quæ Constantinopolitanum primum Concilium censuerat. At vero nec Præsulibus in votis fuit, eam a Theodosio auctoritatem impetrare, quæ sententiam suam quasi omni vi careutem roboraret, nec Imperator instituit judicium de publicis sacris perferre. Nanque illi ab Imperatore reipsa petiverunt, ut quod Synodus de Religione decreverat, id in fidem reciperet suam, & porro efficeret, ut eius decretis omnes in Catholico orbe parerent: *Necessario*, inquiunt, *acta sacræ synodi ad Tuam Pietatem referimus. Oramus igitur Clementiam Tuam, ut litteris Tuæ Pietatis firmetur Synodi suffragium* (a); Theodosius autem cum Deo tanquam Imperator deservire exoptaret, publicum præsidium Synodo tulit, sive quod eodem recidit, *suffragio suo Synodum* comprobavit. Omnes quidem Principes a Constantino, sæpe monentibus Episcopis & in his Romano Pontifice, in officio suo esse duxerunt, quidquid in Synodis scitum esset de Religione, numine suo vindicare. Existimabant vero nullam iis adjungi posse vim, quæ in Synodis jure sociatis decreta fuerant. Cur nanque secus cogitare potuissent, cum eadem Deo placuisse putarent? Hoc ergo sibi proposuerunt in illis legibus, quas de confirmandis Synodis rogarunt, ut planum facerent, ad conservandam Religionem & defendendam Ecclesiam præsidio fore publicum Imperium. Hanc tutelam Ephesina Synodus a Theodosio & Valentiniano expetivit, cum ad eos scripsit, *Omnes ad potestatem Tuæ Pietatis confugimus: orantes, ut ea quæ contra Nestorium & cum Nestorio sentientes acta sunt, vim suam habeant: quæ vero acta sunt ab ejus defensoribus, ea nulla sint atque irrita* (b). Quid enimvero Principes agant, cum œcumenicas Synodos confirmant, explorate percipi potest ab iis, quæ

(a) *In Epist. ad Theodosium* Ἀναγκαίως τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν. Δεόμεθα οὖν τῆς σῆς ἡμερότητος, γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον.

(b) *Conc. Eph. act.* v. Καταφεύγομεν ἅπαντες ἐπὶ τὸ κράτος τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας, δεόμενοι τὰ μὲν κατὰ Νεστορίου πεπραγμένα καὶ τῶν τὰ Νεστορίου φρονούντων ἔχειν τὴν ἰσχύν, τὰ δὲ παρ' τῶν ἐκδικούντων μένειν ἄπρακτα καὶ ἀργά.

quæ Marcianus Imperator de Calchedonensi concilio pertulit. Hic cum in concilium venisset, in ea quam habuit, oratione sic exorsus est dicere, *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam exemplo Religiosi Principis Constantini interesse voluimus* (a). Cumque peroraffet, ad omnia, quæ de Religione Calchedonenses Patres summa sententiarum consensione decreverant, ab Aetio Archidiacono C-Politanæ Urbis eruditus est: statim ea probavit, & pœnas ab iis publicas repeti jussit, qui contra de Christo sentirent (b). Dimissa Calchedonensi Synodo Marcianus alterum edictum ad C-Politanos cives perrogavit (c), in quo Synodi decreta tanquam ab ipso Deo edita commendavit; & ne adversus ea disputaretur, sancitis poenis prohibuit. Sic enim loquitur, *Sacro Nostræ Serenitatis edicto venerandam Synodum confirmantes, admonuimus universos, ut de Religione disputare desinerent, quoniam . . . . . tot venerabiles Sacerdotes, nisi Deo, ut credendum est, auctore ad indaginem veritatis non potuerunt pervenire* (d). Denique Marcianus & Valentinianus ad Palladium Prætorio Præfectum, aut quod est in Græcis, ad Tatianum Præfectum Urbi & Vincomalum Magistrum Divinorum Officiorum (e) tertium edictum de Calchedonensi concilio scripserunt: *Ea igitur*, inquiunt, *quæ sunt secundum pristinam doctrinam a reverenda Synodo Calchedonensi decreta, illa fide qua Deum colimus, per omnia servanda censuimus, atque censemus* (f). Ex quo jubent illos, qui ab Eutychis partibus stabant, iisdem, atque Manichæos, pœnis affici, hoc est bonis amissis ab orbe Romano exterminari: de libris vero eorundem sanciunt, ut igni quidem comburantur, sed auctores capitis subeant supplicium. Hæc Marcianus. Neque enim ceterorum Principum diversa fuere studia, qui post illum Romano Imperio præfuerunt. Omnium unus Justinianus commemorandus est. Is in ea constitutione (διάταξις), quam adversus Anthimum hæreticum conscripsit, satis eam explicavit operam, quam ad comprobandas œcumenicarum Synodorum sententias Imperatores adiecerunt: eo nimirum rem rediisse, ut Religio, quam Catholica Ecclesia sanciverat, publice ascita esset: Nanque de C-Politanæ Synodi sententia, quæ contra Anthimum prolata est, ille sic affirmat, *eam firmam Nostrum habet Imperium* (g): quid autem Imperio egit suo ad ejus firmitatem? *Interdicimus*, inquit, *ei* (Anthimo) *commorari in hac felici Civitate, & ejus regione, quin etiam in* qua-

(a) *In Act. 6. Concilii Calched. Tom.* VIII. *Conc. edit. Florentiæ*. Ἡμεῖς γὰρ βεβαιότητα τοῖς πραττομένοις προσθήσοντες, οὐ δυνάμεως ἐπίδειξιν ποιησόμενοι, παρεῖναι τῇ συνόδῳ ἐδοκιμάσαμεν, ὑπόδειγμα ποιησάμενοι τὸν τῆς μακαρίας λήξεως Κωνσταντῖνον.

(b) *Ibidem*.

(c) *In cod.* Bohier, *Civibus nostris C-Politanis*, *at* in edit. Grabbi, *ad C-Politanos cives*.

(d) *In tertia parte eorum, quæ ad Synodum Calchedonensem pertinent, tom.* VIII. *Conc. edit. Flor.* ἱερῷ τῆς ἡμετέρας ἡμερότητος διατάγματι τὴν ἁγίαν βεβαιώσαντες σύνοδον, ὑπεμνήσαμεν ἅπαντας, ὥστε τῶν περὶ θρησκείας παύσασθαι διαλέξεων, ἐπειδήπερ . . . . τοσοῦτοι ἅγιοι ἱερεῖς, εἰ μὴ θεοῦ, καθάπερ πιστευτέον ἐστιν, ἡγουμένου φθάσαι πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ἀνίχνευσιν οὐκ ἂν ἐδυνήθησαν.

(e) *In Latina epigraphe*, Iidem Augusti Palladio Præfecto Prætorio, *in Græca vero*, Οἱ αὐτοὶ Αὔγουστοι τοῖς αὐτοῖς ἄρχουσιν, Iidem Augusti iisdem Præfectis: *Allatum vero antea fuerat rescriptum, quod Valentinianus & Marcianus ad Tatianum & Vincomalum miserant*.

(f) *Ibidem*, τὰ κατὰ τὴν ἀρχαιοτάτην τοίνυν διδασκαλίαν ὑπὸ τῆς προσκυνητῆς συνόδου τῆς ἐν Καλχηδόνι ὁρισθέντα, κατ' ἐκείνην τὴν πίστιν, δι' ἧς τὸν θεὸν σέβομεν, φυλάττεσθαι διὰ παντὸς ἐθεσπίσαμεν, καὶ θεσπίζομεν.

(g) *Tom.* IX. *Concil. edit. Flor. pag.* 1152. *& in Novella* 42. κυρίαν ἡ ἡμετέρα τίθεται βασιλεία.

qualibet nobili urbe (a). Hoc modo Orthodoxi Imperatores sese gerunt, ex quo perspicuum est, eos, cum œcumenicarum Synodorum doctrinam confirmare dicuntur, id reipsa eniti, ut eam præsidio suo tegant, & in eos, qui non obtemperant, quasi in Cæsareas leges peccassent, publice animadvertant. Quod argumentum pluribus exornavit vir canonum scientia excellentissimus Petrus de Marca (b).

II. Sequamur Grotium. Is deinde commemorat de Senatoribus & Judicibus, quos in Calchedonense Concilium venire Imperator Marcianus iussit, eos quidem de iis, quæ agebantur, ψῆφον *suffragium* tulisse, sæpe interloquutos esse, de Dioscoro judicasse, denique ad decretum, in quo duas in Christo inesse naturas dixerant Patres, addidisse, has quidem in eo ita se habere ut altera cum altera nec confusa sit, nec ab ea seposita, neque in eandem immutata. Quam fidenter ista Grotius, quasi nihil suspicaretur, eos, qui libros suos legerent, ad evolvenda Calchedonensis concilii acta accessuros. Nanque ex iis accurate cognosci potest, complures Senatores multosque Proceres, qui Judices nominantur, ab Imperatore Calchedonensi Concilio fuisse præfectos non quidem eo consilio ut de rebus ad sacra pertinentibus decernerent, sed ut imperio suo turbas cohiberent. Renunciatus primum fuerat Strategius Bithyniæ consularis, qui in hoc eodem concilio adesset, quod in Nicæa Bithyniæ urbe primum convenerat. Is vero ista præditus erat potestate, ut si Monachi & Clerici tumultuarentur, eos statim pacaret, atque agendarum rerum ordinem (εὐταξίαν) servaret. Hoc indicant litteræ, quas ad eum Augusta Marciani conjux mittit (c). Transtulit deinde Marcianus Calchedonem Concilium, quo, cum Strategius proficisci non potuisset, Senatores & Proceres venerunt. Igitur putemus necesse est, his eandem auctoritatem fuisse creditam, quam sibi mandatam Strategius habuerat. Ipsi enimvero professi sunt, se non tanquam Judices cognitionibus de dogmate præesse, sed quo omnium primi Religionem ab Episcopis in Concilio docerentur (d). Quod ipsum de iisdem Calchedonenses Patres existimarunt. Eos rogaverat Dioscorus, cum semel atque iterum in Concilium vocatus esset, ne quæstioni de rebus suis deesse Senatores & Judices paterentur. Responsum vero est, non oportere in Episcoporum Senatu Magistratus sedere, si de sacris rebus

---

(a) *Ibid.* Ἀπαγορεύομεν δὲ αὐτῷ καὶ τῆς κατὰ τὴν βασιλεύουσαν ταύτην πόλιν, καὶ τῆς περιοικίδος αὐτῆς διατριβῆς, καὶ πάσης ἑτέρας τῶν ἐπισήμων πόλεων.

(b) *De concor. Sacer. & Imp. lib.* II. *cap.* X. *n.* IX.

(c) *In actis Calch. Conc. p. p. tom.* VI. *Conc. edit. Fl. pag.* 555. Τινὰς δὲ ὡς ἐπυθόμεθα, τῶν ταράττειν εἰωθότων καὶ συγχεῖν τὴν θεῷ φίλην εὐταξίαν, ἐπεισφρήσαντες τῇ Νικαίων, κληρικοί τε, καὶ μονάζοντες, καὶ λαϊκοὶ θορυβεῖν ἐπιχειροῦσι, διαφιλονεικοῦντες παρὰ τὰ ἡμῖν δεδοκιμασμένα, ἀναγκαίως τόδε τὸ εὐσεβὲς πρὸς τὴν σὴν λαμπρότητα πέπομφα γράμμα.... ὥστε μετὰ πάσης εὐταξίας συνεδρευσάσης τῆς ἁγίας συνόδου, δίχα σάλου τινὸς, καὶ ἀμφισβητήσεως, τὰ παρὰ τοῦ δεσπότου χριστοῦ κοινῇ παρὰ πάντων κρατυνθῆναι, Quidam vero, sicut cognovimus, cum sint soliti turbare & confundere Deo placitam disciplinam, supervenientes in Nicæa Clerici ac Monachi atque laici tumultus facere tentant, contendentes contra ea, quæ nobis placuerunt, necessario has pias literas ad tuam direximus claritatem ..... ut cum omni disciplina considente sancta Synodo sine aliqua commotione atque contentione, quæ a Domino Christo revelata fuerint, communiter ab omnibus confirmentur.

(d) *Sic enim Episcopos affantur actione secunda ibid. pag.* 951. Scientes igitur quia & Deo rationem reddituri estis .... pro nostris omnibus, qui & doceri quæ ad Religionem pertinent, recte desideramus, & omnem ambiguitatem auferri nobis ex omnium sanctorum Patrum concordia & consensu & consona expositione & doctrina, Græce vero, εἰδότες οὖν, ὡς καὶ τῷ Θεῷ λόγον δώσετε ὑπὲρ ἡμῶν ἁπάντων, οἵ τινες καὶ διδαχθῆναι τὰ τῆς θρησκείας ἐπιθυμοῦμεν ὀρθῶς, καὶ πᾶσαν ἀμφισβήτησιν ἀφαιρεθῆναι ἐκ τῆς πάντων τῶν ὁσίων πατέρων ὁμονοίας, καὶ συναινέσεως, καὶ συμφώνου ἐκθέσεως, καὶ διδασκαλίας.

rebus in eo referatur (a). Igitur quidquid ille Procerum & Judicum Senatus interfatus est & quidquid judicavit in Calchedonensi Concilio, id totum eo pertinuit, ut omnia juste & legitime gererentur. Sic in prima actione Legati Apostolicæ Sedis recusarunt, quominus Dioscorus Alexandriæ Antistes inter cæteros Episcopos sederet. Nanque illum ejusmodi esse loco censuerunt, ut causam potius dicere, quam judicare de Religione deberet. Quid Magistratus? jusserunt quæstionem institui de iis, quæ crimini Dioscoro data fuerant, ex quo acta C-Politanæ Synodi sub Flaviano, item pseudo-ephesinæ prolata sunt, antequam ille condemnaretur. Per idem tempus de Theodoreto certatum est. Nanque Leo Romanus Pontifex Orthodoxum Episcopum illum existimaverat. Contra Ægyptii Præsules eundem hæreticum habent & Synodo depellunt. Magistratus ad cohibendas concertationes decernunt, Theodoretum tanquam accusatorem in Synodum venire. Sed nondum conquiescentibus Ægyptiis, hos illi ita increpuerunt, *voces istæ populares neque Episcopos decent, neque partibus prosunt* (b). Ad hoc *in secunda actione* Episcopos commonefecerunt, ne comperendinarent, sed statim quærerent de Religionis dogmate: duxerunt vero, universam rem bene ac sapienter administrari posse, si omnes Patriarchæ, ex provincia quisque sua unum aut duos Episcopos deligerent, qui Catholicum dogma explicarent idque palam perferrent, ut si omnes consentirent, concors Synodi decretum conciperent, sin qui assensionem cohiberent, cum iis solum disputationem facilius haberent. Hic tamen conventus dimissus est, quin ulla inita esset ratio de constituenda fide. In quarta actione iidem Magistratus auctores sunt ut Synodus de dogmate accuratius disputaret: cumque ea in Leonis Papæ epistolam consensisset, statim jusserunt, Anatolium Constantinopolitanæ Urbis Antistitem cum illis Episcopis, quos sibi asciviffet, aliorum, quibus ea res hærebat, cunctationem regere, eosdemque ab omni dubitatione liberare. Quibus rebus confectis Synodum sic affati sunt, *Quod placuit reverendo Concilio, ipsum nos doceat* (c). Atque ita in cæteris conventibus Magistratus de ordine cavent, ad eum conservandum advigilant, & quidquid eodem spectat, in Concilio decernunt, sed Religionis dogmata ab Episcopis docentur.

Exposuimus quo munere Senatores in Calchedonensi Concilio functi sunt. Neque enim, cum de Dioscoro actum est, eum ipsi condemnarunt, sed judicio, quod in illum Pontifex Romanus omnesque Episcopi reddiderant, publicam firmitatem adjunxerunt. Quæstio de Dioscoro in primo Calchedonensi conventu commota est. Leonis Legati & ceteri Præsules illum reum fecerunt de iis omnibus, quæ in pseudo-ephesino Concilio adversus Flavianum gesta fuerant. Senatores, cum acta illius Concilii expromi jussissent, ita interloquuti sunt. *Videtur nobis (secundum quod Deo placitum est) justum esse, si placuerit divinissimo & pientissimo Domino nostro, eidem pœnæ Dioscorum Reverendissimum Episcopum Alexandriæ . . . . . . subjacere & a sancto Concilio secundum regulas ab Episcopali dignitate fieri alienum* (d). Quibus verbis illi auctoritatem Synodi sequuntur, cujus jussu Dioscorus tanquam reus in Concilium intromittendus erat,

(a) *Action. tertia ibid. pag.* 1002. Quando enim quædam regularia examinantur, neque Judices, neque aliquos Laicos interesse oportet, Κανονικῶν γὰρ ἐξεταζομένων, οὔτε ἄρχοντας, οὔτε ἑτέρους τινὰς λαϊκοὺς παρεῖναι χρή.

(b) *Tom. VI. Conc. ed. Fl. secun. p. pag.* 591. Αἱ ἐκβοήσεις αἱ δημοτικαὶ οὔτε ἐπισκόποις πρέπουσι, οὔτε τὰ μέρη ὠφελήσουσιν.

(c) *Tom.* VII. *Conc edit Fl. secund. p. Calch. Conc. pag.* 7. Τὶ ἔδοξε περὶ τῆς ἁγίας πίστεως τῇ εὐλαβεστάτῃ συνόδῳ, αὐτὴ διδασκέτω.

(d) *Ibid.* Καταφαίνεται δὲ ἡμῖν κατὰ τὸ τῷ θεῷ ἀρέσκον, δίκαιον εἶναι, εἰ παρασταίη τῷ θειοτάτῳ, καὶ εὐσεβεστάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ, τῷ αὐτῷ ἐπιτιμίῳ Διόσκορον τὸν εὐλαβέστατον ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας . . . . ὑποπεσεῖν, παρὰ τῆς ἱερᾶς συνόδου κατὰ τοὺς κανόνας τοῦ ἐπισκοπικοῦ ἀξιώματος ἀλλότριον γενόμενον.

erat, & Synodo suasores sunt, ut eandem a Dioscoro pœnam sumant, quam is summo cum scelere a Flaviano repetiverat: Sic Senatores, quibus Patres statim applaudunt, *Hæc justa sententia*, *justus Senatus* (*a*). Igitur in tertio Calchedonensi conventu ad dicendam caussam Dioscorus semel, iterum & tertium vocatus est. Cumque vadimonium nunquam promisisset, & pluribus criminibus absens esset convictus, Synodi judicium accepit. Primi, qui in eum sententiam dixerunt, Apostolicæ Sedis Legati fuerunt (*b*). His omnes ordine Præsules consenserunt. Decretum est, ut Dioscorus, non modo Episcopi dignitate, sed Sacerdotis munere submotus in privatis haberetur. Ita Synodus censuit, ne consulto quidem Senatu. Quam ob rem ipsi Senatores in quarto Calchedonensi conventu testati sunt, Synodi decreto Dioscorum fuisse nefariorum scelerum, quæ admiserat, condemnatum. In hanc enim sententiam universos Concilii Patres alloquuntur, *Vestra pietas de Dioscoro, qui a Vobis damnatus est, ignorante Divo vertice & nobis . . . dabit rationem Deo.* (*c*).

Atque ex iis, quæ disputata sunt, facile quivis intelligit, quam audacter Grotius dixerit, Senatores in Calchedonensi Synodo decretum de Religione condidisse, sive ad decretum, quod Synodus condiderat, arbitratu suo plura verba adjunxisse. Dicamus quod gestum est. Synodus de Fide decreverat paucis, *Sancta Maria*, inquit, *theotocos scribatur, in Symbolo sic addatur* (*d*). Romani Præsules & complures Orientis Episcopi contenderunt, ex epistola Papæ Leonis Catholici dogmatis rationem accuratius esse explicandam: His reliqui Præsules dissenserunt. Nanque putarunt, in decreto, quod summo omnium consensu editum erat, satis præsidii inesse, quo Catholica pietas tegi posset. In eo certamine Senatus Præsules rogavit, an Epistolæ Leonis consentirent. Cumque omnes hoc affirmassent, ille eos commonuit, ut ex Epistola Leonis decretum conciperent atque evulgarent (*e*). Auctor nimirum Senatus fuit, ut Patres pluribus exprimerent id ipsum quod iidem decreverant, hoc vero, quod addendum esset, ex iis colligerent, quæ ipsi in Concilio probaverant. Studebat enim inter eos,

---

(a) *Ib.* Αὕτη δικαία ψῆφος, δικαία σύγκλητος.

(b) *Ib. Promunt enim sententiam his verbis*, Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo per nos & per præsentem sanctam Synodum una cum ter beatissimo, & omni laude digno beato Petro Apostolo qui est Petra Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quam etiam ab omni sacerdotali alienavit ministerio, Ὁ ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος Ἀρχιεπίσκοπος τῆς μεγάλης καὶ πρεσβυτέρας Ῥώμης Λέων, δι' ἡμῶν καὶ τῆς παρούσης ἁγιωτάτης συνόδου, μετὰ τοῦ τρισμακαριωτάτου, καὶ πανευφήμου Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου ὅς ἐστι πέτρα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος, ἐγύμνωσεν αὐτὸν τῆς τοῦ ἐπισκόπου καὶ πάσης ἱερατικῆς ἠλλοτρίωσεν ἀξίας.

(c) *Tom.* VII. *Conc. ed. cit. sec. p. Calch. Conc. act.* 4. *p.* 47. Εὐσέβεια ἡ ὑμετέρα περὶ Διοσκόρου τοῦ παρ' ὑμῶν καθαιρεθέντος, ἀγνοούσης καὶ τῆς θειοτάτης κορυφῆς, καὶ ἡμῶν . . . . δώσει λόγον τῷ θεῷ.

(d) *Part.* 2. *Calch. Concil. act.* V. *tom.* VII. *Conc. ed. cit. pag.* 99. ἡ ἁγία Μαρία θεοτόκος γραφῇ ἐν τῷ συμβόλῳ οὕτω προστεθῇ.

(e) *Ib.* Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt: Dioscorus dicebat: Quod ex duabus naturis est, suscipio, duas non suscipio. Sanctissimus autem Archiepiscopus Leo duas naturas dicit esse in Christo unitas inconfuse, inconvertibiliter & inseparabiliter. Quem igitur sequimini? Sanctissimum Leonem, an Dioscorum? Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Ut Leo, sic credimus. Qui contradicunt, Eutychianistæ sunt. Leo recte exposuit: Magnificentissimi & gloriosissimi Judices dixerunt, Πρόσθετε οὖν τῷ ὅρῳ, κατὰ τὴν ψῆφον τοῦ ἁγιωτάτου ἡμῶν Λέοντος, δύο φύσεις εἶναι ἀτρέπτως, καὶ ἀμερίστως, καὶ ἀσυγχύτως ἐν τῷ Χριστῷ, Ergo addite definitioni secundum judicium sanctissimi (*Patris*) nostri Leonis, duas esse naturas unitas in Christo inconvertibiliter, & inseparabiliter & inconfuse.

eos, qui verbis diffidebant, amicitiam & pacem conciliare, idque agebat, quia ullum de sacris sibi judicium tribueret.

III. Pergit Grotius de veteribus Imperatoribus eorumque rebus gestis commemorare, quasi confidat, illius Imperii, quod in Religionis negotiis Hollandiæ Ordinibus deerat, in antiquitate exempla invenire. Igitur ad ea, quæ dixerat de Calchedonensi Concilio & de Senatoribus, qui in eo affuerunt, statim addit, in tertia C-politana Synodo sive in sexta Œcumenica Constantinum Pogonatum & Synodum jussisse, eo absente, Judices, quos is præfecerat, & Synodum imperasse, deinde eundem Synodi decreta legisse iisque assensionem adhibuisse. Hæc enim ille. Nos vero miramur, eruditissimum sane & doctissimum virum ita fuisse abreptum studio factionis suæ, ut, cum sæpe vera falsis confundat, ea ipsa, de quibus nunc disputat, nulla arte partiatur. Præfuit quidem Constantinus, eoque discedente præfuerunt Proceres (Α'ρχοντες) in sexta Œcumenica Synodo, sed agendarum rerum conservando Ordini, non iis, quæ habebantur contra Monothelitas, de Religione cognitionibus. Id valent verba, quæ in pluribus illius Synodi conventibus initio leguntur, *Præsidente piissimo & Christo dilectissimo magno Imperatore Constantino*. Aderat is in Concilio non tanquam disceptator & Judex, sed tanquam Fidei, ad quam primus instituendus erat, custos & Patronus. Quod ipse profitetur in iis verbis, quæ Gregorius II. Papa laudavit in Epistola ad Leonem Isaurum, *Neque cum illis tanquam Imperator sedebo, aut imperiose loquar, sed tanquam unus ex illis, & prout statuerint Pontifices, exequar*. Atque sextæ Synodi Patres in Synodica Epistola ad Agathonem Papam palam dicunt, Imperatorem in eo fuisse studio, ut admonitu suo ad constituendam Religionem Synodum impelleret: *Perlectis*, inquiunt, *veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, Constantino nobis ad decernendum hortatore, qui Divinitus imperat, quo adjutore impietatis errorem evertimus*. Imperator quidem Synodo subscripsit, *Constantinus in Christo Deo Rex ac Imperator Romanorum legimus & consensimus*, at singuli Episcopi in hæc verba, *N. Episcopus definiens subscripsi*: ex quo apparet, Constantinum auditorem Episcoporum fuisse, qui, cum Catholicum dogma ab iis accepisset, idque credidisset, Synodo subscripsit ad fidem, quam eidem adhibuerat, declarandam.

IV. Accedimus ad C-Politanum quartum, sive ad octavum Œcumenicum Concilium, in quo Grotius putat, Augustos eadem fuisse usos auctoritate, quam Pogonatus in tertio C-Politano sibi vindicaverat. Hoc ipsum cum Grotio nobis convenit. Sed porro in expromendis Imperatorum partibus, quas in utroque Concilio susceperunt, illud est, quod cum illo instat certamen. Nos enim, contra atque disputavit ille, sentimus tam Pogonatum, quam Basilium, Constantinum & Leonem in Episcoporum Concilia venisse, illum quidem in tertium, hos vero in quartum C-Politanum, ut publicum Ecclesiæ præsidium ferrent, & quidquid Pastores de sacris censuissent, contra hæreticos summo Imperio defenderent. Atque Grotius quidem differit sine auctore. Nobis vero testes sunt iidem Augusti, quorum de jure disputatur. Illi enim palam professi sunt in Synodis, sese nec Judices, nec Cognitores fuisse rerum Divinarum, sed in iis sedisse, ut omnium primi ad Catholicæ Ecclesiæ fidem instituerentur, quam numine tueri suo deberent. Sic Basilius in ima pagella (a).

V. Quid

(a) *Nanque octavam œcumenicam Synodum affatur his verbis*, Quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo nobis licet de Ecclesiasticis caussis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ & universali Synodo adversari. Hoc enim investigare & quærere Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui in regimine officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claves, non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. Quantæcumque enim Religionis & sapientiæ laicus existat, vel etiamsi universa virtute interius polleat,

donec

V. Quid porro Grotius? Statim affirmat, Theodosium Ephesinæ, & Justinianum C-Politanæ secundæ sive quintæ Œcumenicæ Synodo, quos voluere, Episcopos præesse nomine & mandato suo jussisse, & in iisdem Synodis per eos ipsos Religionem administrasse, quibus Imperium commiserant suum. Is sane omnia persequitur ut cœperat, nec quæ discrepant, accurate partitur. Theodosius quidem Ephesino primo Concilio Candidianum Comitem præfecit, ea solum cum auctoritate, ut Monachos & & Clericos, qui in Ephesinam Urbem convenerant, in officio contineret, & si tumultuarentur, Urbe depelleret, ad hæc caveret, ut a constituendis Religionis rebus Synodus caperet initium, & Præsules, nulla illata vi, sed libere promerent, quod sentirent (a). Ad hoc edixit, ne ille de Fidei quæstionibus censeret, aut disceptaret, aut iisdem præesset, eam ob caussam, quod tota illa res ad Ecclesiarum Pastores pertineret. Nanque illum interesse Concilio jussit, *ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa Fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune haberet. Nefas enim est, eum, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere* (b). Tenemus igitur, quam potestatem in Ephesino Concilio Imperator Candidiano Comiti mandavit. Cognitionibus autem de Religione Romanus Pontifex Cælestinus, sive illius Legati præfuerunt. Concilii acta evolvamus. Primus conventus habitus est, *confidentibus religiosissimis & sanctissimis Episcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Cælestini sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat & Juvenali Hierosolymorum* . . . Præsides enim omnium primi dinumerari solent. Nobis porro testes sunt Calchedonenses Patres, in quibus fuerunt Juvenalis Hierosolymitanus, Paulus Anthedonis, & Eusebius Clazomenitanus, qui inter ipsos Ephesinos Patres consederant. Illi vero in decreto Fidei Ephesini Concilii Rectores dixerunt Cælestinum & Cyrillum (c). Ad eos Imperator Marcianus in

---

donec laicus est, ovis vocari non desinet. Rursusque Episcopus, licet omni Religionis virtute destituatur, tamen Pastor est quamdiu in Pontificatus munere versatur. Quæ ergo nobis ratio est, in ordine ovium constitutis, Pastores verborum subtilitate discutiendi? Oportet, nos cum timore & fide sincera hos adire & a facie eorum vereri, cum sint Ministri Domini omnipotentis, & nihil amplius quam ea, quæ sunt nostri ordinis, requirere.

(a) *Omnia perspicua sunt ex Epistola Theodosii Junioris ad Ephesinos Patres, quam Epistolam vulgo* Sacram *dicunt. In conversione quidem Latina hujus Epistolæ titulus ita exprimitur*, Sacra Imperatoria, missa Alexandriam ad Cyrillum Episcopum, & Episcopos Metropolitanos ejus regionis. *Verum Græca secus sonant, quæ sic habent*, θεῖον γράμμα ἀποσταλὲν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Κυρίλλῳ Ἐπισκόπῳ, καὶ τοῖς κατὰ χώραν τῶν μητροπόλεων ἐπισκόποις *id est*, sacra epistola missa Alexandriam ad Cyrillum, & ad omnes ubique Metropolitanos Episcopos. *Nanque* κατὰ χώραν *idem valet ac* καθ' ἑκάστην χώραν. *Quod confirmat ipse Theodosius in eadem epistola, in qua profitetur, sese scripsisse* πρὸς τοὺς ἁπανταχοῦ τῶν μητροπόλεων ἐπισκόπους. *Evagrius autem Hist. Eccl. lib.* I. *cap.* III. *epistolæ hunc titulum effert*, γραμμάτων βασιλικῶν γενομένων πρὸς τε Κύριλλον καὶ τοὺς ἁπανταχῆ τῶν ἐκκλησιῶν προεστηκότας, Imperialibus litteris tum ad Cyrillum ipsum, tum ad omnes ubique sanctissimarum Ecclesiarum Episcopos missis.

(b) *In Epistola ad Synodum ipsam part.* I. *cap.* 35. Καὶ μηδὲν μὲν ταῖς περὶ τῶν δογμάτων γινομέναις ζητήσεσι κοινωνῆσαι. Ἀθέμιτον γὰρ τὸν μὴ τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα, τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι.

(c) *Tom.* VII. *Concil. act.* V. *Calch. Conc. ed. Fl. pag.* 110. Sanctæ Synodi quondam in Epheso habitæ fuere præsides Cælestinus Romanorum & Cyrillus Alexandrinorum, Τῆς κατ' Ἔφεσον πάλαι γεγενημένης ἁγίας συνόδου . . . ἡγεμόνες οἱ ἁγιώτατοι τὴν μνήμην Κελεστῖνος ὁ τῆς Ῥωμαίων, καὶ Κύριλλος ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων, ἐτύγχανον κ. λ.

in lege, quam de confirmandis Calchedonensibus placitis rogavit, de iisdem Ephesinis rectoribus commemoravit (a). Quid pluribus opus est? De binnibus vero, qui Cœlestinum & Cyrillum ephesinos Præsides nominarunt, sic habeamus necesse est, eos existimasse, Cyrillum præsedisse loco Romani Pontificis. Nanque Cœlestinus ante Synodum ephesinam ei sacram vicem suam mandaverat, ut Catholicæ Fidei consuleret, Nestoriumque, si in hæresi insisteret sua, comdemnaret (b). In hanc sententiam Mennas C-Politanus Episcopus loquitur (c), sic & juniores Græci sentiunt (d). An vero Cœlestinus legatione Cyrillum abdicaverit, missis Arcadio, Projecto & Philippo, qui sui nomine Synodo adessent, erudite disputant Petrus de Marca (e), Natalis Alexander (f) aliique complures.

Proximum vero est ut de Justiniano edisseratur. Atque is cum quintam Synodum convocasset, Patricios in eam misit, qui in rebus agendis ordinem conservarent, idque diligenter studerent, ne Præsules negligerent *de tribus capitulis*, hoc est de Ibæ Præsulis Edesseni epistola ad Marim Persam, de Theodori Mopsuesteni libris, & de Theodoreti disputationibus contra Cyrillum alexandrinum sententiam dicere. Neque enim Imperator cogendæ Synodi consilium cepit sine Episcoporum rogatu & Vigilii Romani Pontificis auctoritate. Vigilius enim ad Eutychium Patriarcham C-Politanum hæc rescripsit, *Vestrum desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus capitulis, ex quibus quæstio nata est, facto regulari conventu, servata æquitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo & conveniens his, quæ a sanctis quatuor sunt definita Conciliis* (g). Ergo Grotius confidenter & sine teste arbitratur, Concilii præsides fuisse Patricios & Magistratus, quos in illud Imperator miserat.

Etenim Eutychius per id tempus C-Politanus Patriarcha certum habuit, in Synodo, quæ habenda esset, aut Vigilio, aut iis, quibus ipse auctoritatem suam crediderit, προεδρίαν esse defe-

(a) *Ibid. pag.* 502. τὴν Νεστορίου πλάνην ἐξέκλεισαν, προεδρευόντων Κελεστίνου τε τῶ τῆς Ῥωμαίων, καὶ Κυρίλλου τοῦ τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως, Ἐπισκόπων, Nestorii error est rejectus, præsidentibus Cœlestino Romanæ Urbis & Cyrillo Alexandrinæ civitatis Episcopis.

(b) *Sic enim Cœlestinus ad Cyrillum scribit*, Quamobrem nostræ sedis auctoritate adscita, nostraque vice & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris. Nempe ut nisi decem dierum intervallo, ab hujus nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet . . . . illico Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.

(c) *In Confessione Fidei, quæ conjuncta est Vigilii Papæ Constituto sic de Synodo ephesina*, In Legatis suis atque Vicariis idest beatissimo Cyrillo Alexandrinæ Urbis Episcopo, Arcadio & Projecto Episcopis, & Philippo Presbytero, beatissimus Cœlestinus Papa senioris Romæ noscitur præsedisse.

(d) *Theodorus Balsamon ad Photii nomocanonem tit.* VIII. *cap.* I. *in Bibliotheca juris canonici veteris, quam adornarunt Gulielmus Voellius & Henricus Justellus Christophori F.*, Τοῦ γὰρ, *inquit*, Κελεστίνου μὴ δυναμένου παρουσιάσαι εἰς Ἔφεσον, καὶ κρῖναι τὸν Νεστόριον, συνέδοξε ἐπιτραπῆναι τὸν ἅγιον Κύριλλον ὑπὸ τοῦ Κελεστίνου προκαθῆσαι τῆς συνόδου δι' αὐτοῦ, cum non posset Cœlestinus Concilio adesse Ephesi & judicare Nestorium, visum est, ut sancto Cyrillo a Cœlestino permitteretur huic Synodo præsidere.

(e) *De Concordia Sacerd. & Imp. lib.* v. *cap.* 4.

(f) *In dissert.* 6. *Hist. Eccl sec.* v.

(g) Τῆς ὑμετέρας αἰτήσεως τὸν πόθον ἐγνωκότες, ἐπινεύσαμεν, ἵνα περὶ τῶν τριῶν κεφαλαίων, ἐξ ὧν ζήτησις ἀνέφυη, γινομένης κανονικῆς συνόδου, καὶ τοῦ δικαίου φυλαττομένου, ἐν μέσῳ τῶν προκειμένων τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, ἅμα τοῖς ἑνωθεῖσιν ἡμῖν ἀδελφοῖς συγκρίσιν ποιησώμεθα, καὶ τέλος δοθῇ τῷ θεῷ ἀρεσκὸν καὶ συμβαῖνον τοῖς παρὰ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ὁρισθεῖσιν.

deferendam. Is enim in Epistola Vigilium affatur his verbis, *Petimus, præsidente nobis vestra beatitudine . . . . . . communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri & conferri & finem quæstioni imponi* (a). Hæc Eutychius, quæ sane non dixisset, si Justinianus Synodi Rectores aut constituisset, aut constituere potuisset. Cum vero Vigilius multis de caussis recusasset, quominus in Concilium veniret, ipse Eutychius Patriarcha C-Politanus præsidis munere in eo functus est. Nanque primum conventum *in actis* habitum legimus, *considentibus in Secretario venerabilibus Episcopis, Eutychio sanctissimo Patriarcha Regiæ Constantinopolis novæ Romæ, Apollinario sanctissimo Archiepiscopo Alexandriæ Civitatis . . .* Etenim secundum Romanum Pontificem ceteris Patriarchis C-Politanus antelatus erat ex novo jure, quod Nicæni Concilii decretis derogaverat. Itaque Photius scribit, *Præfuerunt* (in sancto & Œcumenico Concilio quinto) *Mennas primum, deinde Eutychius ipsius Regiæ Civitatis Antistes, & Vigilius Romæ Episcopus* (b). Quibus in verbis ad plura Photius offendit. Nanque nec Vigilius nec Vigilii legati in Synodo affuerunt, iidemque si affuissent, primo loco commemorandi erant, & Mennas demortuus erat, in cujus locum Eutychius successerat. Sed nihilosecius nos docet, nec Imperatorem, nec Magistratus, sed Patriarchas præfuisse quæstionibus de Religione. Quamvis vero Papa Vigilius in quintam Synodum non ivisset, neque in eam Legatos misisset, tamen ea approbavit, eodem anno, quo illa dimissa fuerat. Evagrius enim eorum temporum Scriptor memoriæ sic prodiderat, *Porro Vigilius per epistolam quidem consensit, Concilio tamen interesse noluit* (c). Hanc Epistolam docti viri diu expetiverant, cum eam immortalis Parisiensium Archiepiscopus Petrus de Marca ex Regia Bibliotheca primus evulgavit & nobili dissertatione eidem plurimam lucem offudit (d). In ea quidem Vigilius Synodi actis, quæ edito *Constituto* sustulerat, re deliberata & in consilium missa firmitatem adjunxit. Sic vero Papa Epistolæ subscripsit, *D. ante VI. Idus Decembres Imperii Domini nostri Justiniani æterni Augusti anno XXVII. post Consulatum Basilii V. C. Anno XII.* In quibus verbis Lupus Lovaniensis Academiæ Doctor (e) & Sirmondus (f) loco numeri XII. substituunt XVII., ut evincant, Vigilium Synodi decretis post quinquennium ab iisdem perlatis assensionem adhibuisse. Contra Cardinalis Norisius (g) pluribus ostendit, eo ipso anno, quo Synodus dimissa est, Vigilium eidem consensisse, ex quo adversus Petrum Halloixium Leodiensem (h) ipsius Synodi auctoritatem tuetur. Plures enim sunt & in his Joannes Garnerius (i), qui hujus Epistolæ sinceritatem & γνησιότητα in dubitationem adducunt. At ea res satis disputata est a Petro de Marca, quam Fratres Ballerini perfecerunt (k) contra Garnerium.

VI. Revertimur ad Grotium, qui putavit, Hollandiæ Proceres in Carolo Magno Imperatorem & Regem habuisse, quem ad imitandum sibi proponerent. Nanque affirmavit, eum potuisse, si id ei collibitum esset, imaginum sacrum cultum abrogare, quia Synodum consuleret, & in eadem Synodo de quæstione Fidei an Christus dicendus esset

---

(a) Αἰτοῦμεν, προκαθημένης ἡμῖν τῆς ὑμετέρας μακαριότητος, κοινῇ γε τράκτατῳ ζητεῖσθαι καὶ ἀντιβληθῆναι καὶ πέρας ἐπιτεθῆναι τῇ ζητήσει.

(b) *In libro de septem Synodis.*

(c) *Hist. Eccl. lib.* IV. *cap.* XXXVIII. Βιγίλιος μὲν οὖν ἐγγράφως συνθέμενος συνεδρεύειν οὐχ εἵλετο.

(d) *Edita est tom.* IV. *opp. Marcæ ed. Neap.*

(e) *In Notis ad* V. *Synodum cap.* 6.

(f) *In Synopsi Chronologica ad libros Facundi &c.*

(g) *In Historica dissertatione de quinta Synodo cap.* VIII.

(h) *Is* Apologiæ 4. quæst. 10. *ad Origenistas vindicandos de quinta Synodo tanquam de conventu non jure sociato edisserit.*

(i) *In Dissert. de quinta Synodo, quam ad Liberati Breviarium adjecit.*

(k) *In Defensione dissertationis Norisianæ de Synodo* V.

esset Filius Dei adoptivus, non modo deliberasse, sed & judicium reddidisse. Atque de honore quidem imaginum illud sibi sumit, Imperatorem sine Synodo de sacris potuisse decernere, atque imaginum cultum, quem Francofurdiensis Synodus sustulit (a), per seipsum abrogare. Hoc primum persequemur: deinde differemus de Caroli rebus gestis contra eos, qui Christum tanquam hominem, Filium Dei adoptivum dicebant. Rogamus igitur Grotium, quo jure Carolus de controversiis, quæ ad imaginum pertinebant cultum, cognoscere potuerit? An Christus id gubernationis genus in Christiana Republica constituit, ut de doctrina & dogmate Principes judicarent? Quia etiam Christus eam provinciam solis Pastoribus commisit, quo facto ceteris plane interdixit, ne eandem sibi gerendam præriperent. An orthodoxi Cæsares Carolo auctores fuissent, ut illam rem legibus suis administraffet? Qui vero Cæsares? Non Constantinus, non Theodosius, non Marcianus, non Theodosius alter, non Justinianus, nemo scilicet eorum, quos Grotius protulit. An denique Carolus in animum induxerat,

(a) Grotius his verbis satis declarat, Patres Francofurdiensis Synodi, quam convocavit Carolus Magnus, decrevisse, ut nullus observantiæ tenor imaginibus redderetur, & Nicæno secundo Concilio, in quo is sancitus erat, omnis abrogaretur auctoritas. Versatur nimirum in ea opinione, quæ omnium Lutheranorum, Calvinistarum ceterorumque Iconomachorum communis est. Igitur oportet, ut eum erroris commonefaciamus sui. Habita fuerat Nicæna secunda Synodus contra Iconomachos in qua græci Patres *προσκύνησιν cultum aliquem* imaginibus tribuerunt, maxime diversum ab eo, qui Deo deferebatur, & λατρεία appellabatur. In ea Constantinus Constantiæ, in Cypro Antistes sententiam suam sic protulit, Τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόφρων γίνομαι, δεχόμενος, καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας, καὶ σεπτὰς εἰκόνας. καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ, καὶ ζωαρχικῇ τριάδι ἀναπέμπω, *His consentio & concors sum, suscipiens & cum honore complectens sanctas & venerandas imagines: ac latriæ adorationem soli Trinitati defero*. Hujus Synodi acta in Galliam pervenere, sed ita in latinum conversa, ut Patrum decretum secus acceptum esset, atque edicebat. Nanque illud in eum sensum Galli intellexerunt, quasi in eo honoris eadem significatione, qua Deum prosequimur, imagines esse afficiendas juberetur. In his enim latinis actis illa Constantini sententia, quæ græce prolata est, sic exprimitur, *Suscipio & amplector sanctas & venerabiles imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali & vivificæ Trinitati emitto*. Ex quo non modo Carolus Magnus, sed universi Galliæ Præsules in obtrectationem atque invidiam græcos adduxerunt, eorumque Nicænum conventum provincialem, non Œcumenicum existimarunt. Caussas enim habuerunt, cur ita putarent. Nanque Hadrianus Papa allatam e Græcia Synodum, teste Hincmaro, in Galliam misit, Conciliumque eam ob rem convocari ab Imperatore jussit, & libris Carolinis, quibus oppugnata est, ita respondit, ut Œcumenicum nomen atque auctoritatem nusquam illis objiceret. Hadriano Carolus paruit. Etenim Synodum ex Germanis, Gallis, Brittannis atque Italis Episcopis Francofurti coegit, in qua, condemnata Elipandi Toletani, & Felicis Urgellitani hæresi, Patres de græco Concilio decreverunt canone secundo, *Allata est*, inquiunt, *in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli* (*Nicææ*) *fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderet, anathema judicaretur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt*. Hactenus igitur Francofurti Gallorum consilium processit, ut non recusarent, quominus honor imaginibus aliquis deferretur, sed solum cultum iisdem sublatum vellent, qui summo & præpotenti Deo tribuendus est. Sic enim inter plures Dionysius Petavius *Theol. dogm lib. XV. de Incar. cap. 12.* & Jacobus Sirmondus *in Admonitione de canone secundo Concilii Francofurdiensis tom. XIII. Concil. edit. Flor. pag. 905.*, quos tanquam summos eruditionis viros Grotius habebat.

rat, sese quasi sacrorum Judicem & cognitorem in Orbe esse Catholico? At secus de sui potestate in sacris ipse sentiebat. Nanque pacis in Ecclesia se conciliatorem & Religionis custodem ac defensorem, non judicem, nec disceptatorem existimabat. In *Capitulari Aquisgranensi* rerum, quas decrevit, ita exordium cepit, *Regnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum. Ego Carolus gratia Dei ejusque misericordia donante Rex & Rector Regni Francorum, & devotus sanctæ Dei Ecclesiæ defensor humilisque adjutor* (a). Sic in Epistola, quam post Francofurdiensem Synodum ad Episcopos Hispaniæ misit, his verbis elogia sua inscripsit, ut se *Filium & defensorem Sanctæ Dei Ecclesiæ* diceret, quo de præconio Christianissimi Reges maxime lætantur. Itaque leges de Ecclesiæ disciplina nunquam rogavit, nisi quas vel Concilia vel Pontifices pertulerant, & se Canonum publicum vindicem, non legum latorem in Ecclesia testatus est. Respexit fortasse Grotius ad Carolinum quadripartitum opus, in quo Nicænæ secundæ, sive septimæ Œcumenicæ Synodi decreta rejiciuntur. Hoc opus elucubratum esse videtur ante Francofurdiensem Synodum post triennium a Nicæna hoc est anno ɪɔccxc. At eadem quidem continet, quæ Francofurdienses Patres decrevere adversus Græcos: Illius Hæreticum quendam fuisse auctorem Surius & Bellarminus duxere, sed ipsum Carolum aut alterum, qui ad rem aggressus est mandante Carolo, credidere Dionysius Petavius (b), Natalis Alexander (c), Forbesius (d), & Dallæus (e). Inter omnes vero legantur necesse est Trombellius (f) & Fabricius (g). Nos concedamus Carolum ad elaborandos eos libros animum adjecisse, aut alium, cui auctor & suasor Carolus fuisset. Quid Grotius proficit? Non enim Imperator in iis libris illud ausus est ut de Imaginum cultu & de abrogando Nicæno secundo Concilio publicam legem rogaret. Credidit is, Græcos ea decrevisse quæ in Catholici dogmatis fidem incurrerent. Cumque ad Ecclesiæ salutem, atque ad doctrinæ incolumitatem advigilaret, eadem rejicienda suscepit, quatuor editis libris: Locum tamen tanquam privatus Scriptor pertractavit, ita ut vel totum opus, vel certe complura ab eo excerpta capita ad Hadrianum primum Pontificem misisset, qui *sui judicio & auctoritate omnia corrigeret* (h). Quæ caussa fuit, cur Hadrianus septimæ Synodi defensionem susciperet, & librum ad Carolum apologeticum conscriberet. Igitur, contra atque Grotius putat, hoc ipsum, de quo disputamus, nobis certo est argumento, nunquam pientissimo Imperatori fuisse in animo, ut de Religione judicaret, aut sacris se præesse quæstionibus posse existimaret. Cum enim iis Græcis succenseret, eosque superstitionis arcesseret, cur, publico perlato edicto, eorundem Synodum non abrogavit? Cur integram rem ad Pontificem retulit? Noverat scilicet, eam non ad Imperatorem, sed ad amplissimum Pastorum Ordinem pertinere.

Dispiciamus modo, quid in caussa Elipandi & Felicis Carolus gesserit. Hi quidem Præsules, alter Urgellitanus, alter vero Toletanus Episcopus docuerunt, Christum, si tanquam hominem eum respicias, Patris adoptivum quidem, non proprium & naturalem esse Filium. Hanc doctrinam ab universæ Ecclesiæ perpetua fide discrepantem illi non modo in Hispania, sed in Gallia & Germania tradere studuerunt. Statim Carolus Hadrianum Papam consuluit, qui, missa ad Elipandum atque ad ceteros Hispaniæ Episcopos epistola, eos ab Ecclesia disjunxit, nisi errores depellerent, qui-

(a) *Tom.* I. *Capitul. edit. Stefani Baluzii*.
(b) *Theolog. dogm. lib.* XV. *cap.* XIII. *de Incar.*
(c) *Dissert.* VI. *in Hist. Eccles. sec.* VIII.
(d) *Instruct. Historico-Theolog. lib.* 7. *cap.* II.
(e) *Lib.* 4. *cap.* 2. *de Imaginibus*.
(f) *Dissert.* X. *a cap.* 13.
(g) *Biblioth. med. & infim. latinit. lib.* III.
(h) *Sic enim loquuntur Parisienses Patres in epistola Synodica ad Ludovicum pium & Lotharium Imperatores Caroli Filios*.

quibus animum imbuerant. Deinde convocavit Episcoporum conventum Francofurdiensem Hadriani admonitu, in quo Præsules numero fere ccc. ad Pontificiæ Epistolæ ductum Canone primo nefariam hæresin condemnaverunt: ad hoc Synodicam Epistolam Hispaniæ Episcopis miserunt, in qua Catholicum dogma explicarunt, & ad ea argumenta pluribus dixerunt, in quibus Hæretici nitebantur. Quod ipsum Paulinus Episcopus Aquilejensis & plures Italiæ Præsules, qui Francofurti fuerunt, scripto libello *sacrosyllabo* peragendum susceperunt. Dimisso conventu Imperator Epistolam misit ad Elipandum & ad ceteros Hispaniæ Episcopos. Exscripsit in ea Hadriani Epistolam, Episcoporum Francofurdiensium Synodicam, & Italorum sacrosyllabum: tum vero addidit, *Meæ propriæ unanimitatis cum his sanctissimis prædictorum Patrum decretis & Catholicis statutis consensum subnexui* (a). Hæc quidem ille, quibus planum fecit, in Synodo Francofurdiensi Pastorum ordinem & in his Principem Romanum Pontificem sedisse Judicem de quæstione Fidei, ipsum vero his, quæ decreta fuerunt, consensionem adhibuisse, hoc est universæ Ecclesiæ, quæ in Episcoporum multitudine continetur, libenter paruisse: Pergit enim, *Facio certissime, Deo Domino meo Jesu Christo donante, horum me sanctissimæ multitudini & probatissimæ auctoritati in veræ Fidei professione firmiter associans, nec vestræ me paucitati in consensione hujus novæ assertionis socium admitto, sed Apostolicæ Sedi . . . conjungo*. At quid Carolus in eadem Epistola dicit, se in Synodo fuisse de rebus arbitrum & de iisdem judicasse? Ille quidem his verbis idem ipsum intelligit, quod paulo ante significaverat, cum Episcoporum se decretis consensisse affirmavit. Nanque consensum illum suum, quem Synodo præbuerat, modo decretum (ψῆφον) vocat ea de caussa, quod, cum Principes Synodo in sacris consentiunt, quasi edicunt & decernunt, eam in Civitate ab omnibus esse adsciscendam, nisi publicas pœnas dare velint. Atque eo facilius *decernere* appellat idem ipsum, quod est *consentire*, ne Toletanus Episcopus & qui ejus partibus favebant, post Synodale judicium tergiversari possent. Nanque Imperatorem fidenter rogaverant, ut ipsemet quæstionem cognosceret, quæ commota fuerat de Christo, quod ex perspicuis eorum verbis efficimus (*b*). Igitur ille ad eos convincendos pronunciat, se in Synodo decrevisse, sed quo more Principes de sacris censere solent: se nimirum fuisse auditorem, quod ad Catholicum dogma ab Episcopis institutus est, arbitrum vero, quod Synodi decreta confirmavit, sive ad ejus defendendam auctoritatem præsidio esse publicum Imperium declaravit.

CAP.

(a) *Legitur tom.* XIII. *Concil. edit. Fl. pag.* 906.

(b) *Ita Carolus ad Elipantum*, Scriptam itaque in Epistola vestra hujusmodi obsecrationem invenimus: Poscimus vos per eum, qui pro te in cruce manus innoxias extendit. . . ut per te ipsum arbiter sedeas. Ecce ego vestris petitionibus satisfaciens cogregationi Sacerdotum auditor & arbiter afsedi. Discrevimus & Deo donante decrevimus quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum.

CAP. VIII.

I. Grotius de Episcoporum Synodis veluti de politicis conventibus existimavit, quibus Principes credidissent potestatem constituendorum sacrorum. Investigatur quam ob caussam ille in hujusmodi opinionem venerit.

II. Quo jure Principes Synodos convocarunt.

III. Ad conciliandam Synodis auctoritatem magni non refert, num eas Principes, an vero Romanus Pontifex, consultis Principibus Catholicis, coegerint.

IV. Datum non erat Principibus, ut arbitrio suo ex Catholicis Episcopis eos legerent, qui sententiam dicerent in Synodis, in quibus de Fide agebatur. Omnes enim Episcopi Pastores sunt Ecclesiæ.

V. Orthodoxi Principes Synodos monere solebant de eo, quod erat decernendum. Disseritur de Sardicensi Synodo, an ea de superiorum Conciliorum dogmaticis decretis cognoverit, & an ullam Fidei conceptionem ediderit.

VI. Confidenter affirmatur, Principes de Synodis judicasse.

VII. Contra Grotium peroratur, Synodos Divinos esse conventus, qui a politicis Senatibus discrepant.

I. QUamquam Grotius veterum Imperatorum recte facta detorquens, summos Hollandiæ & West-frisiæ Proceres ad illorum auctoritatem & ductum suam gubernandæ Ecclesiæ rationem instituisse contendit, tamen non mediocriter veritus est, ut hoc ipsum, quod aliis probare studebat, ex sententia procederet sua. Compertum enim habuit, perpetuam extitisse Christianæ Reipublicæ temperationem, ut Religio non a politicis Magistratibus, sed ab Episcopis gereretur, & si quæ de Divinis rebus dissensiones ortæ essent, Concilia sociarentur, in quibus non Principes, sed Præsules supremum judicium perferrent. Itaque illud dicere sustinuit, priscas Episcoporum Synodos conventus fuisse politicos, quibus Imperatores ad judicandas controversias de Christiana Fide sacram vicem mandaverint suam. Nanque existimavit, sic veteres Principes publicam Religionem Ecclesiasticis Synodis constituendam commisisse, quemadmodum iidem in civilibus & bellicis rebus de eo, quod deliberari necesse erat, Prudentum & Ducum Senatum consulebant. Censuit enim in Episcoporum conventibus non magis aliquid hærere sacrum, quam in aliorum cœtuum conciliis. Audax negotium, diceremus impudens, nisi Grotius magno optimarum artium studio, omni liberali doctrina & virtutum laude commendatissimus esset in Europa litteraria. Edisserendi hanc ille viam suscepit. Primum putavit, Principes eo jure Episcoporum Œcumenicas Synodos convocasse, quo cæteros omnes civium ordines cogere consueverunt ad capiendum de publicis negotiis consilium (a). Hoc quum dixisset, deinde effecit, eorundem esse partes, non modo Episcopos deligere, qui in Synodis sedeant

(a) *In Ordinum pietate Grotius ita loquitur in Whitakeri sententiam*, Ut Principis est, edictis suis Duces convocare & milites suos, ut de bello deliberent, & Jurisperitos suos ut de jure inquirant: sic ejusdem etiam est Episcopos suos congregare, ut de Religione consultent. Hoc ergo æque politicum est, atque alios hominum ordines cogere.

deant (a), sed etiam iisdem, quidquid referri oporteat de sacris, praescribere & decernendi rationem docere (b).

Addidit, Orthodoxos Imperatores de Synodis judicasse, nec passos esse illarum canones perferri, nisi eos cognossent & Divinis Scripturis consentientes censuissent, quippe quoniam quod in civili quovis conventu inter omnes constituit, nunquam vim habere potest, nisi hoc ipsum summus Magistratus comprobaverit (c). Itaque confecit, eandem judicandi potestatem, quae in Augustis inerat, Ecclesiasticis Synodis fuisse demandatam: Synodosque eum in finem convenisse, ut ab ipsis Augusti solum capere consilium possent ad leges de pietate perferendas (d). Quorsum igitur Grotius spectavit, nisi pertendat, Ecclesiasticas Synodos politicorum in Republica conventuum fuisse simillimas, in quibus Magistratus credita ab Imperatoribus potestate consultent de sacris? Planum nimirum facere enitebatur, summos Hollandiae Rectores decernere de dogmate potuisse, de quo Gomaristae & Arminiani iis temporibus disputabant, quin Pastorum nationalem Synodum congregarent. Sic ille.

Quam haec discrepant ab ea Christianae Reipublicae forma, quam Christus instituit? Quam porro eadem sunt contraria veterum Christianorum Imperatorum sententiis? Hi enim Oecumenicas Episcoporum Synodos tanquam conventus existimarunt, in quibus Deus ipse loqueretur, atque iisdem, quibus Divinas Scripturas, observantiae significationibus illas prosequuti fuerunt. Quae omnia a nobis uberrime pertractata sunt, ita ut in iis iterum versemur non oporteat. Igitur modo persequamur singula, ex quibus novam hanc Ecclesiae gubernationem Grotius condidit: cujus nostrae disputationis antequam capiatur initium, magni interest praescire, illum de Synodis ista edisseruisse, cum nulla re magis Arminianis consulere suis poterat, quam si in Foederato Belgio Pastorum conventibus auctoritatem derogaret. Frequentior erat Gomaristarum Calvinianorumque factio; omnes ferme Pastores complexu continebat suo. Iis Arminiani numero cedebant, quamquam Procerum Ordines Partibus adjunctos suis habebant. Suspicio omnibus erat, si de controversiis, quae utramque factionem commiserant, in nationali Synodo referretur, Gomaristas ex diuturno certamine discessuros victores. Id timuit Procerum Senatus. Eam ob rem novas saepe caussas Gomaristis praetendit, ex quibus recusaret, quominus ad cogendam nationalem Synodum consentiret. Ac Grotius quum in Senatu Amstelodamensi orationem haberet, pluribus conatus est Senatorum animum ab expetendo Concilio avocare: Nanque accidit, quod suspicatus est, ut Dordracena Synodus, quam Foederati Ordines & Princeps Mauritius

(a) *Ibid.* Interesse possunt & debent Concilio, qui ad hoc statuti fuerunt per Legislatorem fidelem. *Et mox*, Ad solius humani Legislatoris fidelis superiore carentis auctoritatem pertinet, aut ejus vel eorum, cui vel quibus per jam dictum Legislatorem potestas haec commissa fuerit, Generale concilium convocare, personas ad hoc idoneas determinare.

(b) *Ibid.* In hoc jure convocandi Synodos illud quoque comprehensum est, caussas tractandas modumque tractandi praescribere.

(c) *Ibid.* Errores ergo Synodi publicare & exequi summus Magistratus an debet? Debere nemo dixerit. An Synodo credere tenetur, adfirmanti se non errasse? At omnes hoc Synodi de se dicent, ut nuper Tridentina. An ergo erraverit, nec ne, ipse summus Magistratus diiudicare debet.

(d) *Ib. Ex doctrina Thomae Bilsoni Episcopi Wintoniensis in Brittannia*, Synodi non diversam a Principe vel illo maiorem jurisdictionem habent, sed in omnibus ei subjectae sunt, & jure Divino atque humano sic ordinatae, ut ad veritatis & pietatis amplificationem Principi praebeant consilium, ubi & quando eas congregari jusserit: Alioquin nullam ex se in Regno, ubi Christianus rerum potitur, decreti ferendi potestatem habent, nec jus audiendi componendique controversias in Ecclesia, nolente aut non permittente Principe, sibi vindicare possunt.

tius tandem convocarunt, Arminianos non modo hæreseos, sed secessionis ab Hollandica & Calviniana Ecclesia condemnaret, eosque omnibus, quibus fungebatur, muneribus abdicaret. Hujusmodi judicium propulsare ab Arminianis Grotius exoptavit, antequam Mauritius ad Gomaristas animum appelleret, & de nationali Synodo cogitaret. Quod quum eniteretur, de Pastorum Conciliis tanquam de politicis conventibus disputavit, ut summos in Belgio Magistratus de illorum temporum sacris controversiis potuisse publicam ferre legem ostenderet sine Pastorum comitiis. Igitur Grotii habemus mentem. Insistamus nunc in singulis, quæ ille percurrit.

II. Principio jus illud explicari necesse est, quod veteres Orthodoxi Imperatores sibi tribuerunt in cogendis Episcoporum Conciliis. Hoc enim non idem ipsum est, cujus auctoritate politicos aliorum Ordinum conventus congregabant: Hos enim tanquam publicarum rerum Arbitri & Domini indicebant, ut, quum accepissent quid sapientes viri de negotiis censerent, de quibus consulebantur, arbitratu suo id decernerent, quod Civitati futurum utilius existimaverint. At iidem non quasi sacrorum Rectores, sed veluti Ecclesiæ Patroni de congregandis Synodis edicebant. Noverant enim, sese, quum Christo nomen dedissent, quasi sacramentum dixisse, Ecclesiæ pro ea potestate, quam iis mandaverat Deus, profuturos. Eorum enim, quos Ecclesia complectitur, is consensus est, ut omnes, quisque pro dignitate, illius commodis deserviant: Optime Plato in lib. x. de ll., *In hominum cœtibus non communitas partis gratia, sed pars communitatis caussâ habenda est* (a). Huc Augustinus spectavit, *Aliter enim*, inquit, *servit, qua homo est, aliter qua etiam Rex est. Qua homo est, servit vivendo fideliter, qua vero etiam Rex est, servit leges justa præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo* (b). Verum ea res paulo post pluribus dicetur. Nunc quod cœptum est.

Igitur eximio vindicandæ Ecclesiæ munere veteres Orthodoxi Imperatores functi fuere, cum Œcumenicos conventus coegerunt Episcoporum & potissimum Romani Pontificis hortamentis: publicum enim Religioni præsidium ab iis allatum est. Quid enim illi tum gesserint, & quid sibi proposuerint, universa nos antiquitas docet. Providebant enim, ut ex omnibus catholici Orbis provinciis Episcopos convocarent, Regionem in Romana Republica destinarent, quo facile omnes convenirent, liberum eis commeatum darent, aut certe non intercluderent, & legem publicam abrogarent, quæ de vetandis Ordinum conventibus edicebat. Hæc quidem, antequam Synodus sociaretur: Quum enim ea convenisset, de agendarum rerum ordine cavebant, turbas cohibendas curabant, idque prospiciebant, ne Præsulibus vis inferretur in pronuntiandis sententiis. Ad extremum, quod de Religione Patres deliberaverant, id publice habebant & vindicabant, legesque rogabant, quibus politicam Patrum decretis auctoritatem adjungebant. Omnia quidem tam perspicua sunt, quivis ut facile intelligat, Imperatores, cum ad congregandas Episcoporum Synodos accedebant, non magis imperium exseruisse, quam in officio fuisse vindicandæ Ecclesiæ. Quam in sententiam intelligendus est Socrates, *Ex quo tempore*, inquit, *Principes Christiani esse cœperunt, ab illis pependerunt negotia ecclesiastica: & maxima quæque Concilia eorum sententia tum convocata sunt antea, tum hodieque coguntur* (c). De publica enim fide, in quam Christiana sacra recepta sunt, Socrates disputat. Proferantur Augustorum Epistolæ, quas ad Metropolitanos scripserunt de convocandis in Synodos Episcopis. Non enim illi agunt, quasi rerum, de quibus judicium erat ferendum, moderatores, sed Religionis tutelam,

con-

(a) Μερος μεν ἑνεκα ὁλου καὶ οὐχ ὁλον μερους ἑνεκα ἀπεργαζεται.
(b) *In Epist. ad Bonif.*
(c) *Hist. Eccl. lib. v. in prœmio*, Τὰ δ' Ἐκκλησιαστικὰ πραγματα ἠρτητο ἐξ αὐτων, και αἱ μεγισται Συνοδοι τῃ αὐτων γνωμῃ γεγονασι τε και γινονται.

conciliandæque in Ecclesia pacis studium sibi solum vindicant. Augusta Marciani Imperatoris uxor ad Bithyniæ Consularem de Concilio Calchedonensi, *Consilium*, inquit, *nostræ tranquillitatis est . . . orthodoxam fidem, qua contineri judicamus nostrum Imperium, imperturbatam & immotam ab omni hominum genere custodiri* (d).

III. Jamvero pressius cum Grotio edisseramus. Quo jure, is inquit, Romani Imperatores Sapientum Concilia indixerunt ad capiendum de publicis rebus consilium, eodem Episcopos in Synodum congregarunt ad constituenda Religionis negotia. Igitur quum inter omnes constet, justum in Civitate esse non posse politicum conventum, quem summa Potestas non constituit, plane illud sequitur, in universis Synodis, quæ ab Augustis convocatæ sunt, justam inesse auctoritatem, quæ iis abroganda est, quas iidem cogi non jusserunt. At contra vetus Ecclesia censuit. Nanque omnia Arianorum Episcoporum Concilia rejecit, quæ ab Imperatoribus coacta fuerunt, & multa suscepit, quæ sine Imperatorum jussu convenerant. Nec operæ pretium est, de hujusmodi Conciliis commemorare, quæ ab historiæ ecclesiasticæ Scriptoribus facile omnes accipiunt. Inter multa eo potissimum pertinet Dialogus, quem Maximus Constantinopolitanus Monachus cum Theodosio Cæsariensi Episcopo habuit olim. Præclare Athanasius, *Quando unquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit* (a)? Et Gelasius Papa, quamvis ordine omnia exposuisset, quæ ad bene gerendam Synodum requirebantur, de convocatione tamen ne verbum quidem ullum injecit: Etenim sive Romanus Pontifex, sive Principes ad Synodos Præsules convocaverint, rem in medio reliquit, *Male gesta Synodus*, inquit, *contra Scripturas sanctas, contra doctrinam Patrum, contra regulas ecclesiasticas, quam tota merito Ecclesia non recepit, & præcipue Sedes Apostolica non probavit. Bene gesta Synodus, idest secundum Scripturas, secundum traditionem Patrum, secundum Ecclesiasticas regulas pro Fide Catholica & communione prolatam, quam cuncta recepit Ecclesia, quam maxime Sedes Apostolica comprobavit* (b). Igitur concludamus necesse est, Judicem existere in Catholico Orbe, cujus potestati & Fidei Religionem Deus credidit, Œcumenicum Episcoporum conventum, nec magni referre, utrum Romanus Pontifex, re Catholicis Principibus denunciata, an Principes, monente & rogante Romano Pontifice, illum congregaverint: Quod paucis perfecit Joannes Launojus contra eos, qui Tridentinam Synodum antiquare conati sunt ea de caussa, quod, non indicentibus Europæ Regibus, illam Romanus Pontifex habuerat (c).

IV. His ita constitutis proximum est, ut despicatui ducamus omnia, quæ porro de Synodis Grotius disputavit. Omnia enim eo errore dixit, quia existimabat, eas a Principibus quasi omnium Sacrorum Moderatoribus & Arbitris congregari in Christiana Republica. Ac primum iis datum non est ad Synodos, in quibus de Religione referri necesse sit, eos solum Præsules evocare, quos ipsi delegerint. Omnes enim Episcopi Religionis interpretes & cognitores sunt, ex quo universus eorum Ordo convocandus est, ut Catholicæ Ecclesiæ, quæ in eo continetur, judicium promatur. Ecquis enim veterum Imperatorum in controversiis de Fide Catholicorum Episcoporum delectum instituit? Constantiuus quidem universos Orbis Antistites ab iis fortasse, qui Provinciis præerant, commonendos curavit, ut in Nicænam Synodum proficiscerentur

(a) *In Actis Conc. Calch. p. p. tom.* VI. *edit. Fl.* Σχ·πος τῇ ἡμετέρᾳ γαλυνοωντι . . . ὀρθ. δ ξ ν πιστιν, ἣν συνέχειν πεπιστεύκαμεν την ἡμετέραν βασιλειαν, ἀταραχον και ἀσαλευτον παρὰ παντὸς τοῦ των ἀνθρώπων γενους φυλαττεσθαι.

(b) *In Epist. ad solitariam vitam agentes.*

(c) *In Epist.* XIII. *ad Episcopos Dardaniæ.*

(d) *In Epist.* XI. *ad Ludovicum Cusinum Nummariorum Judicum Præsidem.*

rentur (a). Mandato accepto singulæ Provinciæ doctissimos quosque & pientissimos Præsules Nicæam miserunt: *Ex omnibus Ecclesiis*, inquit Eusebius Pamphili, *quæ universam Europam, Africam, atque Asiam impleverant, ii qui inter Dei Ministros principem locum obtinebant, simul convenerunt . . . Pontus, Galatia, Pamphylia & Cappadocia, Asia quoque & Phrygia lectissimum quemque ex suis præbuerunt* (b). Reliqui orthodoxi Imperatores ad universos Metropolitanos Epistolas scribebant, in quibus non modo Concilium, sed Concilio diem & locum indicebant. His vero delata erat optio arbitratu suo Episcopos capiendi, qui ad Concilium abirent. Nam Episcopi, qui in provinciis relinquebantur, quid ipsi putarent, per alios declarabant. Sic Valentinianus & Marcianus in cogenda Chalcedonensi Synodo rem gesserunt. Nanque *omnibus ubique Religiosissimis & Reverendissimis Episcopis* (c) epistolas miserunt: singulos vero ita affati fuerunt, *Unde tua Sanctitas cum quibus approbaverit Reverendissimis Episcopis . . . . ad Nicænam Civitatem* (eam in Urbem primum Synodum, quæ Calchedone habita est, congregari Imperatores jusserant) *proximis Kalendis Septembris advenire festinet* (d).

Grotius profitetur, Metropolitanos ex Provinciæ suæ Episcopis eos elegisse, qui ad Synodum venirent, sed eo in munere sacram Imperatorum vicem obivisse. Quibus nimirum momentis (e)? An quod Imperatores Metropolitanis, quibus Concilium denunciare solebant, porro iniungebant, ut ex Præfectura quisque sua Episcopos, quos vellent, ad Concilium venturos eligerent? At enim hoc quidem non idem valebat, atque regium munus Metropolitanis injungere. Nanque id ipsum erat, ac jure tutelæ, in quam Orthodoxi Principes Religionem susceperant, Metropolitanos officii commonefacere, ne Synodo adesse negligerent, & quos ipsi deligerent, Provinciæ Episcopos adducere. Nanque non modo oportebat Synodum esse frequentem, sed cavendum erat, ne Provinciæ Pastoribus omnino destituerentur: Quod Imperatores sæpe in epistolis ad Metropolitanos commonebant. Sic Theodosius de Synodo Ephesina ad Cyrillum, *Curabit Pietas Tua post futurum (quod cum Deo dictum sit) sacrum Pascha venire in Ephesum Asiæ sub ipsam Pentecostes diem: efficietque ut una adsint sanctissimi suæ præfecturæ Episcopi pauci, quos ipsa elegerit: ita ut nec sacrosanctis Ecclesiis in Præfectura qui sufficiant, neque rursus, qui ad Synodum idonei, desint. Similia scripta sunt a nostro Numine de ante dicta sanctissima Synodo Dei amantibus Episcopis*

(a) *Euseb. de Vita Const. lib.* III. *cap.* VI., Σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει, σπεύδειν ἁπανταχόθεν τοὺς Ἐπισκόπους γράμμασι τιμητικοῖς προκαλούμενος, Generalem Synodum convocavit, honorificis litteris Episcopos undique invitans, ut quantocius adessent.

(b) *Ib. cap.* VII. Τῶν γοῦν Ἐκκλησιῶν ἁπασῶν, αἳ τὴν Εὐρώπην ἅπασαν, Λιβύην τε, καὶ τὴν Ἀσίαν ἐπλήρουν, ὁμοῦ συνῆκτο τῶν τοῦ θεοῦ λειτουργῶν τὰ ἀκροθίνια . . . . Πόντος τε, καὶ Γαλατία, καὶ Παμφυλία, Καππαδοκία τε, καὶ Ἀσία, καὶ Φρυγία, τοὺς παρ' αὐτοῖς περιεῖχον ἐκκρίτους.

(c) *In actis Conc. Calch. ed. Fl. pag.* 551. Τοῖς ἁπανταχοῦ θεοφιλεστάτοις ἐπισκόποις.

(d) *Ib.* Ὅθεν ἡ ἁγιότης ὑμῶν μεθ' ὧν ἂν δοκῇ θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων . . . ἐπὶ τὴν Νικαίων πόλιν ἐντὸς Καλανδῶν σεπτεμβρίων σπουδάσατε.

(e) *Ita ille* in Pietate Ordinum, Quicunque diligenter perlegerit veterem Ecclesiæ historiam, inveniet Principes Christianos hoc jure usos ut ad Synodum venturos aut per se aut per alios eligerent: Per alios, inquam, nimirum per Metropolitas a se constitutos; quia vix poterant ipsi Principes nosse, quis in quaque regione esset maxime ad eam rem idoneus.

scopis earum, quæ ubique sunt, matricum Urbium (a). Hæc quidem de Synodis Œcumenicis, in quibus de Religionis dogmate Catholicæ Ecclesiæ judicium reddendum erat. Nanque si quæ caussæ agerentur, in quibus de singularibus Catholici Orbis Ecclesiis, aut de aliquo Episcopo quæreretur, earum cognitionibus illi Judices præesse solebant, quos Orthodoxi Imperatores dabant. His enim in caussis iidem, qui in certamen venerant, ad Principes receptum sæpe habuerunt, ut ad conciliandam inter eos pacem & ad tollendas dissensiones Episcoporum Senatum cogerent. Eam ob rem Constantinus Magnus, rogantibus Donatistis, mandavit Gallis Episcopis, quos elegit, ut de iis omnibus, quæ Cæciliano objiciebantur, in Melchiadis Romani Pontificis Concilio censerent: quod paulo ante multis exposuimus.

V. Sequitur, Imperatores, cum Synodis præscripserunt hoc ipsum, de quo judicarent, & rationem, ex qua judicium instituerent, id eodem tutelæ jure facere potuisse, quo illas convocarunt. Nanque, Synodis jam sociatis, illi in eodem, quod semel susceperant, defendendæ Ecclesiæ studio insistebant, ita ut Episcopos sæpe juberent ad Sacras Scripturas, ad Patrum doctrinam & ad superiorum Conciliorum fidem exigere quidquid decernerent. Cujusmodi officii Ephesinos Episcopos Valentinianus ac Theodosius, & Calchedonenses Martianus admonuerunt. At Cæsares his majora esse ausos Grotius censuit. Nanque dixit, Constantium & Constantem Sardicenses Patres voluisse de iis etiam deliberare, quæ in cæteris Synodis de Fide decreta fuerant (b). Attamen habemus ipsos Sardicenses Patres, quos potius audiamus de consilio Imperatorum dicentes in Synodicis, quam quemquam Principem Arminianorum. Illi enim testes sunt, Augustis fuisse in animo, ut Synodus, quam coëgerant, Eusebianorum fidem diligenter requireret, eosque cum Catholicis conciliaret. Sic enim in Synodica Epistola ad Orbis Episcopos Augustorum animum aperuerunt, *Multa quidem commiserunt Ariomanitæ adversus servos Dei, qui rectam fidem custodiunt. Nam cum adulterinam doctrinam supposuissent, Orthodoxos persequi instituerunt. Itaque ipsi Deo carissimi Principes Sanctam hanc Synodum in Urbe Sardicensi celebrari permiserunt, quo tum omnis discordia tolleretur, tum omni fidei pravitate expulsa sola in Christum pietas apud omnes ubique servaretur* (c). Nec porro iidem Patres imperatorium ullum mandatum meminerunt, in quo edictum esset, superiorum Conciliorum decreta de dogmate amplius esse cognoscenda. In altera vero Synodica, quam ad Julium Romanum Pontificem scripserunt, quid Constantius & Constans Sardicæ Concilium convocantes sibi proposuerint, his verbis exposuerunt, *Permiserunt religiosissimi Imperatores, ut de integro universa discussa disputarentur, & ante omnia de Sancta Fide & de integritate veri-*

 tatis

(a) *In Epist. ad Cyril.* φροντίσει ἡ σὴ θεοσέβεια μετὰ τὸ ἐπιὸν σὺν Θεῷ ἱερὸν πάσχα εἰς τὴν Ἐφεσίων τῆς Ἀσίας παραγενέσθαι κατ' αὐτὴν τῆς ἁγίας πεντηκοστῆς τὴν ἡμέραν. ὀλίγους οὓς ἂν δοκιμάσειεν ἐκ τῆς ὑπ' αὐτὴν τεταγμένης ἐπαρχίας ἁγιωτάτους ἐπισκόπους εἰς τὴν αὐτὴν συνδραμεῖν παρασκευάσασα. ὥστε καὶ τοὺς ἀρκοῦντας ταῖς κατὰ τὴν αὐτὴν ἐπαρχίαν ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, καὶ τοὺς τῇ συνόδῳ ἐπιτηδείους μηδαμῶς ἐλλεῖψαι. γέγραπται γὰρ τὰ ἴσα παρὰ τῆς ἡμετέρας θειότητος περὶ τῆς προλεχθείσης ἁγιωτάτης συνόδου τοῖς Θεοφιλέσιν ἐπισκόποις τῶν ἁπανταχοῦ μητροπόλεων.

(b) *Ib.* Constans & Constantius in Sardicensi Concilio etiam quæ prioribus Synodis definita erant, iterum recognosci voluerunt.

(c) *Apud Theodoretum Hist. Eccl lib.* II. *cap.* VIII. πολλὰ μὲν καὶ πολλάκις οἱ Ἀρειομανῖται ἐτόλμησαν κατὰ τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ τῶν τὴν πίστιν φυλαττόντων τὴν ὀρθήν. νόθον γὰρ ὑποβάλλοντες διδασκαλίαν, τοὺς Ὀρθοδόξους ἐλαύνειν ἐπεχείρησαν . . . τοιγαροῦν οἱ θεοφιλέστατοι βασιλεῖς . . . τὴν ἁγίαν ταύτην Σύνοδον ἐπὶ τὴν Σαρδικησίων πόλιν γενέσθαι δεδώκασιν. ἵνα πᾶσα μὲν διχόνοια περιαιρεθῇ, πάσης δὲ κακοπιστίας ἐξελαθείσης, ἡ εἰς τὸν Χριστὸν εὐσέβεια μόνη παρὰ πᾶσι φυλάττηται.

tatis quam violaverunt . Hæc sane , quæ Grotius respexisse videtur , in eum sensum explicanda sunt, ut cum iis concinant , quæ iidem Patres Orbis Episcopis nuntiaverant . Atque ex utraque Synodica plane percipimus, Constantium & Constantem jussisse Sardicensem Synodum in iis omnibus versari . quæ in superioribus conventibus requisita fuerant non de Religione , sed de præcipuis Eusebianorum Episcopis , qui eam violasse accusabantur , & per idem tempus providere , an eorundem doctrina cum Catholicæ Ecclesiæ Fide consentiret. Atque ita de Cæsarum mandato existimemus omnino necesse est . Nanque Sardicenses Patres nullum de Fide condiderunt decretum. Legimus equidem in fine Synodicæ Sardicensis ad Orbis Episcopos , quam Theodoretus exscripsit, quandam Fidei conceptionem a Nicæna verbis discrepantem , sed sententiis consentientem: Ex quo Sozomenus, *Aliam Fidei conscriptionem* (Patres Sardicenses) *ediderunt prolixiorem quidem Nicena : eandem tamen continentem sententiam, nec multum ab illius verbis dissidentem* . (a) Neque secus , atque Sozomenus , Virgilius Tapsensis Antistes ratus est (b). At enim hujusmodi Symbolum non Sardicensis Synodus, sed pauci quidam Theologi evulgarunt , & ad Synodi epistolam in aliquibus fortasse codicibus attexuerunt . Hoc declarat Synodus Alexandrina , quæ recens a Sardicensis Concilii ætate habita est, in Synodica, quæ apud Athanasium legitur in Epistola ad Antiochenos , *Tabellas* , inquit , *quas nonnulli jactant , quasi ex Sardicensi Synodo de Fide conscriptas , ne legi quidem semel , aut proferri finatis . Nihil enim tale Concilium definivit* (c) . Testis est & Hilarius, qui cum Sardicensem Synodicam attulisset, eidem finem eo fecit loco , unde Fidei conceptio apud alios initium capit . Igitur miramur , viros eruditos & doctos Theodoretum , Sozomenum & Virgilium id ipsum , quod ab Athanasio & Hilario accepimus , aut ignorasse , aut si sciverint , contra fidem dissimulasse. Plura disputant Baronius (d), Natalis Alexander (e) , & Henricus Valesius (f).

VI. Jamvero nihil confidentius aut magis temere dici unquam potuit , quam Orthodoxos Imperatores de Conciliis Œcumenicis judicasse , & ad Sacras Scripturas omnia perpendisse , quæ in illis Præsules censuerant, aut etiam iisdem addidisse & derogasse, quæ deesse aut superare existimassent. Hoc tamen cum Grotius posuisset, audacter effecit quod ex eodem sequebatur , Œcumenicos Episcoporum conventus ab Imperatoribus fuisse convocatos, ut Sapientum veluti chorum haberent, quem consulerent, antequam publice de Fidei quæstionibus edixissent . Atque ista ex iis, quæ pluribus disputavimus, omnino confutata non desiderant porro orationem nostram . Œcumenica enim Concilia mandatam ab ipso Deo potestatem sibi tribuunt in rebus Religionis. Nam in iis, si jure sociata & habita sint , prospiciens Ecclesiæ Deus loquitur . Eaque fuit omnium veterum Imperatorum de Conciliis sententia , quorum testimonia allata sunt alias . Ad eos Justinianus ad Dacianum Metropolitam Concilii Byzaceni in Africa affirmat, *cœlitus esse constitutum , quidquid Apostolica decernit auctoritas*, & quæ Patres censuerunt, *adventu superni Numinis esse inspirata* . Hæc quidem , quæ uberius nempe paulo ante pertractata sunt, sine ulla dubitatione declarant , maximam in Œcumenicis Conciliis resedisse auctoritatem , & eorum decretis Divinis veluti

---

(a) *Eccl. Hist. lib.* III. *cap.* 12. ἐξέθεντο δὲ καὶ αὐτοὶ . . . πίστεως γραφὴν ἑτέραν, πλατυτέραν μὲν τῆς ἐν Νικαίᾳ φυλάττουσαν δὲ τὴν αὐτὴν διάνοιαν, καὶ οὐ παρὰ πολὺ διαλλάττουσαν τῶν ἐκείνης ῥημάτων.

(b) *Lib.* 5. *contra Eutychem.*

(c) *Pag.* 576. *edit, Paris.*

(d) *In Fragmentis*

(e) *Diss.* XXIX. *in Hist. Eccles. sec.* IV.

(f) *In Notis in Theod. ib.*

veluti oraculis, morem fuisse gerendum. Itaque tantum abfuit, ut Synodicis decretis sive addere sive derogare Orthodoxi Cæsares cogitaverint, ut potius sese ab officio suo recessuros crediderint, nisi in publicam tutelam ea suscepissent. Decreta autem de rebus dogmaticis seponenda sunt ab iis, quæ ad disciplinam pertinent. Hæc enim Principes requirere & perpendere potuerunt, quod ea plerumque ad Clericos & ceteros Christianos respiciebant, quibus Respublica continetur. Nanque prospiciendum erat, an illa publicæ tranquillitati officerent, antequam ascita essent in Civitate: Qui locus copiose expositus est ab iis, qui rem canonicam præclare adornarunt, & potissimum ab Archiepiscopo Parisiensi Petro de Marca (a).

VII. Hactenus satis docuimus, pios & Augustos Principes tanquam publicos Religionis Tutores Synodos congregasse, ad quas omnes Episcopos sine ullo eorum delectu evocarunt. Illos quidem Synodis sæpenumero id ipsum dictitasse, de quo judicarent: attamen hoc non aliorsum spectasse, atque ad Episcopos officii commonefaciendos ut de iis sacris, quæ in quæstionem venerant, accurate & diligenter censerent: Porro eosdem de Fidei decretis nec judicasse, nec judicare potuisse: iis enim statim obtemperasse, & publicam solum firmitatem adjunxisse. Ergo efficitur Episcoporum Synodos in Romano Orbe diversas fuisse ab aliorum Ordinum Conciliis, quæ ob publicas rationes convocata fuerunt, illasque Divinos Religionis extitisse Conventus, quibus dicto audientes fuerant omnes Christiani Imperatores.

CAP.

(a) *De Conc. Sacer. & Imp. lib. II. cap.* 10.

C A P. IX.

I. De consilio, quod Grotius suscepit, percutiendi fœderis inter omnes Christianorum dissidentes sectas.
II. Quid Grotius studet, cum contendit Principes posse tolerantiam jubere inter plures Christianorum factiones. Seponuntur duo Tolerantiæ genera, Ecclesiasticum & politicum.
III. Agitur de Henoticis Ecclesiasticis sive iis edictis, quibus Societates in Religione discrepantes ad unam Ecclesiam compelluntur. Ea concipere non Principum, sed eorum est, qui Ecclesiæ præfecti sunt. Istud non modo Hæreticorum consensu, sed ipsius Grotii, qui veterem sententiam mutavit, testimonio probatur.
IV. In Henoticis scribendis eæ conditiones dicendæ sunt, ut dissidentes non modo in præcipuis Religionis scitis, sed in universa catholica doctrina consentiant.
V. De Principum partibus in constituenda omnium Christianorum societate.
VI. De Tolerantia politica. Principum officium explicatur in iis, qui Catholicæ Ecclesiæ dissentiunt, a fraude revocandis.
VII. Refellitur Barbeyracius, qui Tolerantiam civilem prohiberi non posse Principum imperio affirmavit.

I. PErgimus modo istud refellere, quod reliquum est de universa Grotiana sententia. Cum enim is censuisset, summos Magistratus publicæ Religionis esse judices & rectores, plane effecit, in eorum esse potestate & munere, ut, rebus diu deliberatis & in consilium missis, possint judicare de constituenda inter dissidentes Christianos Tolerantia, deque conjungenda inter eosdem officiorum societate. Grotius quidem animo conceperat fœderatam quandam Ecclesiam, in qua essent Lutherani, Calviniani, Arminiani, Sociniani, Græci & Catholici. Cogitaverat tanti fœderis has conditiones, ut omnes Christiani convenirent in paucis, sed præcipuis Religionis rebus, quas fundamenta dicebat, & in cæteris doctrinis liceret iis sentire quod collibitum fuisset, quin tamen ab una eademque secederent Ecclesia. Id quidem studebat, cum libros in edendos otium impendebat, cum ad Principum amicitias se applicabat, cum denique clarissimis in Republica litteraria viris crebras epistolas scribebat. Sæpe in spem venit consilium suum prospere processurum, & sæpe conquestus est, quod contra votum res eveniret. Eum in finem ad Religionem, quam revera colebat, aliquid addebat, aut de eadem aliquid derogabat. Adeo omnibus placere satagebat: Ex quo nonnemo hoc poëmatium in eum lusit.

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamius, Argos, Athenæ
Siderei certant vatis de Patria Homeri.
Grotiadæ certant de Religione Socinus
Arrius, Arminius, Calvinus, Roma, Lutherus (a).

Cum igitur ille in eam incumberet conciliandam concordiam, credidit facile perfici posse, quod animo volvebat, si Reges & Rerumpublicarum moderatores summo consensu Henoticum aliquod scriberent, cujus auctoritas spectaret ad universas Christianas factiones in unam Ecclesiam congregandas. Nanque hujusmodi Henoticum exoptavit, in quo, postquam plane exposita essent præcipua Religionis dogmata, ediceretur, unam esse eorum Christianorum Ecclesiam, qui in his consentirent, eosdemque, licet in reliqua Divinarum rerum doctrina dissentientes, debere inter sese tolerari, nec officiorum disjungi consuetudine. Atque illum ob causam auctor fuit, ut Domini Hollandiæ Ordines legem juberent de consociandis Gomaristis & Arminianis, qui de rebus Divinis diutur-

(a) *Menag. tom. 4. pag. 182.*

diuturnum commiserant certamen. Ordines enim Hollandici clarissimos utriusque factionis viros ad colloquium adigendos curarunt, atque utrisque de Religione disputantibus judices affuerunt, cumque perpendissent, quidquid ab iis allatum est, tandem edicto perlato sanciverunt, ut, rejectis nonnullis, quæ reiicienda esse duxerunt, iidem, etiamsi in reliquis discrepantes Ecclesiasticam inter sese pacem & amicitiam conciliarent (a). Sic ordines sese gesserunt Grotii consilio & auctoritate, contra quem porro dicemus.

II. Exponamus autem primum, quid valeat id ipsum, quod Grotius pronunciat, Principes posse Tolerantiam jubere inter discrepantes Christianorum factiones. Omnis de eo, quod agimus, duplex est quæstio: alterum enim Tolerantiæ genus est Ecclesiasticum, alterum vero, quod vocamus politicum. Tolerantia Ecclesiastica est, si Ecclesia eos, quos cum dogmate suo dissentientes existimavit, complexu suo non divellat, quin & iis æternam salutem despondeat. Politica vero est, si Respublica ab iis, quos Ecclesia a Catholico dogmate defecisse censuit, nullas civiles pœnas repetat, sed ipsos contra inter cives versari suos patiatur. Non enim Ecclesiæ eadem tribuenda sunt, quæ Reipublicæ: Illa sine civili dominatu, sed cum ea, quæ tota ad animos spectat, potestate geritur, hæc vero sine publica vi procurari non potest. Grotius de utroque Tolerantiæ genere disputavit. Atque arbitratus est quidem, Principes posse decertantibus Christianis conventibus Ecclesiasticam imponere Tolerantiam, eamque ad rem publice leges rogare. Nanque contendit, eosdem eo potiri jure, ut inter omnes Christianas sectas possint fœdus percutere, illasque in unam cogere Ecclesiam, in qua iisdem æterna salus desponsa sit. De politica autem Tolerantia Arminianus sic habuit, Principum non esse partes, in eos animadvertere, qui secesserunt è publicis sacris, quamdiu nec superstitionem, nec dogma Civitati perniciosum palam adsciscant, neque animos avertant ab ineunda cum ceteris Christianis cœtibus societate, quæ politicis jussis sit præcepta. Sic ille, ex quo Principibus adscribit, quod eis non est tributum, detrahit vero aut imminuit, quod in eorum inest Imperio.

III. Dicamus ergo de jure Principum in sanciendis Henoticis tum Ecclesiasticis, tum politicis. Primum de Ecclesiasticis. Hujusmodi Henotica in id consilium scribuntur, ut societates in dogmate aut in disciplina decertantes ad eandem evocentur Ecclesiam, in qua immortalem sibi salutem promittere possint. Antequam vero illa perferantur, eorum, qui dissident, doctrina requirenda est, de qua judicium ferri oportet an Catholicæ Religionis dogmati consentiat. Id vero cum ita se habeat, tota ea res ad illos pertinere debet, quibus Christus regendæ Ecclesiæ & docendæ Religionis potestatem credidit, hoc est ad universos Catholici Orbis Antistites. Atque si Principes quidem

---

(a) *De hoc Ordinum decreto Grotius in Oratione ad Senatum Amstelodamensem*, Progrediemur deinceps, Domini observandi, ad secundum Decretorum illustrium Ordinum caput, quod consistit in mandato de servanda per mutuam Tolerantiam Ecclesiarum concordia, non obstantibus Theologicis controversiis super capite Prædestinationis eique annexis in Ecclesiis Ditionis eorum exortis .... Adversus ista allegatum est a nonnullis, negotium istud, cum sit Ecclesiasticum, examinari prius debere in legitimo aliquo Synodali conventu: sed ostensum sæpius est contra, Synodalem ejusmodi Conventum hac in re non esse necessarium, imo, quæ nunc est temporum ratio, ne conducibilem quidem. Synodalem Conventum absolute necessarium non esse, ex iis constat quæ paulo superius dicta sunt de Auctoritate Supremo Magistratui in personas & res Ecclesiasticas competente, quo in capite Domini Amstelodamenses semper testati sunt, sibi cum cæteris membris convenire: Nam si a Deo Optimo Maximo plenissimam accepit Supremus Magistratus, quæcunque Deus in Sacrosancto suo Verbo præcipit, & jubendi simul & exequendi potestatem, (prout hactenus quidem adversus Papistas asseruerunt Reformati omnes Doctores) non est quod eum in finem auctoritatem aliquam ab Ecclesia mutuetur, imo vero auctoritate sua tenetur uti, non tantum citra, sed & contra multorum Ecclesiastarum voluntatem.

quidem hoc ipsum sibi ausint tribuere, ne Protestantibus ipsis huiusmodi auctoritatem probant suam. Illi enim in Confessione Augustana, *Hæc est usitata & legitima via in Ecclesiis dirimendi dissensiones, videlicet ad Synodos reiicere controversias Ecclesiasticas.* Et in Wirtembergica addunt, *Ecclesia habet jus testandi de sacra Scriptura, & jus judicandi de omnibus doctrinis.* Sed ipsum audiamus Grotium, quem opinionis tandem pœnituit suæ. Is enim cum animum avocasset a certaminum studiis, & naviter versatus esset in perspicienda veteris Ecclesiæ doctrina atque in evolvendis antiquorum Patrum libris, aliter censuit de auctoritate Principum in Sacris, atque per illud tempus judicaverat, cum operam adiunxerat suam summis Hollandicæ Reipublicæ magistratibus. Eam ob rem defectionis fuit arcessitus, quasi a Calviniana Ecclesia ad Catholicam Romanam secessisset. Hoc cum ei exprobraretur, ad Calvinianum virum Jacobum Laurentium scripsit, sese non iis de caussis quas ipse suspicari posset, sententiam mutasse suam, sed quod sentire cum prisca Ecclesia studeret. Igitur Amicum sic affatur, *Volo tibi dare fidele consilium, ut sacras litteras diligenter legas, non quales fluunt per rivos lutulentos, sed quales e limpido fonte: pro confessione Belgica legas confessiones veterum Christianorum, quæ extant in libris ipsorum apologeticis, pro institutionibus Calvini, commonitorium Vincentii Lirinensis, pro catechismo Ursini, Catecheses Cyrilli, pro Actis Synodi Dordrechtanæ, acta Synodorum universalium. Id si facere velis, sine studio partium, in quibus natus educatusque es, facile videbis, non Grotium Papizare, sed Laurentiadem nimis diu Calvinizare.* Atque plurimum Grotius profecerat in his sacræ antiquitatis studiis, cum evulgavit doctos atque eruditos libros, *Viam ad pacem Ecclesiasticam*, *Animadversiones in Animadversiones Andreæ Riveti*, *Votum pro pace Ecclesiastica contra examen Andreæ Riveti*, *& Discussionem Rivetiani Apologetici*. In his igitur elucubrationibus totum negotium congregandorum omnium Christianorum in unam Ecclesiam Ecclesiastico coetui demandavit. Primum ille certum habuit, *ad concordiam reponendam ineundas esse vias, non seorsum cuique, sed in commune universis. Eas autem esse tres: aut Papæ eximie boni auctoritatem: aut Concilium universale legitime congregatum in Interpapatu: aut colloquia Regum directa per Episcopos, eo animo, ut ibi cogitata postea ad sedem Romanam, ut pacis coagulum, deferrentur* (a). Tum de Romano Pontifice istud sensit, quod ab antiquitate acceperat, eum Aristocratiæ Christianæ esse Principem, cujus munus sit unitatem conciliare eamque conservare in Ecclesia. *Gravissima olim*, inquit, *quæ per Græciam, Asiamque fuere schismata, auctoritate Romanæ sedis sanata nemo negare potest, qui in Ecclesiæ historia addiscenda aliquid laboris posuerit* (b). Porro quum de Synodis œcumenicis ageret, nec pios nec pacis amantes eos existimat, qui illorum decretis non pareant. *Postquam*, sic addit contra Rivetum, *id quod in œcumenico concilio ex vi traditionis pronunciatum est, etiam ab Ecclesiis receptum est omnibus, aut pene omnibus, iis maxime, quæ sedes ab Apostolis fundatas habent, jam nihil video firmi, cur vir pius & pacis amans ei se opponat. Nam sic & apud Judæos vitatæ sunt scissuræ, quod adversus interpretationem semel a Synedrio magno pronunciatam atque firmatam contradicere nemini licuit. Hanc viam institere Ecclesiarum Præsides, cum Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches pacem Ecclesiæ turbarent* (c). Quam ergo auctoritatem Principibus esse creditam in Ecclesia putavit? Eam nimirum, quæ in publicæ tutelæ munere reposita est. Hanc vero sic explicavit, *Imperatorum & Regum aliquod esse officium etiam circa res Ecclesiæ, in confesso est. At non tale, quale in Sæculi negotiis. Ad tutandos, non ad violandos canones jus hoc comparatum est* (d). Eadem deinde Grotius docuit in universis libris, quibus *Viam ad pacem Ecclesiasticam* paravit, præsertim in annotatis ad *consultationem*, quam roga-

gata

(a) *In Voto pro Pace Ecclesiastica.*
(b) *In Animadv. ad Animad. Riveti.*
(c) *In Discussione.*
(d) *In eadem discussione.*

gatu pientiſſimorum Imperatorum Ferdinandi & Maximiliani Georgius Caſſander conſcripſit. Itaque omnes Proteſtantium Doctores exemplum habent, quod, ſi optime rebus ſuis eſſe conſultum velint, ad imitandum ſibi proponant. Nanque ominamur, eos, ſi ſublatis partium ſtudiis veterum Patrum ſcripta legerint, non modo de ſententiis ſuis aliquid remiſſuros, quod & fecit Grotius, ſed ultro ad petendam pacem cum Catholicis perventuros.

IV. Nunc quod cœpimus. Igitur nec Regibus, neque Imperatoribus, ſed iis, qui Eccleſiam adminiſtrant, hoc eſt Epiſcopis ea ineſt poteſtas, ut deliberare poſſint de concilianda inter diverſos Chriſtianos conventus ſocietate: Quæ tamen poteſtas aliorum non eſt accipienda, atque reipſa valet. Neque enim ne ipſe quidem Epiſcoporum ampliſſimus Ordo, tametſi Sacrorum ſit Rector in Eccleſia, hujuſmodi Henotica ſcribere poteſt, qualia a Regibus ſanciri poſſe Grotius exiſtimaverat. Hic enim eas Fœderis, quod percutiendum eſſet, leges expetebat, ut diſſidentes conjurarent in Religionis fundamentis, quæ pauca quidem eſſe dogmata dicebat, ſed libere diſſentirent in cæteris, etiam in iis, quæ in Œcumenicis Conciliis inter Patres convenerunt. Contra Catholica Eccleſia Religioni ſuæ derogare nihil poteſt, quam ab Apoſtolis acceptam nunquam intermiſit. Pacem cum univerſis diſſidentibus cœtibus exoptat, has tamen conditiones imponit, ut illi ne in uno quidem dogmate, quod ipſa tenet, ſecum diſcrepent, ſed in univerſa orthodoxa Fide conſentiant. Hoc conſilium Eccleſia ad conjungendam amicitiam inter ſuos & hæreticos conventus cepit, idque unum capere potuit. Nanque ſic habeamus oportet, eam doctrinæ & legum conſenſu contineri, & quamvis in plures Orbis ſocietates diviſa ſit, tamen natura ſua eſſe unam, ſive ſententiis ſibi conſpirantem & congruentem. Id ex Scripturis perſpicuum eſt (a), quod idem & Patres docent. *Si Eccleſia Dei eſt*, inquit Chryſoſtomus, *conſentiens & una eſt non tantum Corinthi, ſed etiam in univerſo terrarum Orbe. Eccleſiæ enim nomen non ſegregationis, ſed concordiæ & conſenſus nomen eſt* (b). Chryſoſtomum Theophylactus deſcribit (c). Ad hos antea nominandus erat Clemens Alexandrinus, qui affirmat, *Eccleſiam eſſe ſocietatem ex multis, in una veritate conjurantem* (d). Bene Conſtantinus Magnus, *Unam eſſe Catholicam Eccleſiam ſuam voluit Deus: cujus membra, multis licet, diverſiſque maxime locis diſperſa ſint, uno tamen ſpiritu hoc eſt Divina voluntate foventur* (e). Itaque omnes veteres Patres, cum Catholicam Eccleſiam dicunt, ſocietatem intelligunt, in univerſa Apoſtolica doctrina ſecum conſentientem, & diverſam ab omnibus, qui diſcrepant, conventibus. Cyrillus Hieroſolymitanus, *Catholica vocatur, quia docet Catholice & ſine ullo vitio*, nempe incorrupte & integre, *omnia dogmata, quæ debent venire in hominum cognitionem* (f). Clemens, quem paulo ante commemoravimus, *Solam eſſe dicimus antiquam & Catholicam Eccleſiam in unitatem*

unius

(a) *Joh.* XVII. 11. 21. 22. 23. *Rom.* XII. 5. 12. 14. 15. 16. 17. *& ſeqq.* *Eph.* I. 23. II. 16. IV. 4. V. 30. *Coloſſ.* I. 18. II. 17. 19. I. *Cor.* XII. 13. X 17.

(b) *Hom.* I. *in* I. *ad Cor.* Εἰ ἐκκλησία Θεοῦ ἐστιν, ἡνωμένη καὶ μία ἐστιν, οὐκ ἐν Κορίνθῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ. Τὸ γὰρ τῆς ἐκκλησίας ὄνομα οὐ χωρισμοῦ, ἀλλὰ ἑνώσεως καὶ συμφωνίας ἐστὶν ὄνομα.

(c) *In* I. *ad Cor.* I.

(d) *In Protreptico pag.* 56. τὴν ἐκ πολλῶν ἑνώσιν . . . ἐπὶ αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν ἀναπαυομένην.

(e) *In Epiſt ad abſentes Epiſcopos apud Theodoretum lib.* I. *cap.* IX. Μίαν εἶναι τὴν καθολικὴν αὐτοῦ ἐκκλησίαν βεβούληται Θεός. ἧς εἰ καὶ τὰ μάλιστα εἰς πολλοὺς τε καὶ διαφόρους τόπους τὰ μέρη διῄρηται, ἀλλ' ὅμως ἑνὶ πνεύματι, τοῦτ' ἐστι, τῷ θείῳ βουλήματι θάλπεται.

(f) *Catech.* XVIII. *Illum.*, Καθολικὴ καλεῖται . . . . διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλειπῶς ἅπαντα τὰ εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα.

unius Fidei, quam conantur hæreses in multas discindere (a). Sic Constantinus hæreticorum ordinem complexus non est, cum scripsit *ad Populum Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ* (b). Hinc Œcumenicæ Synodi in hæreticos ita sententiam dixerunt, *Eos Catholica & Apostolica Ecclesia anathematizat* (c), sive complexu suo depellit & ab officiorum suorum consuetudine disjungit.

Atque iidem Patres his ipsis hæreticis quos contineri in Ecclesia negarunt, spem beatæ immortalitatis ademerunt. Ad eos Ignatius Martyr Theologus omnium vetustissimus in sincera Epistola ad Philadelphienses, *Ne erretis*, inquit, *Fratres mei. Si quis schisma facientem sequatur, Regno Dei non potitur* (d): Et Cyprianus ait, *Quisquis ab Ecclesia separatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur, nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi* (e). Sic vero Pomponium alloquitur, *Neque enim vivere foris possunt, cum Domus Dei una sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia, possit* (f). Nec opus est ceteros Patres commemorare: Omnes enim in eandem sententiam loquuntur. Accedit, quod hoc argumentum Theologus Gallus doctissimus sane & pietate commendatissimus Nicolius tam copiose pertractavit, ut cæteris, qui ad idem aggrederentur, nihil reliquum fecisset. Nos ex illo complura diximus in dogmaticis Institutionibus (g). Itaque argumenti sententiam ita concludimus, non licere Catholicæ Ecclesiæ per leges, quibus eam Christus condidit, eos tolerare, qui ab ipsa dissentiunt in aliquo dogmate, sive in spem erigere æternæ salutis. Quapropter, si fœdus ineundum sit inter Ecclesiam atque eos cœtus, qui ab ipsa secesserunt, ita quidem henotica scribi debent ab Œcumenicis Conciliis, sive etiam a Romano Pontifice, ut res omnes salvas habeat Catholica Religio. Evolvatur rerum gestarum historia. Œcumenica Concilia ad Ecclesiæ societatem evocarunt Arianos, Photinianos, Macedonianos, Eutychianos, Nestorianos aliosque hæreticos, sed iis conditionibus ne in ullo Catholicæ Religionis dogmate discreparent, & ne aliis quidem verbis, atque iis, quibus Catholici uterentur, fidem exprimerent. Contra autem censuerunt de iis rebus, quæ mediæ erant, nec ad Religionis doctrinam, sed ad disciplinam pertinebant. Nanque existimarunt, hujusmodi dissensum non officere, quominus societas iniretur. Sic Concilia sese gesserunt, quod, cum perspicuum sit, pluribus non percurrimus.

V. At enim quas partes Principibus deferamus in consociandis hæreticorum factionibus cum Catholica Ecclesia? Ab illis nimirum, si in officio esse velint, providendum est, ut Conciliis vel Romano Pontifici in gerenda hujusmodi Provincia publicam operam libenter ferant eorumque consilium tueantur. Atque hoc ipsum præsidium Ecclesiæ Orthodoxi Imperatores attulerunt, in quibus unus Theodosius Magnus commemorandus est, ne si alios addamus, uberius, quam necesse est, rem pertractare videamur. Is per illud tempus Imperium suscepit, cum Orientis Ecclesia in plures defecerat contrarias sectas. Ariani omnium rerum potiebantur: Nanque Reipublicæ quadraginta annos præfuerant Imperatores Constantius & Valens qui ad Arianas partes secesserant. Nicæna Synodus Catholicæ Fidei decretum jamdiu condiderat, pertuleratque eos omnes, qui in eo consentirent, Ecclesiæ esse adscriptos. Hæc Fides incorrupte atque integre se habebat in Romana Ecclesia, quam Damasus administrabat, & Alexandriæ, in qua Petrus

(a) *Strom.* VII. μονην εἶναι φαμεν την ἀρχαιαν και καθολικην ἐκκλησιαν εἰς ἑνότητα πιστεως μιας . . . ἣν οἱ πολλας κατατεμνειν βιαζονται αἱρεσεις.

(b) *Apud Athanasium tom.* I. *pag.* 779. τῳ λαῳ της κατὰ Αλεξανδρειαν καθολικης Εκκλησιας.

(c) Τουτους ἀναθεματίζει ἡ Καθολικη, και Αποστολικὴ του θεου Εκκλησια.

(d) Μὴ πλανᾶσθε ἀδελφοι μου, εἴτις σχίζοντι ἀκολουθεῖ, βασιλειαν θεου οὐ κληρονομεῖ.

(e) *Lib. de Unit. Ecclesiæ.*

(f) *Epist.* 62.

(g) *Vol.* I. *part.* 2. *Prop.* II. *in Sch.*

trus erat Episcopus. Igitur Imperator omnium gravissimus legem promulgavit, in qua, cum omnes ad Catholicam societatem evocaret, iis eandem imposuit fidem, quam Nicæna Synodus scripserat, & tum Romanus Pontifex, ac Petrus Alexandrinus sequebantur: quo facto publicam Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem adjungere studuit: Hujusmodi enim Legem ad Populum Urbis C-Politanæ misit, e qua in omnes Orientis Provincias deferri posset. Sic vero edixit, *Cunctos Populos, quos Clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus Religione versari, quam Divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis Religio usque nunc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ Sanctitatis, ut secundum Apostolicam disciplinam, evangelicamque doctrinam Patris & Filii & Spiritus Sancti unam Deitatem sub parili Majestate & sub pia Trinitate credamus* (a). Hoc edictum ita scriptum est, quivis ut intelligat, rem ipsam, quæ agitur, ad Theodosium, tanquam ad Ecclesiæ tutorem pertinuisse. Nanque nec ille judicavit de doctrina, quam Ariani docebant, neque *ἐκθέσιν Religionis formulam* condidit, qua omnes sociari cives imperavit, sed Nicænam Fidem publice rogavit, quam nimirum *Apostolicam disciplinam, Evangelicamque doctrinam* dixit, & quam Romana Ecclesia, Damasus Pontifex & Petrus Alexandrinus sibi habebant. Atque negotium Theodosius prudenter gessit, idque ex prisco Patrum instituto, qui Orthodoxam esse Religionem, quæ in Romana Ecclesia esset ascita, certo præjudicio existimabant: quod pluribus disputavit vel Jacobus Gothofredus (b). Nos plura non addimus. Habemus enim explicatum omnem, ut arbitramur, ecclesiasticæ tolerantiæ locum, qui paucis his exponi potest, amplissimum Episcoporum Ordinem in Conciliis Œcumenicis, sive Romanos Pontifices consulere de sanciendo fœdere cum dissidentibus Christianis debere, cumque Orthodoxa Ecclesia nec illos tolerare, nec complexu suo continere possit; qui ab ea in dogmate dissentiunt, fœderis tales esse scribendas leges, ut, salvis omnibus Catholicæ Religionis rebus, peragatur, sed Regibus atque Imperatoribus officium esse

 injun-

(a) *Leg.* 11. *Cod. Theod. tit.* de fide Catholica. *Videamus quid Sozomeus de hoc Theodosiano henotico scripserit lib. 7. cap.* 4: Ἔγνω, *inquit*, τὰ πρὸς Ἕω στασιάζειν ὡς καὶ τοὺς λαοὺς εἰς διαφόρους αἱρέσεις μεμερίσθαι, καὶ μάλιστα ἀνὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν. λογισάμενος δὲ ἄμεινον εἶναι προαγορεῦσαι τοῖς ὑπηκόοις ἣν ἔχει περὶ τὸ θεῖον δόξαν, ὥστε μὴ βιάζεσθαι δοκεῖν ἀθρόον ἐπιτάττοντα παρὰ γνώμην θρησκεύειν ΝΟΜΟΝ ἐκ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗΣ προσεφώνησε τῷ ΔΗΜΩ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΠΟΛΕΩΣ. συνεῖδε γὰρ ἐντεῦθεν, ὡς ἀπό τινος ἀκροπόλεως τῆς πάσης ὑπηκόου καὶ ταῖς ἄλλαις πόλεσι δήλην ἔσεσθαι ἐν τάχει τὴν γραφήν. ἐδήλου δὲ διὰ ταύτης, βούλεσθαι πάντας τοὺς ἀρχομένους θρησκεύειν, ὡς ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαίοις παρέδωκε Πέτρος, ὁ κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων, ΕΦΥΛΑΤΤΟΝ δὲ τότε ΔΑΜΑΣΟΣ ὁ Ῥώμης Ἐπίσκοπος, καὶ Πέτρος Ἀλεξανδρείας, Καθολικὴν τὴν Ἐκκλησίαν ὀνομάζεσθαι. τοὺς δὲ παρὰ ταῦτα δοξάζοντας, αἱρετικοὺς προσαγορεύεσθαι, καὶ ἀτίμους εἶναι, καὶ τιμωρίαν προσδέχεσθαι: Comperit Orientem versus provincias tumultuari, ita ut populi in varias sectas divisi essent, ac præcipue Constantinopoli. Cum igitur apud se reputasset satius esse, ut suam de Divinitate sententiam ipsis subditis suis palam prædicaret, ne vim inferre videretur repente invitis, quid colendum esset præcipiendo, Thessalonicæ positus legem dedit ad Populum Urbis C-Politanæ. Perpendebat enim animo fore, ut illinc tanquam ex arce totius Imperii, rescriptum suum reliquis quoque Civitatibus brevi innotesceret. Significabat autem eo rescripto, velle se, ut omnes subditi sui eam Religionem sequerentur, quam Petrus Apostolorum Princeps Romanis ab initio tradidisset, & quam eo tempore Damasus Romanæ Urbis Episcopus, ac Petrus Alexandrinus servarent. Utque eorum dumtaxat Ecclesia, qui Divinam Trinitatem æquali honore colerent, catholica nominaretur: qui vero aliter sentirent, hæretici dicerentur, infamesque essent, seque scirent supplicio afficiendos.

(b) *In Comm. ad Leg. cit.*

injunctum ut Pontificibus publicum adjungant præsidium in hujusmodi concilianda societate.

VI. Nunc de politica Tolerantia, quam, si civibus sentiendi libertas adimenda non est, Arminiani affirmant, legibus esse permittendam sanciendamque in Republica. Illi quidem constituunt, omnes eos, qui Religionem publico jure receptam non probant, (hos enim hæreticos habent), impune & libere posse versari in Civitate, & separatim Concilia habere, in quibus docere liceat, quæ ad Religionem suam spectant, etiamsi patriis sacris sint contraria. Addunt, optime Magistratus Reipublicæ consulere, si doctos atque eruditos viros delegerint, qui rationum ductu & momentis in amicis colloquiis operam daturi sint ad eos, qui a publica Religione recedunt, ab errore revocandos. Putant autem, fas non esse, publicas ab iisdem hæreticis repeti pœnas (a)], nisi Civitatis tranquillitatem intercipere studeant, atque ad id facien-

(a) *Certatum est diu de politica in hæreticos potestate inter* Calvinianos *&* *Arminianos. Joannes Calvinus cum morte Servetum affecisset, ad sententiæ suæ rationem ab invidia vindicandam librum edidit, in quo hæreticos politicis pœnis esse coercendos perficit. Calvino ea in re adversatur aut Castellio, aut Lælius Socinus, aut quisquis evulgavit*, Dialogum inter Vaticanum & Calvinum. *Hunc, quem potius Lælium Socinum existimaveris, inultum impunitumque non dimisit Theodorus Beza. Is duplex Christianorum, qui non recte in aliquo Christianæ Religionis dogmate sentiunt, genus posuit, alterum eorum, qui sapientiores Doctores libenter audiunt, ut quod verum est percipiant, alterum autem eorum, qui non modo ad Fidem offendunt, sed quod putant, pertinaciter affirmant, & dissentientem ab Ecclesia cœtum aut condunt, aut pridem invectum tuentur: Hos cum hæreticos solum existimet, Magistratuum posse gladio coerceri pluribus pugnat*, Opusc. Theol. 1. pag. 89. 90. *Id ipsum senserunt Helvetii, qui Bernæ Valentinum Gentilem, & Heildelbergenses, qui Joannem Sylvanum hæreticos capitis damnarunt. Atque in his otiose erant Calviniani. Cum vero in fœderato Belgio factiones Contraremonstrantium sive Gomaristarum, & Remonstrantium sive Arminianorum ortæ essent, ea res iterum in concertationem venit, partium sophistis magno animorum studio contendentibus. Joannes Cuchlinus in Academia Leidensi Theologus de potestate Magistratuum in hæreticos publice disputavit & in Bezæ sententiam concessit. Eum sequutus est Bogermannus Synodi Dordracenæ Præses, qui librum Bezæ* de hæreticis gladio Magistratus coercendis *in linguam belgicam convertit & Urbis Snecæ Magistratûi nuncupavit. Arminianorum sive Remonstrantium complures, cum in discrimen adduci factionem suam perspexissent*, Dialogum inter Vaticanum & Calvinum *iterum evulgarunt. Horum partibus studuit Bernardus Dwinglo Pastor Leidensis, qui sub nomine* Conspicilli Christallini *librum edidit. Ei ex contraremonstrantibus nonnemo objecit librum, quem inscripsit* Polysteen, *& hujus libri apologiam, quam vocavit*, Euphrasian. *In utroque opere perinde hæresin atque cetera publica crimina gladio Imperantium addixit. Huic auctori adjunctus est scriptor libri, qui Medioburgi in Zelandia editus est sub eo titulo*, Velitationes quorumdam leviter armatorum militum. *Neque enim is est Belgicæ hujus concertationis finis. Nanque Simon Episcopius in Academia Leidensi contra Calvinum & Bezam dixit, idque pluribus in locis & præsertim* comm. in Apoc. 11. 2. 3. tom. 11. *&* in 2. Joan. 11. 9. 10. 11. 16. *magno studio egit. Quin etiam omnes Arminiani in ea lucubratiuncula, quam opposuerunt Bogermanno Synodi Præsidi, (hic enim e Synodo male dimiserat Arminianos) sic pergunt*, Eradicanda ex Ecclesiis sanguinaria illa quorundam de occidendis hæreticis, quales facillime præsumuntur esse adversarii quilibet, sententia non solum ad innocentium sæpe Christianorum carnificinam, sed patriæ hujus nostræ, quæ libertate conscientiarum potissimum hactenus floruit, perniciem comparata. Ista ut serio expendantur, nostro & Ecclesiarum nostrarum nomine petimus ac flagitamus: *At Synodus Dordracena*

faciendum Religionem tanquam caussam prætendant. *Neminem*, inquit Limborchius, *Religionem contra conscientiam suam amplecti Magistratus cogat, nec exercitium Religionis a sua diverse in privatis ædibus per vim aut edictorum severitate impediat . . . licet tamen illi improbos ac turbulentos homines, Religionem prætendentes, quoties contra leges politicas delinquunt, pro facti ratione punire* (a). Hæc eadem Arminianorum Princeps Grotius docuit. Nanque omnes leges, quas contra hæreticos scriptas in utroque Codice invenimus, in eum sensum accepit, quasi earum latores de hujusmodi hæreticis solum edixerint, qui superstitionem & dogmata Imperio contraria docuerint, aut vero contra publica jussa ab ineunda pace cum dissidentibus conventibus audacter animos avocaverint (b), idque ipsum non semel contendit (c). Ex quo adparet, eundem in ea esse sententia, ut existimet, hæreticos ab Imperio esse liberos, antequam aut in superstitionem desciverint, aut in civiles leges peccaverint.

Atque ille hactenus quidem. Nos paulo post dicemus, quorsum hujusmodi impunitas, quæ hæreticis cœtibus proponitur, tandem evadat. Nunc paucis damus, in Christianorum Principum esse munere, ut, quod e Republica atque e Religione fore omnes intelligunt, publicum Imperium præsidio esse palam faciant ad coercendos hæreticos, quos Catholica Ecclesia tales judicavit. Harum partium Principes Scriptura commonefecit. Nanque Apostolus dixit, iis gravi de caussa gladium esse commissum ad ultionem eorum omnium, qui recta non sequuntur, & qui officio non gaudent, contra vero ad munimentum eorum, qui legibus quidem non propter metum parent sed eas colunt, quia id salutare maxime judicant (d). Hebræi enim perinde atque Romani gladium sive pugionem Potestatis atque Imperii insigne habuerunt (e). At enim qui ab Ecclesia Catholica deficiunt eique in dogmate discrepant, iidem idcirco officium suum deserunt, nec recta faciunt. Id enim cum constet, ergo sequitur, ab iis eas esse dandas pœnas, quas Principes imposuerint. Atque in eo Christianorum Imperatorum exponendo jure veteres Patres & Principes consentiunt: *In hoc Reges*, inquit Augustinus, *sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona jubeant, mala prohibeant non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad Divinam Religionem* (f). Sic enim doctissimus Pater edisserendo effecit, eos Principes recte vicem suam fuisse functos, qui multa pœnarum genera in pertinaces Donatistas sanciverunt. Leo

---

cens quicquid Calvinus & Beza ea de re senserunt, plane comprobavit. Nanque in peroratione sententiæ, quam de Remonstrantibus pertulit, præpotentes fœderati Belgii Ordines rogavit, ut arcerent suborientes omnes hæreses, & errores, Spiritus inquietos & turbulentos compescerent. *Synodo huic potius, quam Arminianis consentiunt Leidenses Professores in* Synopsi purioris Theologiæ *& in* Censura Confessionis Remonstrantium, *quod ostenderunt Episcopius in* Apologia pro Confessione Remonstrantium *& Philippus Limborchius in* Historica relatione Controversiarum in fœderato Belgio de Prædestinatione. *De controversia apud Belgas hactenus quidem.*

(a) *Theol. Chr. lib.* VII. *cap.* XXI.

(b) *In hujus lib. cap.* VIII. §. 3.

(c) *Ad Matthæum cap.* 13. *v.* 41.

(d) *Rom.* XIII. 4.

(e) Suetonius *Galb.* II. Iter ingressus est paludatus, ac dependente a Cervicibus pugione ante pectus, nec prius usum togæ recuperavit, quam oppressis, qui novas res moliebantur. *Vitellio* 15. Assistenti consuli exsolutum a latere pugionem veluti jus necis vitæque civium reddebat. *De Trajano S. A. Victor. de Cæs.* 13., Uti Præfectum prætorio, Saburanum nomine, cum insigne potestatis, uti mos est, pugionem daret, crebro admonuerit: Tibi istum ad munimentum mei committo si recte agam; sin aliter, in me magis.

(f) *Contra Cresc. lib.* III. *cap.* LI.

Leo Pontifex ad cognominem Augustum, *Debes incunctanter advertere Regiam potestatem tibi non solum ad Mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium [illegible] collatam* (a). Ad eos Isidorus Hispalensis, *Cognoscant Principes Sæculi Deo debere [illegible] rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive [illegible] augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit* (b). Quam quidem ob rem Orthodoxi omnes Imperatores ad Catholicæ Religionis incolumitatem advigilabant, & qui [illegible] perdere eniterentur, eos multiplici pœnarum genere afficiebant. Hoc eorum [illegible] prisca probavit Ecclesia, quamquam propter clementiam capitis suppliciis in[illegible] intercessisset. Nanque in Gallia Episcopi, qui auctores Principatui fuerant, ut in [illegible] Priscillianistas, pravissimorum dogmatum doctores & vitæ nefariæ homines gladio an[illegible]verteretur, eam ob caussam ab Ecclesiæ disuncti sunt societate. De Catholicis Im[illegible] toribus loquimur equidem. Nanque Constantius & Valens cum hæretici fuissent, n[illegible] de coercendis hæreticis leges jusserunt. Sed a Catholicis Principibus non discedan[illegible] Hi vero non eodem habuerunt loco eos omnes, qui ad Catholicum dogma offe[illegible] runt, sed a diversis hæreticorum cœtibus diversas repetiverunt pœnas pro pertina[illegible] atque improbitatis suæ ratione (c). Huc spectat elegantissimum Paratitlon Jacobi [illegible]thofredi (d), in quo multiplices, quibus hæretici affecti sunt, pœnas statim percu[illegible] mus. Igitur Principes diligenter operam ponant necesse est, ut, si quos a Fide [illegible] scivisse ex Catholicæ Ecclesiæ judicio cognoverint, iidem convicti, quid verum [illegible] tandem perspiciant & errores depellant: *Decet*, inquit Theodosius junior, *nostrum Imperium subditos de Religione commonefacere* (e). Id valent omnia argumenta, ex quibus Arminiani efficere conantur, hæreticos non armis, sed rationum ductu esse pertrahendos ut Catholicæ Ecclesiæ morem gerant. At si qui cum Catholicæ Ecclesiæ judic[illegible] audientes non fuissent, nimium pertinaciter hæresi insistant suæ, eamque contra Pri[illegible]cipum sacra jussa propagare pergant aut cœtus agant, his gladii potestas tandem op[illegible]ponenda est, quæ Principibus ad sospitandam Civitatem & ab omni improbitatis genere liberandam divinitus impertita est.

VII. Abeamus parumper a Grotio. Nam supervacaneum non est Joannem Barbeyracium refellere, qui, quum Grotianos libros diu evolvisset, in Gallico opere [illegible] morali Patrum scientia cap.* xii. putavit, summos Principes jure carere animadvertendi in hæreticos: illis enim Imperium dumtaxat in eos tribuit, qui a publica Religione deficientes aliquid doceant, quod aperte publicæ tranquillitati officiat. Sic nanque argumentum concludit suum. Potestas omnis Imperii ex consensu obedientium orta est. Quum autem illi, qui obediunt, in civiles cœtus & Civitates coaluissent, ut munimentum contra eos haberent, qui in Anarchia vitas & fortunas suas invadebant, plane sequitur, Imperium ea tum potestate fuisse constitutum, quæ hujusmodi hominum consilio congrueret. Politici nempe humanarum societatum moderatores creati fuere, ut ea vis tolleretur, quæ impune in Anarchia inferebatur. In cæteris nanque rebus, in quibus ante sociatas Civitates sine ullo metu homines versabantur, naturalis libertas conservata est. His positis intelligi facile non potest, cum nondum civiles societates natæ erant, aliquos extitisse, qui Religionem suam cæteris proponerent, eosdemque ad eam asciscendam invitos compellerent. Immo quisque tum in iis, quæ

ad

(a) *Epist.* LXXV.
(b) *In sent.* III. *cap.* LI.
(c) *Leg.* 65. *Cod. Th. tit. de Hær.*
(d) *Ad Cod. Theod. lib.* XVI. *tit.* V. *de hær.*
(e) *In leg.* III. *ib. de fide Cath.* Πρέπει τῇ βασιλείᾳ, τοὺς ὑπηκόους περὶ τῆς εὐσεβείας ὑπομιμνήσκειν.

ad Deum spectabant, otiose se habebat, eamque sacrorum disciplinam libere sequebatur, quam rationi aptiorem judicabat. Ergo qui ab Anarchia ad Civitatem demigrarunt, neutiquam in hujusmodi Principatum consenserunt, qui ipsorum arbitratum coerceret in asciscendis Religionibus. Neque enim consentire potuerunt: Nanque ea in alios consensu transferuntur, quæ in transferentium sunt ditione. At satis constat, in hominum manu haud esse positum, ut non ex suo, sed ex aliorum judicio censeant de sacris, quibus colendus est Deus. Quæ sane singulis inest conscientiæ libertas, nec proprio, nec aliorum Imperio cohiberi potest. Si quis ad aliquam probandam Religionem vi adigatur, probantis quidem speciem præbebit, sed seorsum id sentiet, quod ex sua est sententia. Ergo affirmandum est, rem esse Religionem, quæ in cujusque potestate reposita sit, nec a publicis Rerumpublicarum Rectoribus juberi possit.

Hoc dicendi genere politicam constituere Tolerantiam Barbeyracius sustinuit. Ac nihil quidem excogitare & proferre potuit, quod Civitatis statui accomodatius sit, aut ad perdendam Religionem magis pertineat. Qui sane Barbeyracii exemplo publicum Imperium ita metiatur, ut ab eo liberum esse Religionis negotium efficiat, eodem modo si dispicere aggrediatur, an hoc vel illud consensu eorum qui obediunt politicis Terrarum Dominis mandatum sit, eo prorsus perveniet, quo cupiditas hominum ab omni Dominatu abhorrentium contendit. At enim demus eas solum civilis Imperii esse partes, quæ ex jure defendendæ Civitatis oriuntur. Hoc si ita se habeat, ea omnia illis, qui Imperium gerunt, tribuenda sunt, quæ ad vim improborum civium repellendam, ad conservanda bonorum capita, & ad multitudinem in officio continendam maximo esse usui videantur. Sed quoniam ad hanc rem, in qua communis omnium salus consistit, nihil magis conducat, quam summi & præpotentis Dei metus, (id enim non multo post uberrime dicetur), plane necesse est Religionem ita Principibus esse commendatam, ut eam vindicare & tueri non modo possint, sed debeant, quin aliud huic muneri prævertant. Hæc porro Religionis clientela necessario conjuncta est cum potestate animadvertendi in eos, qui a publicis & receptis sacris animum avocantes seorsum aram sibi extruunt & in partes suas cæteros cives docendo ducere conantur. Si enim uti in Anarchia, sic in civili societate arbitratu quisque suo qualiacunque sacra impune sibi habere posset, profecto in tutela Principum Religio reposita non esset, ex quo iis validissimum ad tegendam Civitatis tranquillitatem præsidium eriperetur. Sed istud explicate pertractabitur in octava exercitation[e]. Igitur quamvis Imperium solo defendendæ Reipublicæ jure contineretur, tamen abro[gari] non posset, quin in eo inesset potestas sanciendarum in eos legum, qui a recepta Re-ligione descivere. Sic caussa facile vincitur, utcunque Barbeyracio illud concedatur, quod confidentissime sibi sumpsit.

Deinceps autem hoc ipsum paucis rejiciendum est, quod ille in perexiguum angustum locum summam Imperii potestatem conclusit. Id enim primum est, ex veluti ex fonte argumentum suum ad comprobandam civilem Tolerantiam repe[tit]. Ac illum equidem rogamus, qua ratione & via sciverit, quid homines, qui in ci[vilem] cœtus coaluerant, in politicos Præfectos initio transferre studuerint? Quas hu[jus] generis historias, quos annales, quæ monumenta evolvit? At enim quum ho[mines] ante conditum Imperium in periculo vitæ & fortunarum omnium versarentur, quisque conjiciet, eos hujusmodi consilio Civitates consociasse, ut ad vim prop[ulsan]dam præsidium sibi compararent. Hoc quidem recte: sed quum in Anarchia [...] mutuis bellis Gentes conficerentur, tum iis rerum cognitionibus carerent, [...] bus vita esse beata non potest, cur eodem conjiciendi modo astrui non possit, [...] Rectores fuisse creatos, ut multitudinem, quæ Imperio se subjecit, non modo [...]rentur, verum etiam eandem plene & cumulate fortunarent. Quinimo res om[nis] eum nondum peracta est. Hujusmodi enim metus, qui Gentes invadere potuit, [...] ab aliis opprimerentur, in caussa fuerit, cur eæ omnes in Concilia sese congre[ga]rint, Imperiisque paruerint. Hoc nanque Barbeyracius sibi sumat, quod ipsu[m]

muel Pufendorfius *in lib.* VII. *de jure N. & G.* copiose persequutus est. Enimvero quum istud primum successerit, proximum fuit, ut illi, qui Duces ad [illegible] endendam hominum salutem tuendasque opes fuerunt, non modo robore virium sese [illegible] ltitudini commendarent, sed aliis studiis Principatum suum, vel ad perpetuitatem [illegible] nstabilirent. Humanum olim genus maximis malis afficiebatur, postquam ipsum late [illegible] everat, nec dum vero ab Anarchia discesserat. Tum enim nihil virtutis extitit, nulla disciplina, nulla vitæ institutio, sed id aequius habebatur, quod ei utile erat, qui [illegible] poterat, nihil nisi per fraudem & injuriam gerebatur, ferro, non lege res repe[illegible] tur, omnia demum eo inclinabant, ut miserrimos Populos efficerent. Quamobre[illegible] mi illi Duces, qui sociatis Populis contra hostium impetum præfuerunt, id ar[illegible] ad augendam & constituendam potestatem suam egissent necesse est, ut homines [illegible] tutum disciplinis imbuerent, urbanitatis officiis erudirent, eosque jure continer[illegible] æquitate gubernarent, diligenterque providerent, ne quidquam iis ad bene bea[illegible] vivendum deesset. Hæc omnia quum illi in potestate esse sua declarassent & [illegible] obivissent, tum denique rem ita perfecerunt, ut Imperio, in quo solum defende[illegible] multitudinis jus inerat, plena politici Principatus ratio accederet. Sic enim edisse[illegible] Polybius rerum publicarum consultissimus, qui *in Hist. lib.* VI. *cap.* III. puta[illegible] primas humani generis præfecturas illis obtigisse, qui cæteros animi audacia & co[illegible] ris viribus superarent, eosque ductores tum ad Regum & politicorum moderato[illegible] dignitatem fuisse evectos, cum Populos, quos Imperio suo adjecerant, virtutibus [illegible] buendos legibusque regendos suscepere, Ἐπειδὰν, inquit ille, δὲ τοῖς συστήμασι δι[illegible] τὸν χρόνον ὑπογίνηται συντροφία καὶ συνήθεια, τότε ἀρχὴ βασιλείας φύεται, *postquam vero* [illegible] *quam procedente tempore inter congregatos cœtus communis educatio & vitæ consuetudo consequuta fuerit, ab eo principio Regnum extitit.* Optime Aristoteles Scriptor politicorum omnium gravissimus idemque doctissimus *in lib.* VII. *de Rep. cap.* I. beatam [illegible] vium vitam finem esse docuit, qui Civitatibus propositus est. Nam eos, qui de Republica disserere aggrederentur, antea jussit dispicere quid illud esset, in quo vita maxime optabilior reponeretur: hoc enim nisi præscirent, perperam ad id animum adjuncturos, ut de optima Republica disputarent: Tum in *cap.* 2. sic constituit, Ὅτι μὲν οὖν ἀναγκαῖον εἶναι πολιτείαν ἀρίστην ταύτην, καθ' ἣν τάξιν κἂν ὅστις οὖν ἄριστα πράττοι καὶ ζῴη μακαρίως, φανερόν ἐστι, *perspicuum est, hanc necessario esse optimam gerendæ Reipublicæ formam, ex cujus constitutione quivis res optimas agat & beate vivat.* Hæc ita sunt. Ergo sequitur, eorum, qui Terris Rectores dati sunt, hujusmodi esse potestatem, quæ non modo hominibus incolumitatem afferat, sed secundas ipsis res omnes præstet & conservet.

Procedat modo oratio. Quum enim hoc explosum esset, (in quo Barbeyracianæ caussæ caput consistebat, in promptu est eam totam breviter refellere. Si nimirum summa Imperii potestas complexu suo contineat quidquid cives fortunat, idque ipsum legibus jubere possit, cur Religio eximetur? Hæc enim una omnium excellentissima virtus est, quæ si tollatur, non solum æterna, sed publica & privata felicitas deplorata erit. Sed qui primi Civitates consciverunt, inquit Barbeyracius, hujusmodi Principatum condere non potuerunt, in quem transferrent potestatem coercendæ illius libertatis, quæ *Conscientiæ* vocatur, eam quidem ob caussam quod in hominum manu positum non est, ut id animo sentiant quod alii imperaverint. Plane Philosophus nostre fallitur. Nam illud non agitur, an politicis Præfectis primi Civitatum conditores ita se subjecerint, ut, quamvis convicti non essent, id tamen animo sibi persuadere adigerentur, quod illi juberent. Ea res enim effici non potuit, quia civile Imperium in animum non penetrat, qui solis rationum momentis vincitur omnemque vim detrectat. Si enim cogatur, assentientis quidem speciem præbebit, sed nunquam sentiet, quod jubetur, nisi argumentis adducatur. Quid igitur illud sit, quod instat? An nempe homines in civilium Rectorum potestatem se ita tradiderint, ut tum in publicis tum in privatis ædibus Religiones docere non possent, quæ a publicis sacris dissentirent,

rent, ac si qui forte de rebus Divinis cogitarent contra atque Civitas crederet, aliisque scholam explicare suam auderent, in eos legibus ageretur? Utrumque enimvero istud, quum in hominum manu fuisset, in illos, quibus publicum Imperium obtigit, translatum est. Atque sane prudentiores Gentes existimarunt, constituto summo Imperio, penes singulos cives non esse, ea sacra sibi habere quæ colenda putaverint. Auctor est Socrates apud Xenophontem *in lib. IV. Memorab.* Religionem non cujusque civis arbitratu, sed publica lege esse præscriptam: Sic enim Euthydemum alloquutus est, Ὁρᾷς γὰρ ὅτι ὁ ἐν Δελφοῖς θεὸς, ὅταν τις αὐτὸν ἐπερωτᾷ πῶς ἂν τοῖς θεοῖς χαρίζοιτο, ἀποκρίνεται, νόμῳ πόλεως, *Vides nanque Delphicum Deum, interrogantibus quonam pacto quisquam Diis gratum faciat, respondentem, lege Civitatis.* Græci quidem omnes legum, quibus Civitates continebantur, optimi interpretes edicebant, Religiones in jure esse eorum, qui imperabant. Thucidides *in lib. IV. cap.* 98. de iis hæc dixit, Τὸν νόμον τοῖς Ἕλλησιν εἶναι, ὧν ἂν ᾖ τὸ κράτος τῆς γῆς ἑκάστης, ἤν τε πλέονος, ἤν τε βραχυτέρας, τούτων καὶ τὰ ἱερὰ ἀεὶ γίγνεσθαι, *Jus hoc apud Græcos esse, ut qui Imperium obtineant in terra aliqua magna aut parva, eorum sint & templa.* Romani porro, cum alios Populos Imperio adiiciebant suo, eorum non modo civilia omnia, sed & sacra in ditionem recipiebant. Vetus est formula apud Livium *in lib.* 1. *cap.* XV. in quam Tarquinio Prisco Collatia se subjecit, Rex, *Estis ne vos Legati, Oratoresque missi a Populo Collatino, ut vos Populumque Collatinum dederetis?* Legati, *Sumus.* Iterum Rex, *Est ne Populus Collatinus in sua potestate?* Legati, *Est.* Tum Rex, *Deditis ne vos, Populum Collatinum, Urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, Divina, humanaque omnia in meam Populique Romani ditionem?* Legati, *Dedimus.* Tandem Rex, *At ego recipio.* Hac deditionis lege Campani in Populi Romani Imperium sese receperunt apud eundem Livium VII. 31., *Populum Campanum*, inquiunt, *Urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, Divina humanaque omnia in vestram P. C. ditionem dedimus.* Prisca Romanorum hæc sunt instituta, ad quæ Plautus spectavit in *Amphitruone Act.* 1. *Scen.* 1. *vers.* 102. 103.

Deduntque se, Divina humanaque omnia, Urbem & liberos
In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano Populo.

Tacitus autem *Ann.* III. 71. id ipsum de universo Imperio pronunciavit, quod in Italia Romani sibi vindicabant: Docuit enim, *cunctas ceremonias Italicis in oppidis, templaque & Numinum effigies juris atque Imperii Romani esse.* Quocirca Jurisconsu[ltus] *in l.* 1. §. 2. *D. de Just. & Jur.* affirmavit, jus publicum ad sacra pertinere, idem *in l.* 10. §. 2. *D. eod.* eam esse civilem jurisprudentiam edixit, quæ *Divinarum humanarum rerum notitiam* complectitur. Sequutus enim est eximium Philosop[hum] Chrysippum, qui publicam legem vocaverat *Reginam Divinarum humanarumque r[erum]*. Sane duodecim Tabulæ, qui fons est Romani juris, de sacris plurima sanciv[erunt]. Ausonius sic cecinit,

Jus triplex tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, & populi commune quod usquam est.

Sed hoc ipsum in undecimo capite hujus prolusionis uberius differetur. Ea C[...] & Romanis fuit de principatu sententia. De cæteris autem Gentibus sacris c[...] eas putasse Principum esse providere, ne qui Religiones receptis sacris contra[...] Civitatem inveherent. Nam apud eas universas iidem, qui summum Imperium ge[...] Sacerdotes erant, remque pontificiam procurabant, de quo more in secunda critic[a ex]citatione quæretur. Si igitur omnes Nationes de politicis Rerumpublicarum r[ec]toribus sic existimarunt, ab ipsis liberas non esse Religiones, profecto sequit[ur] potestatem in eos ab initio fuisse translatam, cum primum Civitates sociata[...] Hæc de quolibet Principatu contra Barbeyracium. Nanque de Christiano p[...] separatim disputari necesse non est, cujus summa in hæreticos potestas tum Sc[...] tum piorum Imperatorum exemplis comprobata est, & contra omnes Armin[...] *octava exercitatione* evincetur.

CAP. X.

I. Grotiana ratio de Imperio summarum Potestatum circa sacra quietæ Civitatis statum solicitare potest. Principibus enim datur quod Divino juri contrarium est.

II. Deinde id iisdem adimitur, in quo Civitatis incolumitas posita est. Postremum hoc probandum suscipitur.

III. Quum Respublica in Pietate adversus Deum nitatur, plane intelligitur, quid in illam e Christiana Religione permanat.

IV. Ad Reipublicæ tranquillitatem Religio plurimum facit non modo propter p[illegible] morum, sed etiam propter cogni[illegible] dogmatum, quibus publica & privat[illegible] vium vita accommodari solet.

V. Publica omnia & privata sacra in Pr[illegible] patus sunt tutela: Quocirca optimi Pr[illegible] pes de prohibendis Hæreticorum pri[illegible] sodalitiis plures leges dixerunt.

VI. Concluditur Principes, si Grotium P[illegible] ceptorem sequantur, exitium Reipubli[illegible] allaturos.

I. MAgnam a Christianis Regibus iniisse gratiam, atque omnes Europæ demeru[illegible] se Dominos fortasse Grotius videtur, tot evulgatis libris, quibus Ordinum Hollandicæ Reipublicæ Rectorum Imperium in sacris vindicavit. At enim optimi Principes contra sentient, atque rerum politicarum ignari fortasse existimant, si ad rem animadvertendam suam animum appulerint, & sive quid Grotius ad summum Principa tum adiunxit, sive quid de eodem derogavit, accurate compertum habuerint. Nam que quidquid Arminianorum hic Patronus Christiano Principatui adscribere voluit, (illud enim est, quod de publica Religione Principum numine & Imperio con denda disputavit), hoc universum a Divinis abhorret legibus, quas ad Ecclesiam bene sapienterque gerendam Christus rogavit. Id enim cum satis expositum sit, Dominatus ille, quem Grotius in Christianis Rebuspublicis constituere cogitavit, legibus Divinis prorsus contrarius est, sive nec firmus, nec pacatus, nec diuturnus. Maxima quæque, si injusta sint, infelicitatis plena sunt & statim dilabuntur. Hoc munimentum Principum inexpugnabile est, Deum habere Imperii sui auctorem & conservatorem, quo præsidio illi carent, si quid in administranda Republica sibi capiant contra leges, quas iis Deus optimus scripsit. Igitur quod Arminianus Principibus dedit, si illi ad Imperium suum adiiciant, id profecto sumunt, ex quo sibi, suis & Reipublicæ exitium consciscant.

II. Jamvero quod de summo Imperio idem Arminianus derogat, id omnes, qui de politicis edisseruerunt, tanti esse Principibus putarunt, ut sine eo publicæ consulere saluti non possint. Nanque par non esse arbitratur, summos publicarum rerum Moderatores perferre de arcendis prohibendisque privatis hæreticorum hominum hetæriis sive sodalitatibus, quæ propter Religionem coire solent. Si enimvero ex ea Grotii sententia Respublica administretur, hæc in summum discrimen coniicietur: quod nunc paucis persequemur. Sed antea constituendum est, quid & quale sit id, quod e Christiana Religione ad Rempublicam permanat: Id enim argumento erit, Principes in eo esse munere, quod seponi non potest a summa Majestate, ut ad Reipublicæ incolumitatem eorum omnium prohibere conventus debeant, qui a Catholica Ecclesia dissentiunt. Haec si perfecerimus, plane intelligetur, Grotianam de publicis & privatis sacris rationem illuc evadere, ut id Principibus detrahat, in quo civitatum collocata est summa salus.

III. Percurramus, quod primum posuimus. Religio quidem hoc conciliis hominum jure sociatis sive Civitatibus tribuit, ut bene beateque se habeant. Nam sublata adversus Deum

Deum pietate nec legibus, in quibus civium incolumitas versatur, mos geritur, nec publica pacta servantur: Tollitur etiam fides, & una excellentissima virtus justitia. *Numinis contemptum*, inquit Libanius, *nulla fides sequitur* (a). Eam ob rem vir doctissimus Aristoteles atque idem gravissimus Philosophorum omnium, qui ordine universa explicavit, ex quibus beata possit esse Respublica, primo loco Religionem reposuit (b): quæ iisdem de caussis a Cicerone humanæ societatis fundamentum appellatur. Et Plutarchus *adversus Colotem* putavit, *facilius Urbem ædificari sine solo posse, quam opinione de Diis sublata societatem convenire, aut si convenerit, conservari* (c). Id ipsum veteres omnes senserunt, quos Valerius Maximus protulit (d). Itaque Horatius Principem suum sic commonefecit,

Diis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dii multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ (e).

Ipse Atheorum chorus non abnuit, Religionem, quam contemnit, ad continendos in officio populos fuisse conditam (*f*). Unus omnium extitit Petrus Bælius, qui sic arbitratus est, Civitati, quæ summum & præpotentem rerum Dominatorem Deum nec colit nec veretur, nihil tamen deesse ad publicam tranquillitatem (g). Quem contra pluribus dixerunt Jacobus Bernhardus (*h*), Buddeus (*i*), & Georgius Pritius (*k*). Sed pergamus, quo instituimus. Convenit nimirum inter omnes de conjunctione illa, quæ Reipublicæ intercedit cum qualicumque pietatis disciplina. Itaque dispici par est, quid dicamus de Christiana Religione oporteat, qua divinius esse mortalibus nihil potest. Omnes quidem cives, si modo in Christianis institutis profecerint, nihil antiquius & sanctius habent, quod virtutum studiis prævertant, atque in eo esse officio satis moner[i]tur, ne quid avare, vel injuste, vel libidinose vel incontinenter agant, tamet[si] hoc ipsum universos homines celare possint. Plinius Secundus ad Trajanum Imperat[o]rem retulit, *Christianis hanc fuisse summam vel culpæ suæ vel erroris, quod essent so[liti] stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem, se Sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulte[ria] committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent* (l). Quam ob

(a) *Decl. 3. pag. 250. C. edit. Paris.* Τῇ εἰς θεοὺς ὀλιγωρίᾳ πίστις οὐχ ἕπεται.

(b) *Sic de Rep. cap.* VIII. *lib* VII. Ἐπισκεπτέον δὲ καὶ πόσα ἐστὶ ταῦτα, ὧν ἄνευ πόλις οὐκ ἂν εἴη . . . . Πέμπτον δὲ καὶ πρῶτον, τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν, ἣν καλοῦσιν ἱερατείαν, Quam multa autem sint numero, sine quibus Civitas esse non [possit,] videndum est . . . . Quintum est id, quod primo loco ponendum fuit, rerum divinarum curatio, quam Sacerdotium dicunt.

(c) *Pag.* 1152. Πόλις ἂν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι, σύστασιν λαβεῖν ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι.

(d) *Lib. 1. cap. 1.*

(e) *Lib. 3. od. 6.*

(f) *De hujusmodi Atheis consulendus est Theophilus Raynaudus, Erot. de* [...] malis libris.

(g) *In continuat. Cogitatorum de cometis §.* CXVIII. *pag. 568. & in Resp*[ons. ad] quæst. Provinc. tom. IV. *pag. 232.*

(h) *In Novell. Reipubl. litter.*

(i) *De Atheism. & Superst. cap.* IV. *§.* V.

(k) *In Erudita dissert. de Atheismo in se fœdo & humano generi noxio.*

(l) *Epist.* XCVII. *lib.* X.

Christiana societas ita se habet, ut cives, munus quisque suum, accurate exerceant, perlibenter pareant Magistratibus & de civitate optime mereri enitantur, Reges vero ita Rempublicam administrent, ut intelligant, ad Populorum incolumitatem Principatum sibi a Deo esse datum, quem judicem & cognitorem vereantur rerum omnium, quas gerunt. Quid plura opus est ad Christianæ Civitatis præstantiam? Hoc enim argumentum copiose pertractarunt Ludovicus Vives (*a*), Rob. Bellarminus (*b*), Carolus Scribanius (*c*), Lambertus Danæus (*d*), Samuel Pufendorfius (*e*), Franciscus Buddeus (*f*), Jacobus Bernhardus, quem paulo ante nominavimus, clarissimus Ecclesiæ Gallicæ Leidensis Pastor (*g*), ad hos alii plures contra Bælium, quos Joannes Albertus Fabricius dinumeravit (*h*).

IV. Expositum est quid Religio valeat ad fortunandum Civitatibus statum; Religionis autem nomine significamus non modo morum disciplinam, sed etiam universam augustissimorum dogmatum scientiam. Nanque Divinarum rerum cognitionem bene vel male perceptam officiorum leges vel ad Reipublicæ salutem adcommodatæ vel eidem contrariæ sequuntur. Plato enimvero, quem omnibus Græcis anteponimus, ab iis, quæ de Deo dicebantur in Philosophia, non sejunxit publicam civium consuetudinem. Is vetuit, ne in Republica, quam animo condebat, hujusmodi Doctores essent, qui fato omnia administrari & Deum malorum esse auctorem putabant. Sic enim edixit, *Omni contentione pugnandum est, ne quis in Civitate quam bene geri volumus, vel dicat, vel audiat seu senex, seu juvenis, seu in poëmate, seu in alia narratione Deum causam alicui esse malorum. Quod neque sancte ita dici potest, neque utile est Civitati, nec secum consentit in explicatione* (*i*). Tiberius, teste Suetonio, *Religiones negligebat*, sive universas virtutes despicatui habebat, quod omnia fato tanquam summo rerum Rectori esse subjecta existimabat. Præclare Silius italicus.

Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris,
Naturam nescire Deum.

Ita veteres Philosophi de Theologia sua. At inter dogmata, quæ in Christianæ Religionis codicibus docentur, & morum leges propior & certior est cognatio. Etenim omnia in sacris libris eum in finem perlata sunt, ut humana officia constituerentur, quod

(a) *Lib. v. de verit. Fidei Tom. 1. opp. pag.* 492.
(b) *In Principe Christ.*
(c) *In Politico Christ.*
(d) *In Politica Christiana.*
(e) *In Diss. de concordia veræ Politicæ nona in illius analectis politicis pag.* 543. *item in libro sæpius edito latine, & ex latino germanice, gallice & belgice* de habitu Christianæ Religionis ad vitam civilem, *denique in* Introductione ad Historiam Regnorum & Rerumpublicarum, *quæ vulgata est germanice & ex germanico latine, gallice, suecice atque anglice p. 1. cap. ult.*
(f) *De Concordia Religionis Christianæ statusq. civilis Halæ Sax.* 1712.
(g) *Tum in* Nevellis Reipubl. litter. *tum in quinque libris* de excellentia & amabilitate Religionis Christianæ.
(h) In Delectu argumentorum & Syllabo scriptorum, qui Christ relig. veritatem . . . afferunt *cap.* 34.
(i) *Plato de Republ. Lib.* II., Κακῶν αἴτιον φάναι θεόν τινι γίνεσθαι ἀγαθὸν ὄντα, διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τινὰ ταυτα λέγειν ἐν τῇ αὑτοῦ πολει, εἰ μελλει εὐνομήσεσθαι, μήτε τινὰ ἀκούειν, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ, μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα. ὡς οὔτ' ὅσια ἂν λεγόμενα εἰ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὑτοῖς.

quod duoviri angli Theologi Clarkius (*a*), & Archiepiscopus Yorkius (*b*) ostenderunt. Nos in re, quæ palam est, plura non disputamus. Igitur universa dogmatum doctrina, si recte percepta sit, ad Civitatum tranquillitatem plurimum facit, sin contra, eandem intercipere potest.

V. Quæ cum satis disseruissemus, plane illud efficimus, in omnibus iis, qui Rempublicam summo Imperio administrant, præstantissimum inesse jus & cum auctoritate conjunctum, ut sacra omnia sive separatim in privatis conventibus, sive publice in communibus Civitatis templis ac conciliis sub fide sua & tutela sint habenda. Si enim hoc ipsum de illorum Imperio derogetur, ut vel publica & privata sacra, vel solum privata ab eorundem ductu & præsidio sint libera, profecto non sine timore verendum est, ne Religionis talis doctrina irrepere possit, quæ publicæ tranquillitati officiat, & universæ Civitatis statum vertat. Eam ob rem orthodoxi Imperatores diligentem operam dederunt, ne Respublica quidquam caperet quod obesse posset incolumitati suæ, non modo a publica Religione, sed etiam ab ea, quæ privatim doceretur. Nanque illam in Civitate Religionem ascitam voluerunt, quam Catholica Ecclesia explicaverat in œcumenicis synodis, pluresque leges rogarunt de singularibus hæreticorum depellendis conventibus. Constantinus magnus, antequam jussisset ex Romani orbis Episcopis Nicænam convocari Synodum, & ab Arianis publicas repetiisset pœnas, legem tulit, qua privatos vetuit aliorum cœtus, qui defecerant ab Ecclesia Catholica. Sic enim sancivit, *Præsenti lege interdicimus, ne quis vestrum in posterum conventus agere præsumat. Atque idcirco universa loca, in quibus hujusmodi cœtus peragitis, auferri præcepimus, eo usque procurrente Majestatis nostræ solicitudine ut non modo in publico, sed ne in privatis quidem ædibus ac locis ullis privati juris superstitiosæ vestræ dementiæ factio congregetur*. His vero peroravit, *Adeo ut a præsenti die, nullo prorsus in loco tam publico, quam privato, illegitimi vestri cœtus audeant convenire. Proponatur* (*c*). Quod cum sapientissime moderatissimeque constitutum esset a Constantino, illud ceteri ab eo Imperatores maxime probarunt, ut si qui forte contrarias leges pertulerint, eas, re melius deliberata, sustulissent. Valentinianus senior, quamvis Imperii sui initio, omnibus sacra, quæ placerent, colendi fecisset potestatem (*d*), deinde tamen edixit, ne qui decessèrant a Catholicæ Ecclesiæ doctrina, possent in conventus congregari. Nanque ad Ampelium Prætorio Præfectum de Manichæis atque eorundem Doctoribus ita rescripsit, *Ubicunque Manichæorum conventus vel turba hujusmodi reperitur, doctoribus gravi censione multatis, domus & habitacula, in quibus profana institutione docetur, Fisci viribus indubitanter adsciscantur* (*e*). Neque enim

(a) *De Christ. Relig. cap.* 17.

(b) *In Sermone, quem coram Angliæ Regina habuit anno* 1704.

(c) *Apud Eusebium Pamphili Lib.* III. *de Vita Constantini cap.* LXIV. Διὰ τοῦ νόμου τούτου προαγορεύομεν, μή τις ὑμῶν συνάγειν τοῦ λοιποῦ τολμήσῃ. διὸ καὶ πάντας ὑμῶν τοὺς οἴκους ἐν οἷς τὰ συνέδρια ταῦτα πληροῦτε, ἀφαιρεθῆναι προσετάξαμεν. μέχρι τοσούτου τῆς φροντίδος ταύτης προχωρούσης, ὡς μὴ ἐν τῷ δημοσίῳ μόνον, ἀλλὰ μὴ δ᾽ ἐν οἰκίᾳ ἰδιωτικῇ, ἢ τόποις τισὶν ἰδιάζουσι τὰ τῆς δεισιδαίμονος ὑμῶν ἀνοίας συστήματα συντρέχειν. τὰ ἀθέμιτα ὅπως ἐκ τῆς ἐνεστώσης ἡμέρας, ἐν μηδενὶ τόπῳ μὴ τε δημοσίῳ μὴ τ᾽ ἰδιωτικῷ, τὰ ὑμῶν συστήματα ἀθροισθῆναι τολμήσῃ. προτεθήτω.

(d) *Hoc perspicuum est ex lege* 9. *in cod. Theod. tit. de maleficis, tum vero ex Ammiano Marcellino lib.* 30. *cap.* 9., *& Suida qui sic loquitur*, Οὐαλεντινιανὸς τὸν τοῦ ὁμοούσιον φρονῶν, οὐδὲν τοὺς ἐναντίους ἠδίκει, Valentinianus ejusdem cum Patre natura Christum esse sentiens, diverso cultui deditos tamen non vexavit.

(e) *Leg.* III. *cod. Theod. tit. de Her.*

enim ſolum in Manichæos, ſed etiam in Donatiſtas publicis pœnis animadvertit, quod planum faciunt reſcripta, quæ ad Proconſulem Africæ miſſa fuerunt (a). Veniamus ad Gratianum, qui eandem legem promulgavit, ne ullos hæretici conventus agerent ſeorſum ab Eccleſiis Catholicis ſive in Oppidis, ſive in agris. Nanque ille ad Heſperium Prætorio Præfectum, *Olim*, inquit, *pro Religione Catholicæ ſanctitatis, ut cœtus hæreticæ uſurpationis conquieſcerent, juſſimus, ſive in Oppidis, ſive in agris extra Eccleſias, quas noſtra pax obtinet, conventus agerentur, publicari loca omnia, in quibus falſo Religionis obtentu altaria locarentur* (b). Idem autem, demortuo Valente, cum ad orientis Imperium acceſſiſſet, mutato ob politicas cauſas conſilio univerſis dedit *ἐθελοθρήσκειαν in Religione libertatem*, idque, dum Sirmii verſabatur, publice ſancivit. Nanque conſtituit, *Ut omnes cujuſcumque Religionis homines* (excepit Manichæos, Eunomianos & Photinianos) *ſine ullo diſcrimine in Eccleſiis convenirent* (c). At paulo poſt reperit, ſeſe tali pro hæreticis lege rogata nec è Republica, neque è Populi tranquillitate feciſſe. Itaque priora, quæ antiquaverat, juſſa renovavit, pertulitque ne liceret hæreticis aut conventus cogere, aut hæreſes ſuas pandere, aut ad eas alios inſtituere (d). Tum Theodoſius magnus omnium Principum graviſſimus de vetandis hæreticorum publicis & privatis cœtibus complures ſcripſit leges, quas his verbis univerſas Sozomenus complexus eſt, *Imperator vero legibus latis præcepit, ne hæretici collectas* (cœtus) *agerent, neve de Fide docerent, neque Epiſcopos aut alios ordinarent: utque alii quidem urbibus & agris pellerentur, alii vero notarentur infamia, nec jus æquum Civitatis cum aliis civibus poſſiderent* (e). Ad hos orthodoxi omnes Principes, qui Imperio præfuere Romano, in eam ipſam ſententiam de privatis hæreticorum ſocietatibus decreverunt, quorum leges ordine enarravit vir eximius & ſumma doctrina præditus Jacobus Gothofredus *in Paratitlo* Theodoſiani codicis *de Hæreticis*. Hoc igitur jus Principum, de quo nunc diſputamus, non modo ad communem omnium conſervandam tranquillitatem, ſed etiam ad vindicandam Religionem cum ipſo Chriſtiano Principatu natum eſt, ſive eodem tempore, quo Chriſtiana civitas eſſe cœpit, ita ut, ſi illud

---

(a) *Continentur in leg. 1. & 2. ibid. ſub tit. Ne ſanctum baptiſma iter.*

(b) *Ibid. tit. de Hær. leg. IV.*

(c) *Socrates lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 2. & 4.*, μετ' ἀδείας ἑκάστην τῶν θρησκειῶν ἀδιορίστως ἐν τοῖς εὐκτηρίοις συνάγεσθαι. *Socrati concinit Sozomenus, qui lib. 7. cap. 1. in fin. de Gratiano ſic prodit*, Νόμον ἔθετο, μετ' ἀδείας ἑκάστους θρησκεύειν ὡς βούλονται, καὶ ἐκκλησιάζειν, πλὴν Μανιχαίων, καὶ τῶν τὰ Φωτεινοῦ, καὶ Εὐνομίου φρονούντων, Legem tulit, ut ſinguli, quamcunque vellent Religionem, ſectarentur, utque omnes conveniendi copiam haberent, præter Manichæos & Photini atque Eunomii ſectatores. *Hinc Suidas in voce* Γρατιανὸς, πᾶσι νόμον παρέχειν ἀδείας, καὶ ἀδιορίστως ἐν ταῖς ἰδίαις ἐκκλησίαις συνάγεσθαι, Lege lata cujuſcumque Religionis hominibus permiſit, ut ſecure ac libere conventus in Eccleſiis agerent.

(d) *In leg. v. cod. Theod. tit. de Hær.* Omnes vetitæ legibus Divinis & Imperialibus hæreſes perpetuo conquieſcant. Quiſquis opinionem Dei profanus imminuit, ſibi tantummodo nocitura ſentiat, aliis obſutura non pandat .... Denique antiquato reſcripto, quod apud Sirmium nuper emerſit, ea tantum ſuper Catholica obſervantia permaneant, quæ perennis recordationis Pater noſter & nos ipſi victura in æternum .... juſſione mandavimus.

(e) *Lib. 7. cap. 12.* ὁ δὲ βασιλεὺς νομοθετῶν, ἐκέλευσε τοὺς ἑτεροδόξους μήτε Ἐκκλησιάζειν, μήτε περὶ πίστεως διδάσκειν, μήτε Ἐπισκόπους, ἢ ἄλλους χειροτονεῖν. καὶ τοὺς μὲν πόλεων, καὶ ἀγρῶν ἐλαύνεσθαι. τοὺς δὲ ἀτίμους εἶναι, καὶ πολιτείας ὁμοίως μὴ μετέχειν τοῖς ἄλλοις.

si illud detrahatur, magna sequatur Rerumpublicarum perturbatio.

VI. Jamvero ad illud pergamus, cujus causa hanc disputationem suscepimus. Oratio nimirum nostra eo pertinuit, ut planum faceremus, perniciose Grotium de Republica fuisse meritum tot libris suis, quos ad defendendam summorum Magistratuum in sacris auctoritatem evulgavit. Is enim Imperio subjecit ea tantum sacra, quæ ascita sint in publicis locis sive in locis publica auctoritate captis: Nanque ab eo quamcunque Religionem esse liberam jussit, quæ habetur in templis & locis privatis, sive in iis, quæ posita non sunt in Civitatis manu & ditione. Quidquid enim potestatis in rebus Religionis Principibus commisit, hoc in illis inesse ea de causa arbitratus est, quod Imperium iisdem tributum est in ea, quæ sunt publici juris. Itaque collegit, omnibus iis, qui discrepant a communi Civitatis Religione, hoc integrum & liberum esse, ut in templis atque ædibus privatæ ditionis instituere possint conventus & concilia civium, idque docere quod ad hæreses suas facit, etiamsi publicæ de sacris doctrinæ sit contrarium. Hanc libertatem tolli aut imminui civibus non posse putavit a Rerumpublicarum Rectoribus. Hæc Grotius de privata Religione, quæ non modo publicam tranquillitatem intercipiunt, sed universum earundem statum perturbant. Cum enim a rerum Divinarum doctoribus ea tradi possint, quæ publicæ saluti officiant, cur non suspicemur ne in privatis conventibus dogmata hujusmodi explicentur, quorum auctoritate cives arma capiant atque Imperium detrectent? Quin etiam cogitemus necesse est seditiones, tumultus & bella, quæ initium ducant ab iisdem civium sodalitatibus cum communitate in doctrina Religionis dissidentibus. Deputandum enim est præter spem evenisse quicquid horum secus eveniat. Nanque sacra, quæ publicis dissentiunt, cum separatim, omni proposita impunitate, habeantur, animos facile ad contrarias leges rapiunt atque inflammant, ex quo rebus studere novis enituntur. Gravissimi veterum auctores memoriæ produnt, anno ab V. C. DCCXXV. cum Octavius omnia nomine Principis accepit, eundem de reddenda Republica cogitantem ad eam deliberationem Agrippam & Moecenatem adhibuisse optimos & singulari sibi amicitia conjunctissimos Viros. Atque Agrippam, qui libera & diserta oratione Cæsarem ad Imperium Senatui Populoque Romano tradendum compulerat, Mœcenas contraria oratione, eaque politicis sane argumentis refertissima refellere aggressus est (a): Quoniamque satis disputasse videbatur, ne Cæsar Imperium deponeret, consilium explicare instituit, quod a novo illo Principe ineundum erat, ut prospere Rempublicam gerens prospiceret otio & securitati suæ. Præceptorum, quæ vir rerum publicarum peritissimus in oratione sua tradidit, summum hoc fuit de arcendis peregrinis sacris utut privatis, & de una conservanda Religione (b). *Deos, inquit, ipse semper & ubique ita cole ut moribus patriæ receptum est, ad eundemque cultum alios compelle: peregrinarum vero Religionum auctores odio & suppliciis prosequere, non Deorum modo gratia, quos qui contemnit, haud dubie neminem alium magni faciet, sed propterea etiam, quod qui nova Numina introducunt, multos ad usum peregrinarum legum pelliciunt. Inde conjurationes, coitiones & conciliabula existunt, res minime unius Principatui commodæ. Itaque neque Deorum* con-

(a) *Orationes illæ evolvuntur apud Dionem lib. 52. Sed quæ Agrippæ est, separatim excusa prodiit Basileæ 1580. in 8vo, & cum contraria Mœcenatis ex Cælii Secundi Curionis versione inter ejus orationes Basil. 1553. 8. Denique utraque addita est Titi Livii libro 134 sed paulo liberius expressa & ornata ab eruditissimo viro Joanne Freinshemio.*

(b) *De Mœcenatis sententia, quæ Religionem spectat, copiose dixit Lipsius IV. 2. seqq. Politicorum & in lib. de una Religione adversus Cornhertum.*

contemptorem, *neque præſtigiatorem ullum tolerabis* (a). Itaque Græci & Latini legum latores caverunt, ne ſacra ſeparatim colerentur, niſi quæ publico Civitatis ſcito eſſent accepta, qui locus paulo poſt multis. Hæc omnia cum Julianus Imperator ſciviſſet, omnibus Chriſtianis factionibus, quæ a Catholica Religione defecerant, eam poteſtatem fecit, ut libere conventus ſuos convocarent. Nam Chriſtianum nomen delere, ſive Chriſtianas Civitates evertere cupiebat civium diſcrepantibus in ſua Religione ſententiis. Grotius ipſe non dubitavit (*b*) plures pios Imperatores laudare, qui juſſis ſuis vetuerunt idololatricas hetærias, aut privatos illorum Hæreticorum conventus qui dogmata Civitati noxia docerent. Nimirum ſatis declaravit, ſodalitates diverſarum Religionum nequaquam ſeſe continuiſſe, quin Civitates perturbarent. Igitur ſic habeamus oportet, ſummos Magiſtratus, ſi a privatis Religionibus otioſo ſint animo, non modo Religioni, ſed Reipublicæ, quam gerunt, exitio futuros.

CAP.

(a) *Apud Dionem lib.* 52. §. 36. *pag.* 689. *Ed. Reim.* Τὸ μεν θειον παντη Παντως αὐτος τε σεβου, κατα τα πατρια, καὶ τους ἄλλους τιμαν ἀναγκαζε. τοὺς δε δη ξενίζοντας τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κολαζε, μὴ μονων των θεων ἑνεκα, ὧν καταφρονησας οὐδ᾽ ἄλλου ἂν τινος προτιμησειεν, ἀλλ᾽ ὅτι καινά τινα Δαιμονια οἱ τοιουτοι αντισφεροντες, πολλους ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομειν. κἀκ τουτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ συστάσεις, ἑταιρεῖαι τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχια συμφερει. μητ᾽ οὖν ἀθεῳ τινι, μητε γοητι συγχωρησῃς εἶναι.

(b) *In cap.* VIII. *de Imp. ſum. Pot.* 5.

C A P. XI.

I. De fontibus, ex quibus Summorum Magistratuum auctoritas in sacris haurienda est. Tres enim sunt Jus Gentium, Jus Mosaicum & Jus Evangelicum, quorum primum ad Ethnicos, alterum ad Israeliticos, tertium ad Christianos Principes pertinet. Attamen Grotius rem ita pertractavit, quasi Ethnicis, Israeliticis & Christianis Civitatum Rectoribus una eademque esset potestas, quae Religionem spectat.

II. Disseritur de jure Gentium, cujus sententia Ethnicis Principibus totius Pontificatus procuratio tributa fuit. Hujusmodi juris triplex est ratio, quod Imperium unum & summum est, quod Respublica in Religione nititur, denique quod a Principibus cavendum est, ut cives virtute honestatem colere assuescant.

III. Itaque apud Nationes illi, qui summum Imperium administrabant, Religionem perferebant. Athenis & Romae nemini ulla sacra habere licebat, nisi quae publice essent adscita.

IV. Eam ob caussam Julius Caesar, & ceteri ab eo Imperatores Pontifices maximi appellati fuere. Quinimo Pontificatus in Imperio ipso sic haerebat, ut Christianis Imperatoribus usque ad Gratianum delatus esset. Id ex Zosimo probatur, cujus periocha describitur.

V. Doctissimorum virorum sententiae de Pontificatu Christianorum Principum & de Zosimi auctoritate.

VI. Judicium de Zosimo redditur.

VII. Monumenta vetera exscribuntur, quae Christianorum Imperatorum ethnicum ostendunt pontificatum. Afferuntur, quae ad Constantinum spectant.

VIII. Utut desiderentur Lapides & Nummi, in quibus Filiorum Constantini Magni Pontificatus exprimeretur, argumentum tamen adstruitur, ex quo eos illam dignitatem sibi asseruisse efficitur.

IX. Ratio divinatur, cur Socrates & Sozomenus animadverterint, Julianum sese Pontificis Maximi nomine appellasse, nec id ipsum de ceteris Imperatoribus tradidisse.

X. Jovinianus Pontificatum maximum non rejecisse videtur.

XI. Litterata marmora recitantur de Pontificatu Valentiniani, Valentis & Gratiani.

XII. Primus Gratianus Pontificatu maximo se abdicavit in eo intervallo, quod ab an. 379. ad an. 383. effluxit.

XIII. Imperatores a Gratiano non commiserunt, ut Pontifices Maximi appellarentur. Servii verba explicantur. Totus hic locus ita peroratur, ut Zosimo fides concilietur.

XIV. Exponuntur caussae, cur Christiani Imperatores usi fuissent Pontificis Maximi cognomento.

XV. Disputatur de Imperatoribus, qui ante Constantinum fuere, an ii, quum Pontifices Maximi dicerentur, Pontificatum administrarint. Atque illos omnibus summi Sacerdotii muniis functos fuisse plane ostenditur.

XVI. Universum argumentum concluditur.

I. CUm multa in tradendis publici & Ecclesiastici juris disciplinis nequaquam satis explicata sint, tum haud diligenter pertractata est quaestio de jure Principum in sacris, quam plerique nec dividere, nec dialecticorum more exponere solent. Nanque eam ita persequi aggrediuntur, ut facile intelligere non possis, de quo tandem jure, an Naturae, an Mosaico, an forte Evangelico disputent, perinde atque omnia Gentium, Hebraeorum & Christianorum instituta consentiant, quae Imperium Principum in sacris respiciunt. Atque ea res omnia confundit & perturbat. Neque enim id querendum aut exprobrandum est solum cum iis, qui apud eruditos viros exigua utuntur existimatione, sed etiam cum doctissimis publicarum & Ecclesiasticarum legum interpretibus, iisdemque nobilissimi nominis Scriptoribus. Hos nominari non oportet,

tet, quandoquidem cum uno Grotio Arminianorum Principe nobis negotium est. Is quidem in eo, quod ad manus est, opere perficiendo hoc consilium sequutus est, ut argumenta ex quibuscunque locis trajiceret, quæ caussæ deservirent suæ. Illud enim sibi sumpsit, quod concedi nullo potest modo, politicos Christianarum Civitatum Rectores eadem præditos esse potestate in regendis sacris, atque eos, qui summum Imperium inter Israelitas gesserunt, hos porro eam ipsam sibi ditionem adscripsisse, quæ Principibus tribuebatur apud ethnicas Nationes. Igitur curæ nostræ aliquod pretium erit, si antequam manum e tabula tollamus, de Principum auctoritate in rebus Religionis differamus primum ex Gentium legibus, tum ex Mosaicis, & demum ex iis, quas novi Fœderis auctor pertulit, ut facile omnes percipiant, non licere eam ipsam de Christianis Magistratibus concludere rationem, quæ ad Magistratus Israeliticos, aut etiam Ethnicos pertinebat.

II. Ordiamur ab explicandis Gentium legibus, quæ, nisi Deus Sacerdotium ab Imperio disjunxisset, haud obscure illis, qui summam in hominum Conciliis sive Civitatibus potestatem administrabant, omnem Divini cultus procurationem committebant, eorumque fuisse partes sciscebant, ut Pontificum munere fungerentur, Sacerdotes renunciarent, sacris præessent, de iis judicarent, eademque legibus suis constituerent. Hoc argumentis facile perficitur, quæ oriuntur a jure Principatus, a natura Religionis & ab eo munere, quod civilibus Præfectis mandatum est. Principio Imperium summum & unum sit oportet in omni Republica: quod omnium Philosophorum sententiâ tale debet esse, ut ad id omnia referantur, ipsum autem nusquam, nisi ad Deum præpotentem omnium Dominatorem. In argiva Tragœdia *Supplicibus* sic Populus Regem affatur apud Æschylum,

Tu res Populi, Tuque Urbs tota es,
Non judiciis subditus ullis,
Regni solio fultus ut ara,
Unoque regens cuncta arbitrio (a).

Quem in locum missa facienda sunt, quæ Joannes Miltonus profudit (b). Porro Diotogenes in libro de Regno scripsit, ut se Deus gerit in universo Orbe, ita Regem universis consulere rebus debere in Civitate, cui præest. Itaque perspicuum est (nisi Deus hanc Provinciam aliis mandaverit) omnia, quæ Divinum spectant cultum, summarum in Civitate Potestatum procurari numine oportere, ne de ἀνυπευθύνῳ *summo* Imperio aliquid derogetur.

Accedit autem quod Religionis tanta est vis, ut in ea Reipublicæ salus & incolumitas reponantur. Nanque sublatis Religionis rebus Respublica stare non potest, iisque perturbatis continuo seditiones, discordiæ & bella commoventur. Hoc loco veteres Philosophi vel Gentium superstitiones existimabant. Polybius politicarum rerum inter veteres omnes optime gnarus *in Hist. lib.* VI. *cap.* 54. affirmavit, Religionem in caussa fuisse, cur Romani morum dignitate & vitæ sanctitate cæteras Nationes superarent, eandemque maximum fuisse apud illos propugnaculum, universis periculis oppositum, quæ Statum vel solicitare vel perdere potuissent, quamquam ipse Atheus Deos a politicis Rerumpublicarum Dominis primum ad continendam multitudinem fuisse invectos arbitrabatur. Tota hominis periocha describenda est, ut ab eo ipso, cujus animus nulla pietate imbutus erat, summa Religionis potestas intelligeretur: *Sed nulla re*, inquit Polybius, *æque præstare cæteris Populis Romanos arbitror, ac opinione illa, quam de Diis habent. Atque adeo superstitio continere Romanam*

(a) Σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον
Πρύτανις ἄκριτος ὢν
Κρατύνεις βωμὸν ἑστίαν χθονὸς
Μονοψήφοισι νεύμασι σέθεν.

(b) *In Defens. Populi Anglicani cap.* 5.

nam Rempublicam mihi videtur. *Nam quod merito multi mirentur, usque eo apud Romanos illa in majus est exagerata, & cum in privatam hominum vitam, tum in publica consilia est inducta, ut non queat magis, quod equidem multitudinis caussa factum ab illis existimo. Enimvero si ex solis sapientibus constitui posset Respublica, esset fortasse totum illud genus non necessarium: nunc quum omnis multitudo sit levis, plena nefariarum cupiditatum, ira æstuet ancipiti, & ad vim iracundia impellatur, hoc restat, ut terroribus nec manifestis vulgus cohibeatur. Idcirco videntur mihi veteres nec temere, nec sine gravi caussa istas de Diis opiniones & de pœnis apud inferos in vulgus induxisse, contra autem temere ac sine ratione, qui nunc vivunt, illas rejicere* (a). Livius de Numa Pompilio *in lib.* 1. *cap.* 19. dixit, eum qui Deorum metum Romanis injecerat, monitu Deæ Ægeriæ sacra instituerat, Sacerdotesque legerat, rem peregisse, in qua prorsus Respublica niteretur. Hinc Ovidius *in lib.* 1. *de Art. prop. fin.*,

Expedit esse Deos, & ut expedit esse putemus.

Hæc ita fuere, ex quibus plane efficiebatur, Religiones jure Gentium in Principum fuisse manu, quibus Populorum salutem summam esse legem oportuit.

Quod si munus illud dispiciatur, in quo sunt Rerumpublicarum Rectores, prorsus negotium conficietur. Nam eorum omnium est, ut diligenter studeant Populos Imperio obedientes suo in ea vitæ ratione continere, quæ non modo ad communem tranquillitatem, sed ad privatam singulorum felicitatem accommodatior fit. Atque istud Principes ex sententia assequentur, cum universos Civium ordines ad optimam disciplinam ita informabunt, ut non tam metu animum a fraude avertant, quam officium virtute facere assuescant. Audiamus Philosophos & politicos veteres quorum Princeps Aristoteles, *Nihil*, inquit, *utilissimæ proficient leges, nisi prima civium ætas in Republica ad honestatem instituatur* (b). Ad eum Isocrates, *Decet*, ait, *prudentes Magistratus non porticus implere legibus, sed efficere, ut cives animis insitum habeant justitiæ studium. Non enim Senatusconsulta, aut plebiscita, sed præclara instituta felicem efficiunt Civitatem. Nam homines male instituti leges etiam exquisitissimas negligere audent: qui autem recte & constanter educati sunt, illi demum bonis legibus parent* (c). Optime Horatius, *Quid Leges sine moribus Vanæ proficiunt* (d)? Hi omnes plane docent, beatam esse Rempublicam non posse nisi cives virtutem propter se discant excolere, idque quod sibi prodesse censent, non scelere, sed vitæ honestate metiri. At enim tantæ efficiendæ rei una semper certior via fuit, si nempe Principes providerent, ut Cives universi Deum metuerent, ani-

(a) Μεγίστην δέ μοι δοκεῖ διαφορὰν ἔχειν τὸ Ῥωμαίων πολίτευμα πρὸς τὸ βέλτιον, ἐν τῇ περὶ Θεῶν διαλήψει. Καί μοι δοκεῖ τοῦτο συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα, λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν. Ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐκτετραγῴδηται καὶ, παρεισῆκται τοῦτο τὸ μέρος παρ' αὐτοῖς, εἰς τε τοὺς κατ' ἰδίαν βίους καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως, ὥστε μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολήν. ὃ καὶ δόξειεν ἂν πολλοῖς εἶναι θαυμάσιον. ἐμοί γε μὴν δοκοῦσι τοῦ πλήθους χάριν τοῦτο πεποιηκέναι. εἰ μὲν γὰρ ἦν σοφῶν ἀνδρῶν πολίτευμα συναγαγεῖν, ἴσως οὐδὲν ἦν ἀναγκαῖος ὁ τοιοῦτος τρόπος. ἐπεὶ δὲ πᾶν πλῆθός ἐστιν ἐλαφρὸν καὶ πλῆρες ἐπιθυμιῶν παρανόμων, ὀργῆς ἀλόγου, θυμοῦ βιαίου, λείπεται, τοῖς ἀδήλοις τὰ πλήθη συνέχειν. διόπερ οἱ παλαιοὶ δοκοῦσί μοι τὰς περὶ θεῶν ἐννοίας, καὶ τὰς περὶ τῶν ἐν ᾅδου διαλήψεις οὐκ εἰκῇ, καὶ ὡς ἔτυχεν, εἰς τὰ πλήθη παρεισαγαγεῖν. πολὺ δὲ μᾶλλον οἱ νῦν εἰκῇ καὶ ἀλόγως ἐκβάλλειν αὐτά.

(b) *Polit. lib.* v. *cap.* 9. Ὄφελος οὐδὲν γὰρ ὠφελιμωτάτων νόμων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ.

(c) *In Areopagetico pag.* 254. *edit. Paris.* Δεῖ δὲ τοὺς ὀρθῶς πολιτευομένους οὐ τὰς στοὰς ἐμπιπλάναι γραμμάτων. Ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. Οὐ γὰρ τοῖς ψηφίσμασιν, ἀλλὰ τοῖς ἤθεσι καλῶς οἰκεῖσθαι τὰς πόλεις. καὶ τοὺς μὲν κακῶς τεθραμμένους καὶ τοὺς ἀκριβῶς τοὺς νόμους ἀναγεγραμμένους τολμήσειν παραβαίνειν. τοὺς δ' ἀσφαλῶς πεπαιδευμένους καὶ τοῖς καλῶς κειμένοις θελήσειν ἐμμένειν.

(d) *Lib.* III. *Ode.* 24. *v.* 35.

animosque Religione imbutos haberent. Neque enim in dubio est, quin inter ipsos Ethnicos illi sanctiores essent, qui pietate eminerent. Polybius sane in eo loco, qui paulo ante descriptus est, quum Romanos cæteris Populis Religione præstare dixisset, hoc ita persequutus est, ut eos istam ob caussam Carthaginiensibus, ipsisque Græcis in morum disciplina anteferret. Carthaginienses enim, eo auctore, nihil turpe existimabant, quod cum utilitate conjunctum esset, Romani vero sic reputabant, quidquid honestum non esset, id utile nunquam futurum, item Græci, si vel exigua pecunia iis credita foret, quovis Sacramento adacti fidem nunquam servabant, Romani contra in Magistratibus & legationibus, in quibus magnam pecuniæ vim tractabant, nunquam vel raro committebant ut manifesti peculatus accusarentur. Ergo, si jure Gentium agatur, Principes munere suo fungi non possunt, nisi quidquid Sacrorum est in Civitatibus, in sua positum sit potestate.

III. Ac veteres quidem Populorum moderatores, qui Legumlatores in antiquitate vocabantur, antequam ad cæteras condendas leges aggrederentur, a constituendo Deorum cultu agendi ceperunt primordia. Zaleucus Pythagoræ æqualis, quum de legibus apud Locrenses jubendis cogitaret, eas primum sancivit, quæ ad pietatem adversus Deos spectabant. Testis est Diodorus Siculus, illum in exordio operis Locrenses suos commonefecisse, *Ut ante rem omnem certo persuasum haberent, crederentque esse Deos, & mente Cœlum intuentes, & mirificum ejus ornatum atque ordinem, nec fortunæ; nec hominum illum opificium esse judicarent. Idcirco Deos colerent ac venerarentur, quibus auctoribus omnia honesta & bona mortalibus existerent. Animos præterea ab omni vitio liberos haberent: siquidem Dii non sacrificiis & impensis pravorum, sed justis, ac bonorum virorum honestis moribus & institutis gauderent* (a). Magnus sane locus de cognitione Dei & pietate in eundem, ut nemo Ethnicorum θεολογικώτερον rem docuerit aut rogaverit. Mendum ab eo submovimus in latina oratione, de quo in subjecta tabella. Nunc enim pergimus. Porro Attici juris hoc erat proœmium, *Deos venerantor: Lex esto antiquissima æternæque auctoritatis in Attica, colendos esse Deos atque Heroas patrios & indigenas publice secundum patrias sanctiones* (b). Hanc legem primus Athenis

(a) *In lib.* XII. *Biblioth. cap.* 20. Τοὺς κατοικοῦντας ἐν τῇ πόλει, πάντων πρῶτον ὑπολαμβάνειν καὶ πεπεῖσθαι Θεοὺς εἶναι, καὶ ταῖς διανοίαις ἐπισκοπεῖν τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν διακόσμησιν καὶ τάξιν κρίνειν, οὐ τύχης, οὐδ' ἀνθρώπων εἶναι ταῦτα τὰ κατασκευάσματα. σέβεσθαι τε τοὺς θεοὺς, ὡς πάντων τῶν ἐν τῷ βίῳ καλῶν καὶ ἀγαθῶν αἰτίους ὄντας τοῖς ἀνθρώποις. ἔχειν δὲ καὶ τὴν ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας, ὡς τῶν Θεῶν οὐ χαιρόντων ταῖς τῶν πονηρῶν θυσίαις τε καὶ δαπάναις, ἀλλὰ ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις τε καὶ καλαῖς. *Putandum autem est, Diodorum non scripsisse* ἐπισκοπεῖν intueri, *sed* ἐπισκοποῦντας intuentes, *idque duplicem ob caussam, primum quod oratio sic procedere debet. Nanque si legimus* ἐπισκοπεῖν, *quid dicemus de altero verbo* κρίνειν? *Deest enim ante hanc vocem particula* καὶ, *quæ omnino addenda est, nisi illud vulgatum* ἐπισκοπεῖν *mutetur. Deinde quod Stobæus in cap.* 42. de legibus & consuetudinibus *in loco vocis* ἐπισκοπεῖν, *quæ nunc scribitur apud Diodorum, habet* ἀναβλέποντας suspicientes: *Sic enim ipsa legis verba describit*, τοὺς κατοικοῦντας τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρὴ καὶ νομίζειν Θεοὺς εἶναι ἀναβλέποντας ἐς οὐρανὸν καὶ τὸν κόσμον, καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν καὶ τάξιν, οὐ γὰρ τύχης, οὐδ' ἀνθρώπων εἶναι δημιουργήματα, oportet omnes incolas Urbis & finitimæ regionis esse persuasos & certum habere, Deos existere: tum suspicientes Cœlum & Mundum ac contemplantes in iis ornatum & ordinem putare, ea non a fortuna nec ab hominibus esse effecta.

(b) Θεοὺς ἀγάλλειν, θεσμὸς αἰώνιος τοῖς Ἀτθίδα νεμομένοις κύριος τὸν ἅπαντα χρόνον, θεοὺς τιμᾶν, καὶ Ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ, ἑπομένους νόμοις πατρίοις κ. λ.

nis pertulit Triptolemus testibus Porphyrio (*a*) & Xenocrate (*b*); sed moribus pene sublatam Draco & Solon iterum rogarunt, id quod pluribus Samuel Petitus (*c*). Sic & Romanis a Jove legum initium. Tullius enim quum veteris Reipublicæ instituta expromeret, ita orsus est, *Ad Deos adeunto caste, pietatem adhibento. Opes amovento. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit.* Itaque Athenis & Romæ nulla recipi poterat Religio, nisi publice adscita. Sanxerat enim Draco colendos esse Deos atque Heroas indigenas ἑπομένως νόμοις πατρίοις *secundum patrias sanctiones*, ne, interprete Isocrate (*d*), Civitatis sacris aliquid privatim adderetur, aut imminueretur. Cujus Legis auctoritas nunquam abrogata est. In Atheniensium quidem Republica peregrinis & advenis Diis habitus est honos, sed iis, quos Areopagitæ Senatusconsulto accepissent, uti memoriæ prodidit Harpocration. Nanque si quis civis privatim Deos novos sibi habebat, id facinus capite luebat, quod declarat Flavius Josephus (*e*). Itaque Aristophanes facetissimus Poeta veteris Comœdiæ sic novos Deos vexat, ut apud eum Sabazius & quidam alii Dii peregrini judicati e Civitate ejiciantur (*f*). Eam ob rem Socrates, qui Pythiæ testimonio mortalium unus erat sapientissimus, eo quod novos Deos privatim Civitate donare videbatur, mortis pœnam persolvit. Hæc enim illi scripta est dica, *Jura violat Socrates, quos ex Majorum instituto suscepit Civitas, Deos esse negans, alios vero novos dæmones inducens. Contra jus & fas juvenes corrumpit. Pœna illi mors* (*g*). Quin etiam Theodorus Atheus, quum Euclidem Hierophantam & patriam Religionem verbis offendisset, maxime veritus est, ne in Ariumpagum abduceretur. *Parum abfuit, quin periclitaretur, ne traheretur in Ariumpagum, nisi eum Demetrius Phalereus eruisset* (*h*). Ex quo Apostolus Paulus, quippe quoniam *videbatur novos dæmones invehere* (*i*), in eundem Areopagitarum Senatum raptus est. Jamvero Romæ Reges olim caverant, ne ullis Diis tribueretur cultus, nisi illis, qui publice accepti essent. Antiquissimam hanc legem sic Tullius expressit, *Separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto* (*k*). Eandem vero his suadet, *Suosque Deos aut novos, aut alienigenas coli confusionem habet Religionum & ignotas cærimonias. Non a Sacerdotibus, non a Patribus acceptos Deos? Ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi* (*l*). Scilicet Tullius post allatam

---

(a) *Lib.* περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων.

(b) *Id testatum facit Hieronymus, qui in lib. adversus Jovin. II. inquit*, Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantum præcepta in Templo Eleusinæ residere scribit, Honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum.

(c) *In Comment. ad leges Atticas lib.* I. *tit.* I.

(d) *In Areopag. pag.* 213.

(e) *Cont. Apion.* II. 37.

(f) *In Dramate cui titulus* Ὧραι, *quod Tullius commemoravit lib.* II. *de legibus.*

(g) *Apud Diogenem Laertium in Socrate*, Ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος. ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων. τίμημα θάνατος.

(h) *Sic idem Laertius lib.* II. *cap.* VIII. Καὶ μικροῦ παρ' ὀλίγον ἐκινδύνευσεν εἰς Ἄρειον ἀναχθῆναι πάγον, εἰ μὴ Δημήτριος αὐτὸν ὁ Φαληρεὺς ἐρρύσατο.

(i) *Act. Apost. cap.* 17. *v.* 18. Ὅτι ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι.

(k) *Lib* 2. *de Legg.* VIII.

(l) *Ibid. n.* X. *Vulgatus Tullii editor habebat* . . . ignotas cærimonias etiam Sacerdotibus. Nam a Patribus acceptos Deos . . . *Nec aliter Aldus. Victorius vero, Turnebus & Gruterus legerunt* . . . & ignotas cærimonias. Non a Sacerdotibus non a Patribus acceptos Deos, ita placet coli, si huic legi paruerunt ipsi. *Eandem lectionem*

tam illam legem sibi objecerat sic, *An non liceat acceptos a Patribus aut a Sacerdotibus alienigenas colere Deos?* Respondet vero, Deos colere advenas Romanis licere, si eos Senatus Populusque, non priva Patrum aut Sacerdotum auctoritas adscivisset. Porro quonam in pretio Romanis priscis fuissent peregrina Sacra, Propertius dixit,

Nulli cura fuit externos quærere Divos,
Quum tremeret patrio pendula turba sacro (a).

Hinc Ædilibus id pensi datum est, ut animadverterent, ne qui, nisi Romani Dii aut publice accepti, neu alio more, quam patrio colerentur (b). Judicabant enim veteres Romani, nihil æque Religionem & Rempublicam dissolvere, quam ubi non patrio, sed externo ritu sacrificaretur. Non inficiamur equidem, cum innumeræ Gentes deinde Romam commigrassent, has privatim cultum Diis suis tribuisse, quamquam Senatus eos publice Civitate haudquaquam donaverat. Testes sunt Dionysius Halicarnasseus (c), Tertullianus (d), Eusebius (e), & Augustinus (f), quod inter juniores ostendit juris consultissimus Cornelius Van Bynkershoekius (g). At enim id ipsum, quod contra antiquam Reipublicæ legem permissum est, publica auctoritate concedebatur. Nanque istud e Republica fore, a cujus rationibus Romæ nunquam disjuncta est Religio, crediderunt eorum temporum Romani. Qum nanque Religio cogi non possit (h), timor eos invasit, ne si Urbe prohiberent peregrina sacra, populos qui ea observabant, in officio ægre continerent. Hinc Cæcilius apud Minucium Felicem in *Octavio*, *Romani*, inquit, *dum universarum Gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt*.

IV. Quoniam igitur is sive unus sive cœtus, in quo summum inerat Imperium, omnium Sacrorum & Religionum Judex erat, Romæ Pontifex Maximus a Populo renunciabatur in comitiis. Delata autem ad unum summa potestate omnes, qui Imperatores creati sunt, passi non fuerunt, aliis illum mandari honorem, quo facilius ipsi *universas Religiones & sacrificia in sua haberent manu* (i). Cajus Julius Cæsar in locum Metelli Pii Pontificis Maximi successit, M. Cicerone & C. Antonio Consulibus. Lepido, qui in magna rerum discordia eam dignitatem interceperat, victo & demortuo Augustus in Pontificem Maximum cooptatus est. Hinc Augusto ea dignitas tribui cœpit in titulis, quorum elegantissimum unum nobis descripsit Plinius (k):

IMPE-

---

nem Samuel Petitus secutus est, sed post ea verba... non a Patribus acceptos Deos... *interrogationis notam restituit. Sic enim apertus est Tullii sensus, quem Gruterus juratus se intelligere negavit.*

(a) *Lib.* IV. *Eleg.* I.
(b) *Apud Livium lib.* IV. *cap.* 30.
(c) *L.* II. *pag. m.* 91.
(d) *Apolog. cap.* XXIV.
(e) *Præp. Evang. lib.* II. *cap.* 10.
(f) *Lib.* I. *de Consens. Evangelist. cap.* 18.
(g) De Religione peregrina apud veteres Romanos *Diss.* II.
(h) *Eo spectavit Vir Cl. Gerardus Nood* in Oratione, *quam habuit*, de Religione ab Imperio jure Gentium libera.
(i) *Dio in Aug.*
(k) *Lib.* III. *cap.* 20.

IMPERATORI . CAESARI . DIVI . FIL
AVG. PONTIFICI . MAXIMO . IMP
XIIII. TRIBVNICIAE . POTESTATIS
S. P. Q. R. QVOD. EIVS . DVCTV . AVSPICIISQVE
GENTES . ALPINAE . OMNES
QVAE . A . MARI . SVPERO . AD . INFERVM
PERTINEBANT . SVB . IMPERIVM
POP. ROMANI . SVNT REDACTAE.

Neque dubium est, quin is honos omnibus deinde Imperatoribus delatus sit, quos Senatus Populusque Romanus acceperat. In mutilo lapide, qui Neapoli positus est Tito, is Ἀρχιερεὺς μέγιστος *Pontifex maximus* vocatur. Sin vero duo vel tres Imperatores simul extiterunt, eorum unus Pontifex maximus, collegæ solum Pontifices appellati fuere. Primum Balbinus & Maximus hoc est Pupienus, quos Augustos Senatus renunciavit, uterque Pontificatum maximum inierunt. Istud enim multis edisserunt Bosius, Cardinalis Norisius, Pagius, Tillemontius, Spanhemius, Vaillantius & Bonarrotius in pervulgatissimis eorum operibus. Atque adeo summum Sacerdotium quasi munus existimabatur, quod in ipso Imperio inesset, ut ad ipsos Christianos Imperatores esset translatum. Zosimus (a) auctor est eos a Constantino magno ad Gratianum omnes maximum Pontificatum Imperio adjunxisse suo. Is ita scribit, Ἅμα τε παρέλαβεν ἕκαστος τὴν τῶν ὅλων ἀρχήν, ἡ ἱερατικὴ στολὴ παρὰ τῶν ποντιφίκων αὐτῷ προσεφέρετο, καὶ παραχρῆμα Ποντίφεξ Μάξιμος ἀνεγράφετο, ὅπερ ἐστὶν Ἀρχιερεὺς μέγιστος, *Simul atque ad summum Imperium quisque perveniebat, ei stola pontificalis offerebatur a Sacerdotibus & continuo Pontifex maximus in actis inscribebatur*. Pergit autem, Καὶ οἱ μὲν ἄλλοι πάντες αὐτοκράτορες ἀσμενέστατα φαίνονται δεξάμενοι τὴν τιμὴν καὶ τῇ ἐπιγραφῇ χρησάμενοι ταύτῃ. ἐπειδὴ εἰς Κωνσταντῖνον (hæc verba sic emendat Sylburgius, καὶ δὴ καὶ Κωνσταντῖνος ἐπειδὴ εἰς αὐτὸν) ἦλθεν ἡ βασιλεία καὶ ταῦτα τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ τῆς περὶ τὰ θεῖα τραπεὶς καὶ τὴν Χριστιανῶν ἑλόμενος πίστιν, καὶ μετ' ἐκεῖνον ἐξῆς οἱ ἄλλοι καὶ Οὐαλεντινιανός τε καὶ Οὐάλης, *Ac ceteri quidem Pontifices universi libentissimis animis hunc honorem accepisse & hoc usi titulo videntur, adeoque Constantinus etiam potitus Imperio, licet is a recta sacris in rebus via discesserit, & fidem Christianorum amplexus fuerit, itemque post illum reliqui ordine sequuti & Valentinianus & Valens*. Quæ quum ille dixisset, deinde docuit, primum Gratianum, allatis pontificiæ dignitatis insignibus, fortiter recusasse, quominus iis exornaretur, verentem sane, ne ea res Christiano nomini officeret: cognitoque Principis consilio eum, qui inter Sacerdotes princeps erat, brevem & peracutam habuisse orationem, in qua Maximo bellum paranti Imperium portendit, Τῶν οὖν ποντιφίκων κατὰ τὸ σύνηθες, προσαγαγόντων Γρατιανῷ τὴν στολὴν ἀπεώσατο τὴν αἴτησιν, ἀθέμιτον εἶναι Χριστιανῷ τὸ σχῆμα νομίσας. τῆς δὲ ἱερᾶς τῆς στολῆς ἀποδοθείσης φασὶ τὸν πρῶτον ἐν αὐτοῖς τεταγμένον εἰπεῖν. Εἰ μὴ βούλεται Ποντίφεξ ὁ βασιλεὺς ὀνομάζεσθαι, τάχιστα γενήσεται Ποντίφεξ Μάξιμος, *Quum ergo Pontifices de more talem Gratiano amictum sive stolam Pontificiam attulissent, aversatus est id, quod petebant, ratus non esse fas illiusmodi habitu Christianum uti. Cumque stola Sacerdotibus illis reddita fuisset, ajunt eum qui*

(a) *In libro IV. Hist. cap. 36.*

qui dignitate princeps inter eos erat, *dixisse*, *si Imperator non vult dici Pontifex*, *admodum brevi Pontifex dicetur Maximus*. Zosimus hactenus. Quoniam autem ille in suspicionem temeritatis & impudentiæ non exiguam venit, & in tanto numero Ecclesiasticorum Scriptorum illis sæpe caret, qui ei in historiis suis consentiant, hoc negotium suscipiendum est, ut videamus, num quem nobis Christianorum Imperatorum pontificatum ille narravit, certis antiquitatis monumentis probare possimus.

V. Ac Cardinalis Baronius, tametsi olim sensisset in commentariis, quos ad Martyrologium scripsit, Zosimum nihil de Imperatorum pontificia dignitate certum protulisse, tamen in Annalibus (*a*) sententiam, rebus omnibus inspectis, mutavit. Itaque multis effecit, Constantinum & reliquos post eum Principes passos fuisse, sese Pontifices maximos appellari, donec Gratianus honorem detrectasset. In ea opinione fuit & Joannes Morinus vir eximius (*b*). At contra clarissimos scriptores dixit Julius Pacidius sive qui sub eo cognomento latitat, Jacobus Gothofredus in epistola ad Andream Rivetum (*c*). Is auctor Zosimum rejecit, & in iis, quæ homini conciliare fidem possent, nullam vim esse ponendam arbitratus est. Hæc epistola in lucem iterum prodierat, cum Andreas Bosius ad eam refellendam aggressus est in ea, quæ secunda numero est inter dissertationes *de Romano Pontificatu*, quas Grævius (*d*) evulgavit. Pagius deinde, & Tillemontius, alter in criticis *ad ann.* 312., alter in *volumine* IV. *historiæ Imperatorum* e Gothofredi caussa steterunt tam constanter, ut nihil morarentur quidquid Bosius contra disputaverat. In animum enim induxerant, par non fuisse, ut Principes, qui summo studio Christiana sacra prosequebantur, ullam sibi cum Ethnicis intercedere consuetudinem permitterent. Bosianas partes, quas isti contempserant, Ezechiel Spanhemius tenuit vir eruditissimus sane & doctissimus in immortali opere *de Usu & præstantia Numismatum* (*e*). Advertit is mentem, Constantinum magnum & Principes, qui ei successerunt, quum in ea tempora incidissent, in quibus Senatus, Magistratus, Populus Romanus & Provinciæ ab ethnica superstitione nondum omnino discesserant, nec e Religione, nec è Republica facturos fuisse, si maximum abjecissent Pontificatum. Ad Bosium porro accessit Antonius Van-Dale, qui *tamen in dissert.* II. *ad antiquitates ex marmoribus illustrandas* vel eos Imperatores, qui post Gratianum ad Imperium pervenerunt, Pontifices maximos fuisse salutatos perfecit ex marmore quodam in Ægidis insula effosso, de quo in secunda exercitatione critica differemus. Sic duplex est de Pontificatu Christianorum Principum, eaque discrepans sententia.

VI. Jamvero si omnia animo colligamus, quæ a doctissimis viris allata sunt, multa quidem invenientur antiquitatis testimonia, quæ Zosimo de Principum Pontificatu dicenti auctoritatem adjungunt. Nos ea, quæ deligenda putavimus, brevi comprehendemus. Sed primum paucis de ipso Zosimo. Homo quidem Religione ethnicus in omnes Christianos Imperatores iniquior fuit. Hac ille existimatione usus est non modo scriptorum paulo antiquorum, inter quos sunt Evagrius (*f*), Photius (*g*) & Nicephorus (*h*), sed juniorum, in quorum numero eminent Mottanus Vayerus (*i*), Caveus (*k*) Han-

(a) *Tom.* 3. *An. C.* 312.
(b) *In Ecclesiæ liberatæ part.* I. *cap.* 14.
(c) *De interdicta Christianorum cum Gentilibus communione deque Pontificatu maximo, num Christiani Imperatores eum aliquando gesserint*.
(d) *In volum. quinto Antiquitatum Romanarum*.
(e) *Diss.* XII., *tom.* II.
(f) *III.* 40. & 41.
(g) *In Cod.* XCVIII.
(h) *XVI.* 41.
(i) *In Judic. de Hist. Græcis*.
(k) *In Hist. Litter.*

Hanckius (*a*) Barthius (*b*), & Fabricius (*c*). Scripsit historiæ libros sex, in quibus plurima errata castigant Antonius Possevinus (*d*), Baronius *in Annalibus* & Johannes Tristanus *Tom.* II. præstantissimi operis, in quo vitas Imperatorum e nummis illustravit. Attamen Historicus nominis tam conclamati non fuisse videtur, ut ei, cum temporum, a quibus prope aberat, res perscribit, nulla sit adhibenda fides. Eum in pluribus vindicavit Leunclavius (*e*), & in iis, quæ de Constantino haruspices consulente dixit, ipse Jacobus Gothofredus haud rejecit (*f*). Vir porro non indoctus erat, item Κόμης καὶ ἀποφισκοσυνήγορος *Comes & Exadvocatus Fisci*, quod ei elogium esse in mss. codicibus docent Leunclavius, H. Stephanus & Sylburgius, quin & ab iis Imperatoribus, de quibus verba fecit, non longe recedebat. Accedit quod is historiam suam exscripsit ab Eunapio Sardiano, viro erudito & probo, eodem illo, qui Philosophorum vitas evulgavit. Photius, qui Eunapianos libros tum sospites legerat, sic habet (*g*), Εἴποι δ' ἄν τις οὐ γράψαι αὐτὸν ἱστορίαν, ἀλλὰ μεταγράψαι τὴν Εὐναπίου, τῷ συντόμῳ μόνον διαφέρουσαν, καὶ ὅτ' οὐχ, ὥσπερ ἐκεῖνος, οὕτω καὶ οὗτος Στιλίχωνα διασύρει, *Dixerit autem aliquis hunc* (Zosimum) *non suam historiam scripsisse, sed Eunapianam descripsisse, & brevitate tantum ab ea differre, & quod non hic* (Eunapius), *ut ille, Stilichonem conviciis proscindit*. Ergo Zosimus, si quos eximios viros obtrectaret, ex sententia sua loquebatur, sed in perscribenda historia Eunapium sibi auctorem habebat.

VII. Veniamus ad prisca monumenta Pontificatus maximi, qui Christianis Imperatoribus mandatus est. Hæc perinde consectabimur, ut ad cujusque Principis tempora pertinent. Imperium iniit Constantinus Magnus anno Christianæ Æræ 306. quo tempore ab ethnicis sacris nondum animum avocaverat. Quumque ab Imperio Sacerdotium non divelleretur, salutatus est Pontifex maximus. In lege, quam anno 311. Galerius Maximianus pro Christianis pertulit, eo cognomento affectus est. Legis hoc exordium est apud Eusebium (*h*), Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γαλέριος Οὐαλέριος Μαξ., Ἀνίκητος, Σεβαστὸς, Ἀρχιερεὺς Μέγιστος .... Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Φλαύιος Οὐαλέριος Κωνσταντῖνος Εὐσεβὴς, Εὐτυχὴς, Ἀνίκητος, Σεβαστὸς, Ἀρχιερεὺς Μέγιστος .... Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Οὐαλέριος Λικινιανὸς .... Ἀρχιερεὺς Μέγιστος, *Imperator Cæsar Galerius Valerius Maximianus, Invictus, Augustus, Pontifex Maximus .... Imperator Cæsar Flavius Valerius Constantinus, Pius, Felix, Invictus, Augustus, Pontifex Maximus ... Imperator Cæsar Valerius Licinianus .... Pontifex Maximus*. Anno autem 311. Constantinus Evangelica fide imbutus est eamque ita adscivit, ut nihil duceret, quod summo propagandi Christiani nominis studio præverteret. At enim quo consilio superstitionem Majorum, cui statim abolendæ par non erat, in posterum tempus toleravit, ita se passus est Pontificem maximum appellari. Duo numismata visuntur apud Bandurium (*i*), quorum alterum ex auro signatum post annum 315. & ante annum 320. his litteris scribitur ad partem anticam, CONSTANTINVS PF AVG, ad partem posticam PM TRIB P COS IIII PP. PROCOS., alterum vero percussum est paulo ante vel paulo post Concilium Nicænum, atque in utriusque partis orbe separatim hæc impressa habet, IMP. CONSTANTINVS. MAX. AVG. tum P. M. TRIB.

(a) *De script. Rom.*
(b) *Ad Claudianum.*
(c) *In lib.* V. *cap.* 5. *tom.* VI. *Biblioth. Græca.*
(d) *In Appar. sacro.*
(e) *Lib.* II. *Notat. juris.*
(f) *In Not. ad Cod. Th. Lib.* XVI. *Tit.* X. *de pag. & sacrif.*
(g) *In Bibliothec. cod.* XCVIII.
(h) *In lib.* VIII. *cap.* XVII.
(i) *In volum.* II. *Numis. Imp. pag.* 246. *&* 247.

TRIB. P. COS. VI. PP. PROCOS. In iis Conſtantinus plane P. M. *Pontifex Maximus* dictus eſt. Nummis concinunt lapides, quos deſcripſit Gruterus CLIX. 6. & CCLXXXIII. 3. Horum ſimillimus ille eſt, cujus verba expreſſit Claris. Doni in *Coll. Inſcrip. Antiq. Cl.* II. 101.

D. N. IMP. CÆS
FL. CONSTANTINO
P. F. VICTORI. AVG
PONT. MAX
TRIB. POT. XXIII
IMP. XXII. COS. VII
PP. PROCOS. CONS
HVMANARVM. RERVM
DIVI CONSTANTI. FILIO
BONO. R. P. NATO
M. P. XV

Elegantiſſimus hic titulus dedicatus eſt Anno CCCXXVIII. in quem Conſtantini annus XXIII. Tribunitiæ Poteſtatis incidit. Igitur Conſtantino Magno tribus poſt Nicænam Synodum annis inter cætera elogia nomen fuit Pontifici Maximo, idque in publicis monumentis, ut ei nec invito, nec vetanti hujuſmodi fuiſſe habitum honorem facile intelligi poſſit.

VIII. Illo decedente ad Filios Conſtantinum, Conſtantem & Conſtantium Imperium pervenit. Ac ipſi quidem uti eandem agendi rationem cum Gentilibus inſtituerunt, quam optimus Parens ſuſceperat, ita caviſſe non videntur, ne Pontifices Maximi dicerentur. Quamquam enim in nummis & lapidibus ad eos Principes ſpectantibus, quibus ſane Reſpublica antiquaria non caret, litteræ PONT. M. non viſuntur, tamen quidvis potius exiſtimandum eſt, quam illud illos vetuiſſe ſuſpicemur. Enimvero a nummis, in quibus cognomentum Pontificis maximi deeſt, extimeſcere non oportet. Mos nanque inceperat, ut in nummis tantum imprimerentur hæc nomina, *Dominus noſter*, *Imperator*, *Cæſar & Auguſtus*. Eam ob cauſſam ne unum quidem numiſma repertum eſt, in quo Julianus Pontificis elogio affectus ſit. Atqui hic Imperator nihil ſibi eſſe antiquius ſignificaverat, quam Sacerdotii munia obire & Pontificem vocari Maximum. De illo Libanius (a). *Hic eſt qui vitam ſuam in publicas curas, atque in Altarium procurationem diviſit, is qui per myſteria quamplurima Dæmonum ſibi conciliavit conſuetudinem*: Et in altera Oratione (b), *Gaudet id, Pontificem juxta vocari ac Imperatorem*. Præterea ex lapidibus, quos Conſtantini Filiis antiquitas con-

(a) *In Oratione ad Theodoſium* de ulciſcenda nece *cap.* XXII., Οὗτος γὰρ ἐστι ὁ μερίσας αὐτοῦ τὸν βίον ἐις τε τὰς ὑπὲρ τῶν ὅλων βουλὰς, ἐίς τε τὰς περὶ βωμοὺς διατριβὰς, οὗτος ὁ ἐν τελεταῖς μυρίαις ὁμιλήσας Δαιμοσιν.

(b) VIII. Διὰ τοῦτο χαίρει καλούμενος ἱερεὺς οὐκ ἧττον ἢ βασιλεύς.

consecravit, duo tantum vel tres superant. Quis coniiciet in cæteris, quos vel tempus delevit, vel tellus operit, elogium desiderari Pontificis maximi? Attulit Eusebius (a) hanc epigraphen legis, in qua Maximinus tyrannus Christianis copiam fecit Religionis suæ sibi habendæ, Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γάϊος Οὐαλέριος Μαξιμῖνος, Γερμανικὸς, Σαρματικὸς, Εὐσεβὴς, Εὐτυχὴς, Ἀνίκητος, Σεβαστὸς, *Imperator Cæsar Cajus Valerius Maximinus*, *Germanicus*, *Sarmaticus*, *Pius*, *Felix*, *Invictus*, *Augustus*. Non inscribitur quidem Maximinus Pontifex maximus. Sed nemo argumentum recte duxerit, hominem, qui in ethnicis sacris versabatur, nomen semper neglexisse dignitatis, qua inter Sacerdotes suos eminebat.

Non iniucundum autem erit dispicere, an ex Constantini Filiis aliquis cum Gentilibus tanquam Pontifex maximus egerit. In Codicis Theodosiani lib.IX. tit. XVII. lex posita est, quæ cognitionem de sepulchris Romæ Præfecto Urbis & Pontificibus, in Provinciis vero Judicibus demandat. Eam Constans Imperator anno 349. pertulerat, *Qui libellis datis*, inquit, *a Pontificibus impetrarunt*, *ut reparationis gratia labentia sepulchra deponerent*, *si vera docuerunt*, *ab inlatione multæ separentur* . . . . . *hoc in posterum observando*, *ut in Provinciis locorum Judices*, *in Urbe Roma cum Pontificibus tua Celsitudo inspiciat*, *si per sarturas succurrendum sit alicui monumento*, *ut ita demum data licentia*, *tempus etiam operi consummando statuatur*. Christianus hic Princeps pontificii juris auctoritatem sequutus est. In priscis enim institutis, quæ de Sacerdotibus Numa condidit, sancitum erat, ut non modo cœlestes cæremonias, sed funebria omnia & manes Pontifex curaret. Tullius (b) docuit ad Sacerdotes pertinere *Sepulturæ sanctitudinem*: Tum alias (c), *Quid enim*, inquit, *ad Pontificem de jure parietum*, *aut aquarum*, *aut ullo omnino*? *De sacris* ille judicat, *de votis*, *de feriis*, *de Sepulchris & si quid ejusmodi est*: Et paulo post dixit, *sic decretum a Pontificum collegio*, *non esse jus in loco publico fieri sepulchrum*. Quocirca Jurisconsultus (d) sic cavit, *Si in eo monumento*, *quod imperfectum esse dicitur*, *reliquiæ hominis conditæ sunt*, *nihil impedit*, *quominus id perficiatur*: *sed si Religiosus locus jam factus* (idest perfectus) *sit*, *Pontifices explorare debent*, *quatenus*, *salva Religione*, *desiderio reficiendi operis medendum sit*. Idem Pontificum jus ex multis cippis sive columellis perspicuum est, quæ in Sepulchris cum titulo ponebantur. Ad illustrandam Constantis legem Jacobus Gothofredus tres veteres titulos exprompsit, quorum unum proferimus *ex Corpore Inscriptionum P. DXVIII. 4.*

FL. PROBINCIA . FECIT . SIBI
T. AELIVS . SENTINIANVS . FOR
COR. 7 COH. II. VIG. PETIT. A . PONTI
FIC. VT. SIBI . PERMITTERENT
REFICERE . N. MONUMENTVM
IVRIS . SVI . LIB. LIBERTABVSQVE
EORVM

Ac quamvis Constans Imperator in Provinciis non Sacerdotibus, sed Municipiorum & Urbium Judicibus universum funebre negotium commiserit, hoc ipsum tamen in ea hære-

(a) *Lib.* IX. *Hist. cap.* X.
(b) *In lib.* IV. *de Republica* apud Nonium.
(c) *In libro* II. *de Legibus cap.* 19.
(d) *In l. ult. D. de mortuo inferendo*. . . .

hærebat poteſtate, quæ Pontifici Maximo data eſt. Plinius *lib.* x. *Epiſt.* LXXIII. Trajanum veluti Pontificem maximum conſuluerat, quid cum iis ageret qui petebant, ut ſibi reliquias ſuorum aut propter injuriam vetuſtatis, aut propter fluminis incurſum aliaque his ſimilia *ſecundum exemplum Proconſulum transferre permitteretur*. Is enim ita interrogaverat, quia ſciebat Romæ ex ejuſmodi cauſſis collegium Pontificum adiri ſolere. Trajanus reſpondit in epiſt. LXXIV. durum eſſe injungere neceſſitatem Provincialibus Pontificum adeundorum, ſi reliquias ſuorum propter aliquas juſtas cauſſas transferre ex loco in alium locum velint: *Sequenda ergo*, inquit, *potius tibi exempla ſunt eorum, qui iſti Provinciæ præfuerunt, & ex cauſſa cuique ita aut permittendum, aut negandum*. Hæc ſi bene noveris, tibi dubium non erit, quin Conſtans in ſancienda lege de Sepulchris nec a Pontificio jure, nec ab auctoritate eorum Imperatorum diſceſſerit, qui veluti Pontifices maximi rem gerebant. Ex quo facile efficies iſtam in eum Religionem invadere non potuiſſe, quominus ſeſe Pontificem maximum appellari pateretur.

IX. Veniamus ad Julianum Imperatorem, de quo Socrates (a) & Sozomenus (b), dixerunt. *Καὶ ἑαυτὸν Ἀρχιερέα ὠνόμαζεν*, *Et ſeipſum ſummum Pontificem appellavit*. Quærendum autem eſt, cur duo illi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores animadvertiſſent, Julianum ſe Pontificem vocaſſe, quin aliis Imperatoribus idem fuiſſe cognomentum monuerint. Gothofredus, Pagius & Tillemontius hac de cauſſa id factum arbitrantur, quod Julianus contra Majorum inſtituta & ſine exemplo Pontificatum maximum arripuiſſet. Doctus Reineſius in epiſtola LXXXIV. ad Boſium cenſuit, ἀρχιερέα non modo eſſe Pontificem maximum, ſed cujuslibet Numinis alium Antiſtitem. Itaque ſic habuit, Socratem & Sozomenum, qui animadverterunt Julianum ſe ἀρχιερέα nuncupaſſe, Imperatorem traducere voluiſſe quaſi ita inſanientem, ut ſe unius alicujus Dei Sacerdotem appellaret. Reineſium ſequutus eſt Boſius, qui eum de mente Socratis & Sozomeni ſententiam rogaverat. At enim qui animum adverterit ad ea verba, *ſeipſum* ἀρχιερέα *vocavit*, ſtatim putabit Eccleſiaſticos Hiſtoricos non orationem ſuam fundere, ſed id perſcribere, quod Julianus ſibi vindicabat. Hic vero cum ſe archierea dicebat, ſummum ſui pontificatum verbis comprehendebat, tum ſi ſingularem quandam archieroſynam ſuſcepit, hanc diverſo nomine exprimebat: In litteris ſuis, quæ leguntur (c), Ἐγὼ τοίνυν, inquit, ἐπειδήπερ εἰμὶ κατὰ μὲν τὰ πάτρια μέγας Ἀρχιερεὺς, ἔλαχον δὲ νῦν καὶ τοῦ Διδυμαίου προφητεύειν: Locum ita Petavius convertit, *Ego itaque, quoniam patriorum ſacrorum Maximus ſum Pontifex, & Oraculi Didymæi præfecturam modo ſum ſortitus*. Quis vero, ſi græce ſciverit, non ægre tulerit Ἀρχιερεὺς κατὰ τὰ πάτρια, *ſignificare patriorum ſacrorum Pontificem*? Igitur Juliani periocha in hunc latinum ſermonem reddenda eſt, *Ego vero, quandoquidem more majorum ſum Pontifex maximus, & nunc Apollinis Didymæi Propheta ſorte lectus ſum*. Tenes ſcilicet Julianum voce τοῦ ἀρχιερέως ſummum duntaxat Pontificatum, non nova, quæ ad ipſum accedebant, ſacerdotia complecti. Sed a Reineſio diſcedamus. Joſeph Bimardus de la Baſtie *in diſſert. de Pontificatu maximo Imperatorum Romanorum*, quæ edita eſt *in Tom.* XVIII. *&* XXII. *Memor. Acad. Inſcript.* pronuntiavit Julianum novis elogiis titulum ſuum non ſtipaſſe, ſed iis tantum, quæ Conſtantinus & cæteri poſt eum Principes aſciverant. Quorſum vero Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores ſpectaverint, qui ei cognomentum Pontificis exprobraverunt? Cenſuit, eos in Juliano id monuiſſe, quod ab illis, in quibus ſcribebant, temporibus alienum erat, cum Imperatores nomini ſuo Pontificis maximi appellationem non adiiciebant. Sic enim ille. At Principes, qui in ævo Socratis & Sozomeni imperabant, quum Pontificis maximi cognomentum reiice-

(a) *In Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap.* I.
(b) *In lib.* V. *cap.* I.
(c) *Op. part.* I. *pag.* 237. *ed. Pet.*

relicerent, contra quidem sese gesserunt, atque omnes ante Gratianum Imperatores
egerant, non modo Julianus, sed Constantinus magnus, Constantinus junior, Con-
stans, Constantius, Jovinianus, Valens, Valentinianus & ipse Gratianus. Cur vero
res, quæ præter consuetudinem erat, tantum Juliano objecta sit? Non Constantino?
Non aliis? Istud quidem est, quod investigari oportet. Atque Christiani quidem Im-
peratores nunquam jactanter dixerunt, se Maximos esse Pontifices, sed hujusmodi di-
gnitatem, quam Gentiles deferebant, modeste & prudenter non detrectantes effecerunt
ut ea præsidio & usui esset ad abolendam superstitionem, in qua ipse Pontificatus ni-
tebatur. Unus Julianus, quum a Christiana Religione descivisset, nomine Pontificis
gloriatus est, atque in epistolis suis summum Principatum juxta atque Sacerdotium
sibi vindicavit. Mirari licet impudentem illius fastum in epistola ad Arsacium Arme-
niorum Satrapam, quam Ludovicus Antonius Muratorius ex Codice Ambrosianæ Bi-
bliothecæ *in Anecdotis Græcis* evulgavit, & paulo emendatiorem Fabricius iterum edi-
dit (a): Πᾶσαν, inquit, σὺν ῥαστώνην καὶ φενακισμὸν ἀποθέμενος, καὶ τὸν μακαρίτην ἐκεῖ-
νον Κωνστάντιον . . . νῦν με τὸν Ἰουλιανόν, τὸν Ἀρχιερέα τῶν Καίσαρα, τὸν Αὔγουστον,
τῶν Θεῶν τε καὶ Ἄρεως θεραπευτήν ἐννόησον, τὸν ὀρχηστὴν καὶ βαρβάρων ὀλετῆρα, τὸν
Γάλλων τε καὶ Ἰταλῶν ἐλευθερωτήν, *Omnem igitur*, o Arsacie, *desidiam atque tergiversatio-*
nem abiice, atque cogita beatum illum Constantinum, nunc vero me Julianum Pontifi-
cem maximum, Cæsarem, Augustum, Deorum ac Martis cultorem, qui Francorum Bar-
barorumque perditor, Gallorum vero atque Italorum liberator sum. Ea fuit stoliditas,
de qua Julianum Socrates & Sozomenus objurgare videntur, cum illum animadvertunt
sese Pontificem Maximum appellasse.

X. Jamvero Jovinianus, qui Ethnico Imperatori successerat & in iis erat tem-
poribus, quæ pervertendæ superstitionis ei copiam non dabant, de Religione id con-
silium suscepit, ex quo satis perspicuum est, eum vereri non potuisse, quin nomen
suum Pontificatu maximo exornari facile permitteret. Is enim, quamvis Christia-
nus, toleravit omnes, qui Imperio suo parebant, ea sibi habere sacra, quæ vellent.
Hoc declarat Themistius (b), cujus locus *in octava exercitatione critica* exscribetur.
Gentiles quidem non dubitarunt ex more sacrificare, exta consulere, & cætera Reli-
gionis suæ officia peragere, delato ad Jovinianum Imperio. Ammianus Marcelli-
nus (c), qui apud Exercitum erat, cum ille, interfecto Juliano, Princeps creatus est,
memoriæ prodidit, *pronuntiatum esse, hostiis pro Joviniano extisque inspectis, eum omnia*
perditurum, si intra vallum remansisset, ut cogitabat, superiorem vero fore, profectum.
Quinimo in Nomismatophylacio cl. viri Rothelin nummus, qui ad Jovinianum
pertinet, diligenter asservatur, in cujus altera parte Isidis imago est cum his litteris,
VOTA PUBLICA. Hæc Princeps scivisse, nec vetuisse videtur. Quapropter par
est conjicere, illum nomen Pontificis, quod Constantino & cæteris Christianis Impe-
ratoribus fuerat, certe non recusasse.

XI. Sequuntur Valentinianus, Valens & Gratianus; de quorum Pontificatu litte-
rata marmora superant. In eo, quod Romæ in Ponte Cestio repertum est, tres si-
mul Imperatores Pontifices Maximi appellantur. Bene longum titulum ediderunt Ba-
ronius (d), Gruterus (e), Boissardus (f) & Nardini (g). Sic ille legitur,

DO-

(a) *In Biblioth. Græc. volum.* VII.
(b) *In oratione* V. *pag.* 67. *ed Hard.*
(c) *In lib.* XXV. *cap.* 6.
(d) *In tom.* III. *ad Ann.* 312.
(e) *CLX.* 1.
(f) *Part.* III. *fol.* 114
(g) *Rom. Antiqu. lib.* VIII. *cap.* 3.

DOMINI . NOSTRI . IMPERATORES
CAESARES . FL. VALENTINIANVS
PIVS . FELIX . MAX. VICTOR. AC
TRIVMPH. SEMPER . AVG. PONTIF
MAXIMVS . GERMANIC. MAX
ALAMANN. MAX. FRANC. MAX
GOTH. MAX. TRIB. POT. VII. IMP
VI. COS. II. PPP. ET FL. VALENS
PIVS . FELIX . MAX. VICTOR . AC
TRIVMPH. SEMPER . AVG. PONTIF
MAXIMVS . GERMANIC. MAX
ALAMANN. MAX. FRANC
MAX. GOTHIC. MAX
TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS
II. PPP. ET . FL. GRATIANVS . PIVS
FELIX. MAX. VICTOR. AC . TRIVMPH
SEMPER . AVG. PONTIF. MAX
GERMANIC. MAX. ALAMANN
MAX. FRANC. MAX. GOTHIC
MAX. TRIB. POT
III. IMP. II. COS. PRIMVM . PPP.
PONTEM. FELICIS . NOMINIS
GRATIANI . IN . VSVM . SENATVS . AC
POPVLI . ROM. CONSTITVI
DEDICARIQ. IVSSERVNT

Omnes, qui in marmor intuentur, ſine labore percipiunt, illud publica Senatus Populique Romani auctoritate fuiſſe poſitum, & conſentientibus Auguſtis ad cætera elogia honorem Pontificis acceſſiſſe. Tribus ante annis baſis Romæ ſublata fuerat ſoli Valenti Imperatori, in qua is Pont. Max. ſalutatus eſt. Eam Gruterus protulit p. cccvi. 5.

IMP.

IMP. CAES. FL.
VALENTI
PIO . FELICI . VICTORI
AC . TRIVMPHATORI
SEMPER . AVGVSTO
PONT. MAX
TRIB. POT. III. IMP. IV
COS. II. P. P
COH. III. . . . . . .
D. N. M. . . . . P. R. . . . .

Per idem ferme tempus Gratiano saxum dedicatum est Emeritæ in Lusitania, quod Gruterus *pag.* 159. 7. exscribit hæc verba,

IMP. CAES. GRATIANVS
PIVS . FELIX. MAX. VICT
AC . TRIVMPH. SEMP. AVG
PONT. MAX. GERM. MAX
ALAMANNVS . MAX. FRANC
MAX. GOTH. M. TR. P. III
IMP. II. COS. IIII. PRIM. P. P.
RESTITVIT
C. XI

In versu septimo delendus est numerus IIII, & sic legi oportet, COS. PRIM. Simillimum saxum Romæ erectum fuerat, cujus verba evolvimus apud eundem Gruterum *pag.* 199. 7.

FL. GRATIANVS . PIVS . FELIX. MAXIMVS
VICTOR. AC. TRIVMPH. SEMPER . AVG. PONT
MAX. GERMANIC. MAX. ALAMAN. MAX
FRANC. MAX. GOTHICVS . MAX. TRIB. POT. III
IMP. II. COS. PRIMUM P. P. P

XII. Igitur Gratianus anno Imperii sui secundo hoc est anno 369. Pontifex vocatus

tus fuit. Nanque a Valentiniano Patre Augustus creatus fuerat anno 367. mense Augusto IX. Kal. Septemb. in Ambianis. Quin & decem post annis Gratianus illud idem cognomentum non detrectavit. De ipso enim in *Gratiarum actione pro Consulatu* Ausonius eximius Poeta, *Unus*, inquit, *in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex Religione, indulgentia pater, ætate Filius, pietate utrumque superat*. Quamque ille in eadem oratione de comitiis, in quibus consul fuerat renuntiatus, sermonem iniiceret, & veluti dubitaret, num tributa, an centuriata, an vero pontificia diceret. *Sic potius*, addit, *sic vocentur, quæ tu Pontifex maximus Deo participatus habuisti*. Ausonius autem anno 379. cum collega Olybrio Consul fuit, quem annum ipse in epigrammate 145. ita supputavit,

Urbis ab æternæ deductam Rege Quirino
Annorum seriem cum Procule accipies:
Mille annos centumque & bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen ad usque leges.
Fors erit, ut lustrum cum se cumulaverit istis
Confectam Proculus signet Olympiadem.

Epocham V.C. Varronianam annis 13 prævertit Poeta, de quo errore Antonius Pagius (a), Petrus Relandus (b) & Jacobus Gothofredus (c). Redeamus ad Gratianum, qui demum anno 383. VIII. Kalend. Septemb., teste Marcellino *in Chronico*, interfectus fuit. Atque ille in eo temporum intervallo, quod ab anno 379. ad annum 383. effluxit, certe antequam Maximus Tyrannus ei bellum inferret, dignitatem Pontificis maximi a Christiano Principe abhorrentem recusavit. Itaque omnium, qui a Gratiano Imperatores fuere, nemo, nec Theodosius, nec Arcadius, nec Honorius nec Valentinianus nec alii elogio Pontificis maximi affecti fuere in publicis titulis quos Gruterus exprompsit CCLXXXVI., 5. 6. 7. Ad eam rem magnum argumentum duci potest a Libanio ethnico sophista, qui *in Oratione ad Theodosium* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν *pro Templis non delendis* nusquam hunc Principem Pontificem vocavit, tametsi sæpe in eum locum venisset, in quo ei, quum pro aris & sacris suis diceret, ab hujusmodi habendo honore abstinere per mores non licuerat. Si quæ autem monumenta contra facere videantur, ea aut sincera non sunt, aut aliter intelligi debent, de quibus *in exercitatione critica ad secundum Grotii caput*.

XIII. Unus est Servius Honoratus, qui obiici nobis posset. Is ad illud Virgilianum (d)

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos

hæc adjungit, *Sane Majorum hæc erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos, vel Pontifex: Unde hodieque Imperatores dicimus Pontifices*. At enim de tempore in quo Servius vixit, inter Criticos non convenit. Nam alii Hadriani Imperatoris æqualem existimant, alii Constanti & Constantio, plerique autem Honorio & Theodosio supparem credunt: in qua dissensione tempus illud divinari non potest, quod Servius voce *hodieque* significavit. Sed demus id, quod magni refert, illum extitisse iis temporibus, cum Theodosius junior imperavit, eundem nimirum esse, quem Macrobius tanquam in vivis agentem commemoravit. Attamen illud non sequitur, Principes istius ætatis in more institisse, ut ipsi Pontifices maximi dicerentur. Nam Servius, si idem sit atque Macrobianus, ad vulgi opinionem respicere potuit, qui receptas loquendi consuetudines serius tollit, quam decet. Sic igitur habeamus, Zosimum certa & vera nobis attulisse, cum tradidit, Christianos Imperatores pontificatum maximum non rejecisse, donec pri-

(a) *In crit. ad an.* 302:
(b) *In Fastis pag.* 464.
(c) *In Chronologia Codicis Theodosiani.*
(d) *Æneid.* 3.

primus Gratianus committere noluerit, ut ea dignitate adornaretur, quam Ethnici cæteris tribuerant.

XIV. Sed antequam hinc discedamus, porro quibus ex caussis maximi Pontificis cognomento Christiani Imperatores usi essent, breviter dicendum videtur. Nanque fieri necesse est satis Gothofredo, Pagio & Tillemontio, qui par non fuisse dixerunt, pios Principes eo præconio laudari, cui ex superstitione vis accedebat. Theophanes Archiepiscopus Plescoviensis Petropoli anno 1721. publici juris fecit *Disquisitionem de sensu, in quem Imperatores Romani tam Ethnici quam Christiani appellati fuerint Pontifices sive Archierei Gentilis Religionis? Et num Christianæ Religionis summi Imperantes dici possint Episcopi & Archierei?* Liber facile comparari non potuit, ut quid auctor disputaverit, ad manus inveniri possemus: itaque quid nobis in mentem venerit, paucis ostendetur. Verum oportet præscire nos equidem, Christianos Imperatores, qui maximi Pontifices dicti fuere, ieratica officia non factitasse, hoc est nec preces Diis fudisse, nec hostias immolasse, neque cætera hujusmodi peregisse sacra. Unus Julianus has Sacerdotii partes explevit, qui ob singulare facinus a Christianorum, inter quos olim allectus fuerat, ipsa societate defecit. Reliqui Principes, qui a Constantino magno Rempublicam suscepere, quum sese paterentur maximos Pontifices vocari, in eo solum munere fuerunt, ut de Religionibus perferrent, ethnicis Sacerdotibus imperarent, & de sacris negotiis decernerent. De his igitur Imperatoribus quærendum est cur Romani Pontificatus nomen sibi delatum non rejecerint. Atque primum illi ad abolendam superstitionem non alia via aggressi fuere, nisi qua cœptis prospere succedere posset. Si tempora respiciantur, cum Constantinus Christiana sacra adscivit, ethnica Religio Romam, Senatum, Magistratus, milites, Duces & Provincias tenebat, eademque nitebatur in eorum, qui Urbes condiderunt, primis legibus, in priscis Populorum scitis, in Gentium moribus & in antiquis hominum opinionibus: Hujusmodi enim loco esse videbatur, ut si ipsa a civium animis evelleretur, imperium Urbis in summum discrimen adduceretur. Quid ille tum ageret? Nihil temere commisit, sed omnia pedetentim prospexit, ne Respublica quidquam fraudis caperet. Initio Vatibus credere visus est, quod facile percipi potest ex iis, quæ de ipso scripsit Zosimus (a), *Patriis adhuc sacris* (Constantinus) *utebatur non tam honoris Religionisque caussa, quam necessitatis: ex quo fiebat, ut hariolis si qui essent experientes, fidem haberet, veluti qui vera ei de rebus omnibus feliciter gestis prædixissent.* An autem Constantinus ex sententia ita existimabat? Quinimo despicatui duxit & prorsus contempsit quidquid vates hariolarentur & Haruspices denuntiarent. Incertus Panegyristes, cum de bello adversus Maxentium verba faceret, Constantinum sic affatur, *Quisnam te Deus, quæ tam præsens hortata est Majestas, ut contra consilia hominum, contra Haruspicum monita ipse per temet liberandæ Urbis tempus venisse sentires? Habes profecto aliquod cum illa mente Divina, Constantine, secretum.* Vides igitur quid Imperator de Haruspicum monitis eorumque similibus oraculis sentiret? Eas Religiones specie quidem permittere videbatur, sed revera pervertere & funditus delere cogitabat. Quæ quum ita essent, hoc ipso consilio non recusavit, quominus Pontificis maximi cognomento appellaretur. Rem enim eo modo esse gerendam censuit, ne si omnes consuetudines ob temporum diuturnitatem firmatæ abrogarentur, Gentiles, perturbatis primum animis, deinde quasi deplorata Reipublicæ salute seditionem cœptarent. Symmachus ipse (b) ad Valentinianum, Theodosium & Arcadium satis

(a) *In lib. 2. cap. 20.* Ἐχρῆτο δὲ, inquit, καὶ ἔτι τοῖς πατρίοις ἱεροῖς οὐ τιμῆς ἕνεκα μᾶλλον ἢ χρείας. ᾗ καὶ μάντεσιν ἐπείθετο πεπειραμένος, ὡς ἀληθῆ προεῖπον ἐπὶ πᾶσι τοῖς κατωρθωμένοις αὐτῷ.

(b) *In lib. x. epist. 54.*

satis declaravit, Constantium Constantini Filium de sacris Gentilium ita consultasse, ut ea perdere propter Imperium non auderet, *Accipiat æternitas vestra alia ejusdem Principis facta, quæ in usum dignius trahat. Nihil ille decerpsit sacrarum Virginum privilegiis, decrevit Nobilibus Sacerdotia, Romanis cæremoniis non negavit impensas, & per omnes vias æternæ Urbis lætum secutus Senatum vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis Deum nomina, percontatus est templorum origines, miratus est conditores, cumque alias Religiones ipse sequeretur, has servavit Imperio.* Accedit, quod Christiani Principes, qui in ethnicæ Religionis pontificatu versabantur, leges de sacris condere poterant, quas veluti ab iis, quorum ea res erat, perlatas Gentiles habere cogebantur. Sed nihilosecius leges tam sapienter concipiebant, ut ad omnes Deorum Religiones tollendas spectarent, quin ejus incepti ratio appareret. Hæc summa erat illorum prudentia, ex qua Christianæ Religionis bono prospiciebant. Exemplo est lex prima *in Cod. Theod. Tit. de Paganis, Sacrificiis & Templis*, quæ ad Maximum scripta est. In ea Constantinus. *Si quid*, inquit, *de Palatio nostro, aut cæteris operibus publicis degustatum fulgore esse constiterit, retento more veteris observantiæ, quid portendat, ab Haruspicibus requiratur, & diligentissime scriptura collecta ad nostram scientiam referatur. Cæteris etiam usurpandæ hujus consuetudinis licentia tribuenda, dummodo sacrificiis domesticis abstineant, quæ specialiter prohibita sunt.* Mos erat Romæ, ut simul atque de Cœlo quid publicum esset ictum, Haruspices quærerentur, de quo Varro in *Thrihodite* apud Nonium Marcellum. Hunc morem Constantinus non abrogavit; sed veluti Religionum Pontifex jussit qualecunque Haruspicum responsum in vulgus non emanare, sed ad seipsum statim deferri. Imperavit porro sapiens Imperator, ut Haruspices non in privatis domibus, sed in publicis locis consulerentur, & sacra, si quæ fierent, apud publicas aras, nec privatim peragerentur. Sic enim ille, quoniam hujusmodi superstitiones abolere statim non poterat sine summo Civitatis discrimine, negotium tamen sibi dedit, ut eas ante quadam cohiberet, simulque in invidiam & obtrectationem apud omnes Populos conjiceret. Igitur expositas habemus caussas, ob quas Constantinus & reliqui post eum Principes siverunt, sese summos appellari Sacerdotes. Ex quo, perditis omnibus Gentilium opibus, Gratianus paucis ante annis, quam è vita decederet, Pontificis dignitatem contempsit.

XV. Revertamur ad Ethnicos Imperatores. Dispici enim necesse est, quorsum jure Gentium eorum Pontificatus spectaret. Atque de illis universis viri eruditi disputant, an quum Pontifices maximi essent, id Sacerdotium administrassent. Censent quidem Jacobus Gutherius (*a*) & Casaubonus (*b*) Romanos Principes nomine fuisse Pontifices, sed munia, quæ iis leges committebant, nunquam implevisse. Contra Bosius (*c*) & Spanhemius (*d*), allatis Græcorum Latinorumque auctorum, qui historiam Augustam scripserunt, perspicuis testimoniis docent, illos non modo omnem Pontificatus potestatem gessisse, sed in officio esse suo existimasse, ut in ea exercenda versarentur. Ac quidem Imperatores tanquam Pontifices maximi sacra omnia in Orbe constituebant & publicum Deorum cultum regebant. De Octavio Augusto Suetonius (*e*), *Postquam Pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit .... nonnulla ex antiquis cæremoniis paullatim abolita restituit, ut Salutis augurium, Diale flaminium, sacrum Lupercale, Ludos seculares, & compitalitios: item secularibus ludis juvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo majore natu propinquorum. Compitales lares orna-*

(a) *De jure Pont. veter. Rom. lib.* 1. *cap.* 15.
(b) *In notis ad Historiam Aug. pag.* 86.
(c) *In diss.* 11. *de Pontif. maxim. Imp. cap.* 2.
(d) *In diss.* XII. *de Us. & præst. Num. tom.* 15.
(e) *Cap.* 31.

ornare bis anno instituit.
aut correxit, aut exoleta. De Claudio autem hæc dicit (a), *Quædam circa cæremonias*
Maximum Pontificatum adeptus revocavit, *aut etiam nova instituit*. De Vitellio Tacitus (b),
infausto die Cremerensi de cæremoniis publicis xv. *Kal. Aug. edixit, antiquitas*
na diligentissime curavit Alliensique cladibus. De Hadriano Spartianus (c), *Sacra Roma-*
Caracalla Lampridius (d), *peregrina contempsit, Pontificis maximi officium peregit*. De
eidem Deæ fecit. Is porro *Sacra Isidis Romam deportavit, & templa ubique magnifica*
videtur, quemadmodum miratur, cur vulgus ita credat: *Mihi mirum*, sic pergit,
cantur, cum Antoninus sacra Isidis primum per hunc (Caracallam) *Romam venisse di-*
& deinde Principes Commodus ea *celebraverit*. At forte res ita se habuit. Senatus
tuerunt. De fanis enim, quæ Isidi Religionem ἔξω τοῦ πωμηρίου *extra Pomœrium* consti-
runt, plane differuerunt Dio (e), sed Ægyptiis Diis Romæ ante Caracallam posita fue-
intra Urbem templum erat, quod & Flavius Joseph. (f). Nullum autem Isidi
primus Ægyptios Deos Romam deportasse Caracalla condendum curasset, is omnium
riæ prodit, Imperatorem Heliogabalum credebatur. Idem Lampridius (g) memo-
Religionem Romæ ascivisse: Et Vopiscus Emiseni Numinis, a quo nomen acceperat,
Sacerdos erat, huic Deo templum sustulisse (h) addit, Aurelianum, cujus Mater Solis
peratoris nummo apud Mediobarbum (i) sic inscribatur, SOL DOMINUS IMPERI
ROMANI, & in nummis aliorum Principum, qui deinde fuerunt, vultus Solis sæpe
renideat. Igitur quod præcipuum in Romanorum Imperatorum Sacerdotum potestate inerat & ad
Religionum constitutionem pertinebat, hoc Imperatores simul atque iis maximum Sa-
cerdotium delatum est, gerendum susceperunt. Videamus modo an cæteras Pontificii
juris partes obiverint. Primum illi tempora ordinabant sive Kalendarium conficiebant,
& de sacris libris decernebant. Utrumque hoc Octavius peregit. Nanque is, teste
Suetonio in *cap*. 31. *Quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis nullis vel pa-*
rum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit,
ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis
sub Palatini Apollinis basi. Annum a D. Julio ordinatum, sed postea negligentia con-
turbatum atque confusum rursus ad pristinam rationem redegit. Item Claudius ex
Dion. (k) in Kalendario numerum Dierum minuit, in quibus cum Populo age-
re nefas erat, & Marcus Aurelius, Fastis (inquit Capitol.) (l) *dies judicarios*
addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis consti-
tueret. Ad hæc Imperatores de jure Sacerdotum omnium censebant, & quæstionibus
sæpe præerant, quæ contra eos exercebantur. Servius Maluginensis Flamen Dialis
apud Tacitum in Annalium lib. III. *cap*. LIX. postulavit, ut Asiam Provinciam sorte
haberet, frustra vulgatum esse dictitans, non licere Dialibus egredi Italia: neque
aliud sibi jus esse tribuendum, quam iis, qui Martiales & Quirinales creati fuere Fla-
mines. Privatis olim simultatibus factum, ut a Pontificibus maximis Flamines ire in
Provincias prohiberentur, sed iis temporibus, in quibus ipse vivebat, Deorum munere sum-

n 2

(a) *Cap*. 22.
(b) *Hist. lib*. II. 91.
(c) *Cap*. 22.
(d) *In cap* 9.
(e) *In lib*. XL. *pag*. 142. *item* XLII. *pag*. 196. *tum* XLIV. *pag*. 525. & XLVII. *pag*. 336.
(f) *Antiq. Jud. lib*. XVIII. *cap*. 3. & *Tertul. Apol. cap*. 6.
(g) *Cap*. 3. 17.
(h) *Cap*. 32.
(i) *Num. Imp. pag*. 406.
(k) *Lib*. LX. *pag*. 676.
(l) *Cap*. x.

summum Pontificum etiam summum hominum esse, non æmulationi, non odio, aut privatis affectionibus obnoxium. Sic ille. Quum vero contra Lentulus aliique dicerent, eo perventum est, ut Tiberii Pontificis maximi sententia expectaretur. Sed is eam notionem tum esse differendam ratus est. Apud eundem Annalium Scriptorem in *cap.* LXIV. Senatus propter atrocem Juliæ Augustæ valetudinem Diis ludos magnos decreverat, quos Pontifices, Augures & Quindecimviri cum Semtemviris & sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius, ut Feciales iis ludis præsiderent. At Tiberius contra judicavit, *distincto Sacerdotiorum jure & repetitis exemplis*. Alii rerum Romanarum Scriptores judicia nobis produnt, quæ in Sacerdotes criminum reos reddita sunt ab Imperatoribus. Domitianus enim *incesta Vestalium Virginum*, ait Suetonius in cap. 8. *a Patre quoque suo & Fratre neglecta varie & severe coercuit: priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Nam cum Ocellatis Sororibus, item Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptoresque earum relegasset, mox Corneliam virginem maximam, absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit*. Animadversionis pene eadem severitate usus est Caracalla, qui summum supplicium a Vestalibus Clodia Læta, Aurelia Severa, Pomponia Rufina & Canutia Crescentina repetiit, de quibus Herod. (*a*). Accedit quod ad Pontifices maximos semper pertinuit, capere Vestales Virgines, hoc est Vestæ sacras Virgines facere. Sed postquam Imperatores Reipublicæ præfuerunt & Pontificatum maximum inierunt, omnis ea res ab ipsis peragebatur. Nostra enim ratio sic est. Papiæ legis conditores caverunt, ut Pontificis maximi arbitratu Virgines e Populo viginti legerentur, sortitioque in concione sive in comitiis ex eo numero fieret, & cujus Virginis nomen ductum esset, eam Pontifex maximus caperet eamque Vestæ consecraret. Sed quoniam lex rogata est temporibus Octavii Augusti, qui unus Pontifex maximus erat, profecto is ipse est, ad quem ea spectavit. Ex quo sequitur, in Augusti officio fuisse, plures e Populo Virgines legere & illam, quæ sortito capta esset, ad Sacerdotium admovere. Aulus Gellius, qui istud Papiæ legis caput nobis descripsit (*b*), paulo post docuit, sortitionem ex lege Papia necessariam non videri tempore suo, cum, si quis honesto loco natus adiret Pontificem maximum, atque ad Sacerdotium filiam suam offerret, gratia Papiæ legis per Senatum fieri solebat. Gellius autem libros Noctium Atticarum, quos scribere in Agro Attico exorsus erat, Romæ Antonino Pio Imperatore in lucem evulgavit. Quum ergo Antoninus Pius Pontifex maximus esset, idem erat, qui oblatam ab honestis Parentibus Virginem manu prehendebat hoc est capiebat & Vestæ dedicabat.

Atque ista Pontificiæ potestatis, quam Romani Imperatores gesserunt, magna sunt argumenta. Sed alia nunc persequemur. Pontifices olim in Collegiis legebantur, quamvis is, qui eorum maximus esset, in Comitiis Populi crearetur. Sed Cn. Domitius in Tribunatu Pontificibus offensior, quod alium, quam se in Patris sui locum cooptassent, jus Sacerdotum subrogandorum a Collegiis ad Populum transtulit. Ea lege abrogata Dictator Sylla Collegiis pristinam fecit potestatem eorum capiendorum, qui demortuis Sacerdotibus succederent. Post Syllæ obitum Titus Labienus Tribunus Plebis Domitiam legem renovavit eodem anno, quo Julius Cæsar Pontifex maximus a Populo renuntiatus est. Quum vero Cæsar interfectus esset, Consul Marcus Antonius iterum pertulit, ut Collegia Sacerdotes dicerent. Hoc enim egit, ut Lepidus ad summum Sacerdotium perveniret, qui facile repellebatur, si peteret in Comitiis. At enim Imperatores, suscepto Pontificatu, id jus sibi datum crediderunt, ut in singulis collegiis arbitratu suo Sacerdotes scriberent, multosque supra numerum adlegerent. Gravis auctor Dio (*c*) sic scriptum reliquit, Ἔκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερᾶσθαι, καὶ πρόσετι καὶ τὸ ἄλλοις τὰς πλείους σφῶν δίδοναι, Ἀρχιερέα τε αὐτὸν, κἂν δύο κἂν

(a) *In lib.* IV. *cap.* 6. *& Dio in Excerp. Vales.* **Pag.** 753.
(b) *In lib. Noct. Att. cap.* XII.
(c) *In libro* LIII.

κ' ἐν ταῖς ἱερωσύναις ἱερῶσθαι, πάντων αὐτοὺς καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύειν, *Ex eo quod Imperatores omnibus Sacerdotiis inaugurati sint, & quod alios in pleraque illa collegia asciscant, semperque unus eorum, ubi duo vel tres simul imperant, maximum Pontificatum gerit, factum est ut omnium sacrorum & Religionum Domini existant*. Duoviri Spanhemius & Pagius, alter in *Diss. de Usu & Præstantia Numism. tom.* II., alter in *Criticis ad annum* 161. Dionem sic interpretantur, ut ex eo efficiant, Romanos Imperatores in Sacerdotum & Pontificum numerum eos solum allegisse, quos vel Cæsares creassent, vel Collegas sibi adjunxissent. Næ isti perspicuam veteris Scriptoris periocham nimis coërcent. Is enim manifesto dixit, Principibus Romanis summum esse in sacris Imperium multis de caussis quod in omnibus Sacerdotiis constituti erant, quod omnes, quos cupiebant, in collegia cooptabant, & quod etiam cum duo vel tres ad Reipublicæ gubernacula sedebant, unus eorum maximum Pontificatum administrabat. Ac si exempla quæramus, ea sane id firmabunt, quod Dio prodidisse nobis videtur. Augustus Claudium Marcellum Sororis Filium admodum adolescentem Pontificem fecit, Claudius Imperator juratus in singulis collegiis Sacerdotes legit, & Otho honoratos jam senes Pontifices & augures scripsit, multosque nobiles adolescentes ab exilio reversos avitis & paternis Sacerdotiis ornavit. Hæc tradiderunt Tacitus (a) & Suetonius (b). Ab Imperatore Trajano Plinius junior in epistola, quæ est octava in decimo epistolarum libro, Septemvirum vel Augurem dici exoptavit, ut jure Sacerdotii precari Deos pro illo publice posset, quos tunc precabatur pietate privata. Larensis quidam apud Athenæum (c) creatus est Pontifex ὑπὸ τῶν πάντ' ἀρίστου βασιλέως Μάρκου *ab optimo Imperatore Marco*. Sacerdotes missis codicillis ab Alexandro Severo constituebantur, qui ab id ipsum Lampridio (d) videtur, *pontificatus, quindecimviratus & auguratus codicillares fecisse*. Periclitemur vero an ex publicis monumentis hæc Romanorum Principum auctoritas effici possit, quæ in legendis quibuslibet Sacerdotibus consistebat. Marco Aurelio Diadocho titulus positus fuerat apud Thyatirenos Lydiæ Populos, quem Sponius (e) & Wheler (f) descripserunt. De verborum sententia viri docti discrepant, quæ tamen, si recte intelligantur, plane declarant Diadochum tam bene Antoninum Caracallam sibi demeruisse, ut ab eo summus Pontifex Asiæ, & summus Antistes Patriæ renuntiatus fuisset. Sic titulus legitur,

Η. ΠΑΤΡΙΣ
Μ. ΑΥΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ
ΤΟΝ. ΑΡΧΙΕΡΕΑ. ΤΗΣ. ΑΣΙΑΣ. ΝΑΩΝ
ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΕΡΓΑΜΩ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΑ
ΚΑΤΑ. ΤΟΝ. ΑΥΤΟΝ. ΧΑΙΡΟΝ. ΤΗΣ ΠΑ
ΤΡΙΔΟΣ. ΚΑΙ. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΒΟΥΛΑΡΧΟΝ
ΤΙΜΗΘΕΝΤΑ. ΥΠΟ ΤΟΥ. ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΟΥΗΡΟΥ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΣΥΝΑΨΑΙ

ΤΑΣ

(a) *In An. lib.* 1. 3. *ac in Hist. lib.* 1. *cap.* 77.
(b) *In Claudio cap.* 22.
(c) *In lib.* 1. *cap.* 1.
(d) *In cap.* 49.
(e) *In Itin. tom.* III.
(f) *Tom.* I.

ΤΑΣ . ΑΡΧΙΕΡΩΣΥΝΑΣ . ΤΟΙΣ . ΟΞΕΣΙΝ
ΕΝ . ΕΚΑΤΕΡΑΙΣ . ΤΑΙΣ . ΠΟΛΕΣΙΝ . ΦΙ-
ΛΟΤΙΜΗΣΑΜΕΝΟΝ . ΕΝΔΟΞΩΣ . ΚΑΙ . ΜΕ-
ΓΑΛΟΦΡΟΝΩΣ . ΑΝΔΡΑ . ΕΠΙ . ΗΘΕΣΙ . ΚΑΙ
ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ . ΚΑΙ . ΤΗ . ΠΡΟΣ . ΤΗΝ . ΠΑΤΡΙ-
ΔΑ . ΕΥΝΟΙΑ . ΔΙΑΠΡΕΠΟΝΤΑ.

Patria
M. Aurelium Diadochum
Summum Pontificem Asiæ, Templorum quæ Pergami sunt,
Et eodem tempore summum Pontificem Patriæ, & ad vitam
Curiæ Principem, quem Divinissimus Imperator M. Aurelius
Severus Antoninus Augustus affecit honore conjungendi
Duo summa Sacerdotia ab iis, qui ad agendum prompti sunt,
Gerenda in utraque Urbe, Virum qui animo gloriæ cupido & excelso
Omnia peregit, moribus, æquitate & summa in Patriam
Caritate præstantissimum
supp. *honoravit*

In hæc verba saxum latine convertimus. Sponius illud perinde acceperat quasi significaret; Diadocho Imperatorem potestatem commisisse iniungendi Sacerdotia viris dignis qui ad eam dignitatem admoverentur. Vandalius vero (a) ita transtulerat, ut appareret, Diadochum ab Imperatore gratiam iniviſſe, & honore fuisse affectum, quod *gloriose ac magnifice studuerit iniungere Archierosynas in ambabus Civitatibus, acutis idest ei muneri idoneis Sacerdotibus*. Convenit inter eos, non Imperatorem, sed Diadochum Sacerdotiis alios impertiisse: sed alter tamen arbitratur, Diadochum Imperatoris concessu viros optimos legisse, quibus archierosynas mandaret, alter vero censet, Diadochum auctoritate sua, id ipsum fecisse, & ob rem bene gestam Imperatorem Caracallam impulisse, ut ab eo honoraretur. At enim multa fuerunt, cur ab utroque discessissemus. I. Nunquam antiquitas nos docuit, penes privatum aliquem jus resedisse aut ei datum esse, quod in eligendis Sacerdotibus versaretur. Hos enim aut Collegia, aut Populus in concione, aut Princeps renuntiabat, nisi si qui Sacerdotium in Gente vel Familia haberent & Α᾽ρχιερεῖς ἐκ γένους *aviti Pontifices* dicerentur II. In titulo tantum mentio est duplicis Pontificatus, qui Diadocho mandatus fuerat, ita ut αἱ ἀρχιερωσύναι ἐν ἑκατέραις ταῖς πόλεσιν *Sacerdotia in duabus Urbibus* ad ipsum Diadochum spectarent, qui sacrorum Antistes erat in Pergamo & Thyatira. III. Qui Græcis litteris imbuti sunt, non patiuntur Συνάπτειν ἀρχιερωσύνας idem potius valere, ac *donare Sacerdotia*, quam *conjungere Sacerdotia*. Sic contra Sponium & Van-Dale. Negotium autem maximum facessit decimus versus, in quo divinari necesse est quid vox illa τοῖς ὀξέσιν sonet & quorsum pertineat. Meminimus equidem ὀξεῖς *celeres* eos apud Græcos sæpe appellari, qui alacriores & promptiores sunt ad maxima quæque audenda & conficienda. Hæc vocis potestas est apud Aristotelem, qui (b), οἱ δ᾽ ἀνδρεῖοι, inquit, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύχιοι, *Viri fortes in factis ipsis prompti & alacres sunt, antea vero sedati & quieti*. Quid hæc? Diadochus summus Asiæ Pontifex sacrorum, quæ Pergami factitanda erant, & simul summus Patriæ Ponti-

(a) *In Diss. III.*
(b) *In libro* III. *Eth. cap.* x.

Pontifex appellatur ὁ [illegible] contentione & magnitudine id conatus esset quod agebat. Si [illegible] summa animique Sacerdotium tum Pergamenum, tum Thyatirenum continebatur, profecto ille publico præconio non erat afficiendus: Qui enim in parvis perexiguis muniis unumquodque admodum tenui præditus est ingenio. Ergo Tituli auctor ad significandam rebus enititur, Diadochus peregit, difficilem procurationem, scripsit eum [illegible] eorum, quæ [illegible] conjunxisse archierosynas, quarum unamquamque administranda esset a viris promptioribus in ambabus Civitatibus. Verendum autem non est ne hanc explicationem Græca oratio rejiciat. Si enim dici fas sit, [illegible] bellum conficiendum a fortibus Ducibus; magistratus bonis viris committendus & hujusmodi cætera, cur verba [illegible] non ita explicari possint ut significent Sacerdotia, quæ a promptis viris essent exercenda?

At eo redeamus, unde discessimus. Maximinus Sacerdotem maximum in quibusque Civitatibus constituit, & Provinciis clarissimos Pontifices dedit. Lactantius (a) testis est, novo more Imperatorem Sacerdotes maximos per singulas Civitates singulos ex primoribus fecisse .... parumque hoc fuisse, nisi etiam Provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi Pontifices superponeret, & eos utrosque candidis chlamydibus ornatos jussisset incedere. Quinimo Christianorum Imperatorum Constantius, qui more majorum maximus fuit Pontifex, eligendorum Sacerdotum in ethnicis collegiis officio functus est. Symmachus (b) scripsit, eum nihil decerpsisse sacrarum Virginum privilegiis, decrevisse Nobilibus Sacerdotia, Romanis cæremoniis non negasse impensas. Hactenus de Sacerdotum cooptatione.

Præterea Romani Imperatores templa dicabant, sacra faciebant & ludis præerant, quas partes Sacerdotibus pontificii juris auctoritas demandavit. Tiberius quum Capreas peteret, sacras ædes in Campanorum Urbibus consecravit: At Cæsar, inquit Tacitus (c) dedicatis per Campaniam templis .... Capreas se in insulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini Promontorii disjunctam. Caius Caligula, Sacrificans, ait Suetonius in cap. 57., respersus est Phœnicopteri sanguine. Claudius in Templo Martis sacra peragebat. Idem Suetonius auctor est in cap. 13. repertos equestris ordinis duos cum dolone ac venatorio cultro præstolantes, alterum ut egressum e theatro, alterum ut sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Marcus Aurelius eo Imperatorem sacrificandi studio delatus est, teste Dione (d), ut domi aras haberet, in quibus victimas sæpe mactaret. Pertinax eodem die, cum interfectus est, immolaverat, quod memoriæ tradidit Capitolinus (e). At pluribus testibus opus non est in re, quam universa docuit antiquitas. Denique Imperatores de more ludis intererant iisque præsidebant, de quo more Dio (f), & Herodianus (g), cujus comma afferendum est, ut latinus interpres emendetur, [illegible] Ἀγῶνα [illegible] Ῥωμαῖοι [illegible] Διὶ Καπιτωλίῳ [illegible] χρόνου [illegible] .... [illegible]. Hæc Angelus Politianus sic latine convertit, Ludos Romani Jovi Capitolino [illegible] ciunt ..... spectare autem ac præsidere in theatro una cum Sacerdotibus, quos ordo singulis annis postulat, etiam Imperator solitus. Reddidit verba [illegible] χρόνου singulis annis, quasi Jovi Capitolino certamen quotannis fieret. Sed ludos, quos Jovi Capitolino Domitianus imperavit, quinquennales fuisse quem præterit? Instituit (Domitianus) quinquennale certamen, inquit Suetonius (h), Capitolino Jovi triplex, musicum, eque-

(a) De mort. Persecut. cap. 36.
(b) In lib. x. epist 54
(c) In Ann. IV. 66.
(d) In Excerp. Vales. pag. 728.
(e) In cap. 11.
(f) In lib. LIX.
(g) In lib. 1. cap. 9.
(h) In Dom. 4.

equestre, gymnicum, & aliquanto plurium, quam nunc est, coronatorum. Ac Statius noster, qui Domitiano Imperatore fuit (a), certamina, quæ quinto quoque anno Neapolitani Augusto faciebant, cum capitolinis lustris comparavit,

Et Capitolinis Quinquennia proxima lustris.

Accedit quod verba ὧν ἡ τάξις καλεῖ *Sacerdotes, quos ordo vocat*, eo spectent, ut declarent universos quatuor Collegiorum Sacerdotes in certos ordines fuisse descriptos, quorum non omnes in iisdem lustris, sed singuli vicissim ludis cum Imperatore præsidebant. Itaque Herodianus ita intelligendus est, *Sacrum certamen Romani celebrant Jovi Capitolino . . . . huic autem interesse ac præesse solitus est Imperator, una cum Sacerdotibus quos, redeuntibus certo intervallo temporibus, series ad hoc munus vocat.*

Atque ferme omnia satis exposita esse videntur, ex quibus efficitur, Romanos Imperatores partes illas implevisse, quæ in maximo inerant Pontificatu. Restant duo, quæ explicanda sunt, alterum, quod objecit auctor *Historiæ criticæ Reipublicæ litterariæ* (b), alterum vero, quod contra obvertit Vandalius (c). Horum enim opinione Romani Principes nomine fuere Pontifices, ita ut ad obeundum Sacerdotium nunquam aggrederentur. Criticus quidem hæc recitavit, quæ Ovidius (d) cecinit

Cæsaris innumeris, quos maluit ille mereri,
Accessit titulis Pontificalis honos.

His ille negotium confectum putat. At enim Poeta non dixit Cæsarem, ad cujus titulos Pontificalis honos accessit, solo nomine fuisse Pontificem. Apud latinos Scriptores sæpe reperiuntur hæc loquendi genera, *honos Consulatus*, *honos Præturæ*, *honos Censuræ*, *honores petere*, *ad honores accedere*. Quisnam vero existimaverit Romæ Consules, Censores, Prætores, Ædiles, Quæstores sine munere fuisse creatos? Quinimo Heinsius Ovidiana illa carmina ad fidem veterum Codicum emendavit,

Cæsaris innumeris, quem maluit ille mereri,
Accessit titulis, Pontificalis honos.

Sic eadem doctus Burmannus legit, qui Ovidii libros diligentissime edendos curavit. Quocirca quum Augustus cæteris titulis Pontificalem honorem antelatum voluerit, reputandus non fuit eam dignitatem pluris fecisse, quæ munere carebat, & nullam sibi in Republica auctoritatem vindicabat. Nunc agendum est cum Vandalio, qui attulit, Augustos Vicarium Pontificatui suo certum & perpetuum Romæ constituisse, ipsosque solius nominis Sacerdotes fuisse. Id confecit ex Capitolino, qui de Antonino Pio veluti quid singulare & eximium tradidit, eum, *nisi cum æger esset, nullum Sacrificium per Vicarium fecisse*. Hæc nimirum male ratio ducitur: Quisque enim Pontifex rem Divinam aliis Ordinis sui viris faciendam mandare poterat. Symmachus (e), ita scribebat, *ad hoc*, inquit, *sacri Pontificalis administratio curam de me & officium stati mensis exigit, neque enim fert animus in tanta Sacerdotum negligentia sufficere collegam. Fuerit hæc olim simplex Divinæ rei delegatio, nunc aris deesse Romanos genus est ambiendi*. Ergo, si Vandalius recte disputaret, id sequeretur, omnes quos Collegium complectebatur, Pontifices Sacerdotium nunquam gessisse, sed solum ejus dignitatis cognomentum habuisse: Nanque de singulis dici potuit *eos sacra per Vicarios fecisse*. Ad hoc omnium veterum scriptorum nemo perpetuum aliquem virum nobis narravit, qui Pontificis maximi locum teneret. Neque enim ullus nummus, aut titulus in tanta priscorum monumentorum frequentia repertus est, qui hujusmodi Vicario esset dedicatus. Atqui ille, si forte extitisset, in ea dignitate esset, ut de eo antiquitas

(a) *In Sylv. lib.* III. *vers.* 747.
(b) 10. III. *pag.* 137.
(c) *In Diss.* II. *pag.* 196.
(d) *In lib.* III. *Fast.* v. 419. 420.
(e) *In lib.* I. *epist.* 45. *ad Agorium Prætextatum*.

ns tacere non posset. Protulit quidem Vandalius marmora quædam, in quibus leguntur hæc, PONT. SACRORUM; PONT. PRÆF. SACROR. PONTIF. MINOR. PUBLICORUM. P. R. SACRORUM; & PRÆF. SACROR. Sed ea omnia, quum municipalibus Sacerdotibus posita essent, ad Vicarium Pontificis non pertinent, qui Romæ lares figere debuisset. Quapropter affirmemus necesse est Romanos Imperatores Pontificatus sui munia obivisse, nec Vicarium perpetuum creasse, sin vero Roma abessent, quoties usus esset, ex collegis unum sufficisse, qui vicem suam fungeretur.

XVI. Igitur habemus quid in jure Gentium scitum sit de Principum ea potestate, quæ Religionem spectat. Nanque docuimus eos, qui apud Gentes imperio præerant, summos fuisse gubernatores & arbitros sacrorum, quæ essent in Civitate. Ex quo facile quivis perspexit, eosdem omnia, quæ ad Deorum faciebant cultum, constituisse, de iis leges rogasse, & arbitratu suo judicium reddidisse. Atque ea quidem maxima illorum erat auctoritas, a qua ipsum Sacerdotium non divellebatur.

CAP. XII.

I. De Summarum Potestatum jure in Sacris apud Hebræos: Illud enim intelligi non potest, nisi ex Reipublicæ Israeliticæ temperatione, de qua tres exponuntur sententiæ.

II. Temporibus Mosaicis ea Respublica fuit Theocratica.

III. Seldeni opinio refellitur.

IV. Mutata non est Theocratia, cum Judices Hebræis præfuerunt.

V. Nec, cum Deus rogantibus illis Reges dedit.

VI. Plane efficitur, eos, qui summum Imperium gerebant apud Hebræos, latores fuisse legum, quæ de Religione rogabantur, & de sacris judicasse.

VII. Attamen Sacerdotium ab Imperio distunctum erat. Nanque ostenditur, politicos Hebræorum moderatores non fuisse Pontifices, nec ullas Sacerdotii partes explere potuisse.

I. INstituamus porro explicare illorum Principum, qui in Hebræa Republica Imperio præfecti fuerunt, auctoritatem ad sacra pertinentem. Omnis autem ea res explicari satis non potest, nisi Reipublicæ apud Hebræos status dispiciatur, de quo tres sunt doctissimorum hominum & discrepantes sententiæ. Complures duxerunt, a condita Republica Hebræos, antequam Regibus rerum summa deferretur, in Aristocratico fuisse Imperio, & Senatum Divina humanaque omnia administrasse. In his sunt Carolus Sigonius & Petrus Calatinus (a). Alii censent, Hebræis Mosem cum Regia potestate præfuisse, ejusque summo arbitratu omnia fuisse gesta. In hanc opinionem ivit Jurisconsultus Batavus Adrianus Houtuynus (b). At enim nonnullis eruditissimis sane & clarissimis viris Hebræorum Rempublicam videtur fuisse Theocratiam, in qua summus Divinarum humanarumque rerum principatus Deo inerat, & Moses Divinæ vicis sacra procurabat. Auctorem habent Flavium Josephum, qui in libris contra Apionem sic edisserit, *Enimvero infinita quidem, si singula expendantur, morum atque legum toto passim hominum genere discrimina sunt: Ea vero in summa hæc capita facile colligantur. Alii quidem uni tantum, paucis quibusdam alii, denique Populo summam*

(a) *Apud Henning. Arnisæum Relect. politic. lib. II. cap. IV.*
(b) *In Monarchia Hebræorum cap. II. pag. 7.*

mam alii commiserunt Reipublicæ potestatem. At Legislator noster, hisce neglectis omnibus, Theocraticam (liceat enim hac voce tametsi paulo duriore uti) Reipublicæ formam instituit: summum enim politicum *principatum Dei Numini attribuit* (a).

II. Quod si qui universas politiei Imperii partes percurrant, facile intelligunt, eas solum Deum in Hebræa Republica suscepisse, sic ut Moses pro Rege esset, summumque ab Illo commissum magistratum obiret. Deus enim leges condidit de Sacris & civilibus rebus Gentis ingenio consentientes (*b*). Mosi in iis rogandis usitatissima fuit formula, JEHOVA MOSI DIXIT. Magistratus & Judices a Deo renunciati sunt (*c*), qui popularibus jus dicerent, in suis quisque præfecturis. Sancitum autem est, ut quidquid sive de Sacris sive de politicis negotiis in certamen veniret, idque a minoribus Magistratibus expediri non posset, ad Mosem deferretur, qui censeret, sed Deo consulto (*d*). Quapropter Deus judiciis & Dicasteriis inter Hebræos præesse videbatur (*e*). Bella a Mose nec suscepta, nec gesta sunt (*f*), nec Legati missi, nec fœdera percussa sine Deo auctore (*g*): Nulla suo ipsius nomine Hebræis imposita Vectigalia (*h*). Populus, qui in Rempublicam convenerat, quum in tyrannide variis afficeretur modis, a Deo in libertatem assertus & tot miraculis ab omni discrimine liberatus est. Quæ omnia eo plane spectant, ut ratione undique conclusa efficiatur, ipsum Deum non modo tanquam præpotentem rerum omnium Dominatorem Hebrææ Reipublicæ consuluisse, sed quasi politicum Regem illius gubernacula suscepisse, & per Mosem diligentissimum & amplissimum administrum pertractasse.

III. Atque eam ob caussam Hebræa Respublica *Regnum Sacerdotale & Gens sacra* appellata est (*i*): quod quum Sacerdotes pie & caste rem Divinam facientes Deo sint cari, eodem loco Deus Israëlitas existimaverit in Theocratia. Habitabat enim Deus apud illos quasi intimæ admissionis amicos, ut iidem non cives ullius Civitatis, sed omnes Sacerdotes, omnes accolæ, atque antistites Dei esse viderentur. Hæc quum animadvertissent, Theocratiam Hebræorum fortiter vindicant Hermannus Witsius (*k*), Thomas Goodwinus (*l*), Hermannus Conringius (*m*), & Joannes Spencerus (*n*). In aliam quidem sententiam discessit Joannes Seldenus (*o*), qui Regia potestate Mosem fuisse præditum affirmavit, idque ex Mosis verbis confecit, qui è vita abiturus hæc pronunciavit, *Fuit enim Rex in Jeschurune* מלך בישורון, *cum convocarentur capita Popu-*

(a) *Lib* II. *cap.* 16. *Οὐκοῦν ἄπειροι μὲν αἱ κατὰ μέρος τῶν ἐθῶν καὶ τῶν νόμων παρὰ τοῖς ἅπασιν ἀνθρώποις διαφοραί, ὡς δὲ συντόμως κεφαλαιωδῶς ἂν ἐπίοι τις. Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. Ὁ δ' ἡμέτερος νομοθέτης εἰς μὲν τούτων οὐδοτιοῦν ἀπεῖδεν, ὡς δ' ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Θεῷ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς.*

(b) *Exod.* XIX. XX.

(c) *Num.* XI. 16. *seqq. Deut.* XVII. 8. 9. 10. 11.

(d) *Exod.* XVIII. 20.

(e) *Num.* XXVII. 7. 8. 9.

(f) *Deut.* XX. 10., & *Num.* II. 1. 2. 3. *seqq.*

(g) *Vide Buddeum in Hist. Eccl. V. T. Period.* II. *sect.* I. §. 34.

(h) *Num.* 16. 15.

(i) *Exod.* XIX. 16.

(k) *In peculiari Oratione*

(l) *In Libro inscripto, Moses & Aaron.*

(m) *De Rep. Hebræor.*

(n) *De Theocratia Judaica.*

(o) *De Syned. Jud. lib.* II. *cap.* I. & 2.

Populi una cum Tribubus Israël (a). At is nullus animadvertit, his in verbis non Mosem, sed Deum appellari Regem. Locus enim conceptus est ita, *Accepit* (sequimur hebræos codices) *ex verbis tuis* (Dei) *legem Moses, quam observandam tradidit nobis, ut esset hæreditas cœtui Jacobi. Fuit enim Rex* . . . In his aperte Moses ad diem respexit, quo Deus in monte Sinaï leges condidit. Tum vero ille Regis partibus functus non est, sed leges a Deo acceptas ad Populum pertulit; quod munus est administri & ejus, qui se pro Rege gerit. Sed quamvis Seldenus sibi sumpserit, Mosem in Deuteronomio Regem vocari, cæterum non evincet summum illius Imperium eo significari cognomento. Neque enim omnes Populorum moderatores veri Reges fuerunt, quos antiquitas eo elogio afficiebat. Hujusmodi exempla sequutus est Philo Judæus, cum Mosem *ἄριστον βασιλέα καὶ νομοθέτην* optimum Regem & Legislatorem salutavit (b).

IV. Demortuo Mose Carolus Sigonius (c) arbitratur, Judicum tempore aristocraticam fuisse Hebræorum Rempublicam. Joannes Stephanus Menochius (d) censet, eam tum Monarchicam tum aristocraticam extitisse, & Hebræos Regi & Senatui paruisse. Adrianus autem Houtuynus (e) existimat in eodem monarchico Imperio, quod fuit sub Mose, deinde vivere Hebræos perrexisse. At enim verosimilius est, Deum post Mosis discessum non desiisse apud Israelitas habitare eorumque res omnes publicas & sacras procurare, ut Theocratica Respublica, qualis instituta fuerat a Mose, prorsus perennaverit. Josua quidem in Mosis locum subrogatus omnia, quæ ad Religionem & ad publicam salutem pertinebant, accurate administravit numine & Imperio Dei. Cumque post Josuam sæpe Res publica in anarchiam defecisset, Deus judices creavit, qui Hebræos liberarent iisque præessent. Erant autem illi Duces extra ordinem capti, qui summa potestate præditi, in administranda Republica Dei vices obibant. Judices Hebraice dicuntur שופטים *Scophetim* quo nomine vocati fuerunt Interreges apud Tyrios, quos Josephus adversus Apionem *δικαστὰς judices* appellavit. A Tyriis idem nomen Carthaginienses acceperunt. Apud eos enim summi Magistratus audierunt *Suffetes*, ut ex Calidio nos docuit Festus. Atque tales *Suffetes* non Carthagine tantum extitisse, sed etiam in aliis Africæ Civitatibus, ut Themetrensi, Timiligenæ, Stagitanæ, Apisæ, produnt veterum monumenta. Triplex autem est Scophetim sive *Judicum* genus: Alii jus Populo dicunt, summa licet potestate non sint præditi: dicto enim audientes sunt ei, qui summo præest Imperio, cujusmodi sunt in liberis Civitatibus aut sub Regibus. Alii summi rerum moderatores sunt, in quos universus Populus ita jus transtulit suum, ut Regiam vel Regiæ similem eis potestatem attribuerit. In hanc sententiam Gothorum Principes *Judices* dicti sunt. Themistius orat. x. de Athanarico: *Οὕτω γοῦν τὴν μὲν τοῦ βασιλέως ἐπωνυμίαν ἀπαξιοῖ, τὴν τοῦ δικαστοῦ δὲ ἀγαπᾷ ὡς ἐκεῖνο μὲν δυνάμεως πρόσρημα, τὸ δὲ σοφίας*, *Ideo enim Regis appellationem repudiat, usurpat Judicis: Est enim illa potentiæ, hæc sapientiæ propria*. Ex quo Ammianus eundem Athanaricum lib. xxvii. *Judicem potentissimum* vocavit. Alii denique sunt vindices, ultores, eorum, qui oppressi sunt, liberatores, jurisque tum Divini tum humani cognitores: quales sane fuerunt in Hebræa Republica *Scophetim*. Nanque verbum שפט, ex quo Scophetim, idem valet, quod ulcisci & vindicare. Id Scriptura declarat Jud. II. 16., in qua Dominus dicitur *Judices*, *qui liberarent eos de vastantium manibus*: Itaque Esdræ lib. II. cap. IX. 27. *Salvatores* dicuntur: *Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te: & tu de Cœlo audisti, & secundum miserationes tuas multos dedisti eis Salvatores, qui salvarent eos*

(a) *Deut.* XXXIII. 5.
(b) *Lib. 2. de vita Mosis.*
(c) *De Rep. Hebræor. lib. 1. cap. v.*
(d) *In opere ejusdem argum. lib. 1. cap. 1.*
(e) *Loc. cit.*

eos de manu hostium suorum. Iis vero magna erat in sacris humanisque rebus gerendis auctoritas: Reges enimvero vocati sunt Jud. IX. 6. iidemque a Flavio Josepho dicuntur ἡγεμόνες αὐτοκράτορες, *Duces cum summa potestate*. De his apud Hebræos Judicibus inconsulte Grotius in cap. 17. Deut. contendit, eos similes fuisse Romanis interregibus, ac postea Dictatoribus. Nanque nec satellitio, nec Regia pompa incedebant, nec porro tributa aut vectigalia exigebant: Quin & sese administros vocabant Deoque Monarchiam asserebant. Populo, qui Gideoni summum credere Imperium volebat, hic respondit, *Jehova Rex vester erit* (a). Quid nos plura ? Nihil magis perspicuum est, ex quo Hebræos in Theocratia fuisse tum temporis existimes ? Accedit tamen quod iidem Duces nec in Populi comitiis creati sunt, nec jure, quod a majoribus delatum in iis inesset, Imperium ceperunt. Ab ipso enim Deo delecti sunt quasi pro Regibus & summi administri, qui omnibus Monarchiæ suæ rebus prospicerent. Quem in locum præclare edisserunt Adamus Rechenbergius (b), & Hermannus Conringius (c).

V. Neque enim Deus in Hebræa Republica politico se abdicavit Imperio, cum Reges, exactis Judicibus, creati fuerunt. Hos enim, quamvis Populus flagitasset, solus Deus renunciavit, & quos sibi morem non gerentes novit, e Republica arbitratu repulit suo. Quidquid porro ad publicam salutem referebatur, id ab iis auctoritate Divina susceptum est, quo vetus illa Deum consulendi ratio *per Urim & Thummim* pertinuit (d). Hæc quidem nos docent, Theocratiam, creatis Regibus, sublatam non fuisse. Contra facere videntur verba, quibus Deus Samuelem affatus est, cum Hebræorum populus Regem exoptavit eumque fidenter a Deo ad gerendam Rempublicam expetivit, *Neque enim*, inquit Deus, *te fastidiverunt, sed me, ne in eos regnarem* (e). At quid Deus hac oratione expresserit, facile intelligitur. Non enim prodidit, summum Imperium, quod in Israelitica Republica habebat, ab Hebræis Regem rogantibus sibi fuisse abrogatum. Facinus enim hoc erat, quod perditissimus quisque apud Hebræos nunquam cogitasset. Ergo illud affirmavit, Hebræos summa cum injuria egisse sive magnum crimen sibi conscivisse: Nanque quum intempestive & petulanter petiissent, ut Rex sibi constitueretur, hoc ipsum audere videbantur, ne in imperio essent Samuelis, qui Dominator iis datus erat, & Dei personam sustinebat. Atque Dei oratio Samuelem alloquentis ita accipienda est. Monarchia enim in Republica Theocratica recte se habet, si Rex a Deo populis præficiatur, & omnia Dei auctoritate, imperio & numine suscipiat & perficiat. In rem consulantur Joannes Spencerus (f), & Hermannus Witsius (g). Hæc tamen Theocratia post Babylonicam captivitatem Hebræis reddita non est sublato per Urim & Thummim oraculo. Nanque Judæis Persarum & Syrorum Regum tributariis pristina Reipublicæ forma antiquata est. Deinde sæpe Pontifices ad Rempublicam aggressi sunt, eamque diu administrarunt: at simul exortus est Senatus (nomine Synedrium magnum) cujus magna in rebus publicis, sacris & privatis erat auctoritas. In eum Senatum allecti sunt Civitatis Principes & Sacerdotes: Tres in eo Senatores excelluerunt, Præses, qui dictus est נשיא *nasci*, Pater domus judicii & Sapiens. Sic Thalmudici Doctores, qui Synedrii originem jam repetunt a Mosaicis institutis. Eorum testimonia exscripserunt Joan-

(a) *Jud.* VIII. 23.
(b) *In peculiari dissertat. quam opposuit Houtuyno.*
(c) *De Repub. Heb.* XLVI.
(d) *Vide Exercitationem criticam ad sextum Grotii caput.*
(e) *Samuel.* VIII.
(f) *De Legib. Hebr. lib. 1. diss. de Theocratia judaica cap. IV. sect. II.*
(g) *In oratione de Theocratia Israelitarum Thomæ Goodwini Mosi & Aaroni præmissa.*

Joannes Coccejus (a) & Joannes Seldenus (b). Sed illud post Babylonica tempora constitutum fuisse compluribus efficiunt Jo: Vorstius (c), Hermannus Conringius (d), Hermannus Witsius (e), & Jo: Clericus (f), nos vero paucis evincemus in criticis Exercitationibus.

VI. His ita positis compertum exploratumque est quidquid juris & potestatis omnes illi habebant, qui Hebrææ Reipublicæ præerant, in constituendis curandisque Religionis rebus. Quoniam scilicet loco præpotentis Dominatoris Dei Rempublicam gerebant, iidem profecto acceptas a Deo leges de Religione & Sacris Populum rogarunt. Hoc convenit: Ex quo plane illud sequitur, Principum Hebræorum fuisse in potestate, ut eas, quas ad Populum pertulerant leges, interpretarentur, in controversiis itidem de sacris censerent, aut Deum consulerent, & Divini cultus ministris præessent. Moses quidem, cum integerrimos quosque viros delegisset, quos ad jus dicendum præfecit, sibi majores sepósuit disceptationes (g), cujusmodi fuerunt de Religione judicia, quod ostendit Joannes Seldenus (h). Eo accedit, quod Magistratus Mosaicis legibus, si quæ difficiles & perobscuræ incidissent quæstiones, justi fuerunt ad summum in Republica Judicem (שפט scophet) adire, aut cum Respublica ad Interregnum rediit, Sacerdotes consulere (i): Idque magistratibus præceptum est sive de jure publico, sive de jure sacro quæreretur (k). Hac autem Mosis lege respondebant de jure Sacerdotes, non tanquam Judices, in quibus publicum resideret Imperium, sed quasi legum periti, quibus auctoritas ejus similis inesset, quæ Romanis Jurisconsultis ab Augusto demandata est. Illi quidem, quibus munus erat populum ad Divinas instituere leges, ad earum studium maxime animum appulerant. Eam ob rem Magistratus pœnas dabant si ab judicio Sacerdotum recederent, non quod eorum potestatem despicatui ducerent, sed quod Divinarum legum, quas a consultissimis viris explicatas habebant, Majestatem contemnerent. Eximia hæc in qua Sacerdotes eminebant, legum peritia in caussa fuit, cur a Summis Reipublicæ moderatoribus Judices & Magistratus renunciarentur. In hanc sententiam dicere videtur Flavius Josephus, *Omnium rerum*, inquit, *inspectores & controversiarum judices constituti sunt Sacerdotes* (l). Concinit Philo, qui loquitur sic. *Ubi igitur obscuritas & tenebræ offusæ rebus dubiam faciunt perceptionem, excuset se (Magistratus) a Judicatu & mittat ad peritiores Judices. Hi autem qui esse possint, nisi Sacerdotes & Sacerdotum Princeps & dux* (m)?

De hoc Hebræorum Principum jure ne dubitare possimus, maximo est argumento historia Josaphati, qui publicæ saluti prospiciens non modo rerum politicarum procur

(a) *In not. ad Sanhedr. cap.* IV.
(b) *In oper. de Synedriis Hebræorum.*
(c) *In diss. de Synedriis Hebræorum, quæ legitur fasc.* IV. *opusculorum ad hist. & philolog. sacram spectantium.*
(d) *In de Repub. Hebr.*
(e) *Miscell. sacr. part.* I. *lib.* II. *diss.* III.
(f) *In diss. de Synedr.* LXXII. *Virorum.*
(g) *Exod. cap.* XIX. 26.
(h) *In opere cit. lib.* I. *cap.* 16.
(i) *Deut. cap.* XVII. *v.* 9.
(k) *Ibid. v.* 3. 4.
(l) *Adv. Apion.* II. Καὶ γὰρ ἐπόπται πάντων καὶ δικασταὶ τῶν ἀμφισβητουμένων οἱ ἱερεῖς ἐτάχθησαν.
(m) *In Lib. de Principe constituendo*, Ὅταν ἂν ἀμαυρὰς ποιῇ τὴν ἀντίληψιν ἡ τῶν πραγμάτων ἀσάφεια καὶ πολὺ σκότος ἀπεργαζομένη, παραιτείσθω τὰς κρίσεις, καὶ ἀναπεμπέτω πρὸς ἀκριβεστέρους δικαστάς. οὗτοι δὲ τίνες ἂν εἶεν ἢ ἱερεῖς, καὶ ὁ τῶν ἱερέων ἔξαρχος καὶ ἡγεμών;

curationem suscepit, Populosque ad civilium officiorum præcepta erudivit, sed etiam eos Religionis pietatisque institutis imbuendos curavit. Atque quo facilius intelligeretur has Principis esse partes, iis explendis vicarios legit viros optimos cum ex ordine Procerum Regni, tum ex ordine Levitarum. Omnes enim eidem muneri a Principe præfecti *circumiverunt Urbes Judæ & Populum docuerunt* (a). Idem quum singulis Regni sui Urbibus Judices dedisset, Hierosolymis omnium Metropoli Senatum quendam (nondum Synedrium, quale sibi effingunt Rabbini) constituit, in eumque Principes Familiarum patriarum, Sacerdotes & Levitas cooptavit. Hunc Senatum Regia auctoritate judiciis omnibus præesse jussit & iis, quæ ad civilitatem, & iis quæ ad Religionem pertinebant. Duo ei capita imposita sunt Amarias Sacerdotum princeps, & Zebadias inter Proceres Judæ præcellens, quorum alter *in rebus Dei*, alter *in negotiis Regis* versaretur, sed uterque a Rege potestatem sibi commissam repeteret, & in eodem conventu vicem fungeretur suam. In senatu Romano erant Pontifices & Consules. Pontifices de sacris præcipiebant, Consules de rebus publicis imperabant: sed eorum quisque Senatus ejusdem auctoritate, quæ suæ erant potestatis, procurabat. Porro describatur locus Paralipomenon (b), ex quo plane id perficitur, quod agitur, *Hierosolymis autem constituit Josaphat nonnullos è Levitis, Sacerdotibus & Principibus Familiarum ad Judicia Jehovæ & ad lites disceptandas, & reversi sunt Hierosolyma; & præcepit eis dicendo, sic agetis in timore Johovæ, in fide & perfecto corde: in omni lite, quæ veniet ad vos, de vestris Fratribus habitantibus in Urbibus suis inter sanguinem & sanguinem, inter legem & præceptum, statuta & judicia præmonete eos, ne quid delinquant in Jehovam.* Hactenus unus idemque Regius Consessus qui Proceres, Sacerdotes & Levitas complectebatur, iisdem præficitur judicandis controversiarum generibus, nempe judiciis omnibus, quæ reddebantur sive de Religione sive de Civium rebus publicis aut privatis. Pergit auctor Paralipomenon, *Amarias Sacerdos vester in re Domini & Zebadias Israëlis Filius, dux Domus Judæ in omni re Regia, & præpositi Levitæ*, quæ postrema verba felicius efferri possunt, *& præsto sint vobis Levitæ*. Hæc eo valere male duxeris, ut duo effingas collegia, quorum unum Religioni, alterum Reipublicæ consuleret. Quum enim Levitæ iidem essent, quibus Amarias *in rebus Domini*, & Zebadias *in rebus Regis* præerant, iidem, qui utrisque deserviebant, iidem, qui ipsorum mandata peragebant, profecto non duplex, sed unus existimandus est Senatus. Par autem est Flavium Josephum afferri, qui Senatus illius rationem & potestatem explicet. Atque is memoriæ prodit, a Josaphato Principes Civium, Sacerdotes & Levitas fuisse omnium controversiarum constitutos Judices, eosque omnes in unum Senatum allectos, cui duo essent Præsides: Καθίστησι, inquit, δὲ καὶ ἐν ταύταις κριτὰς, ἐκ τῶν ἱερέων καὶ ἐκ τῶν Λευιτῶν, καὶ τῶν αὖ πρώτων τοῦ πλήθους ἐσομένους, παραινέσας ἐπιμελῶς καὶ δικαίως ποιεῖσθαι πάσας τὰς κρίσεις κ. λ. *Judices Josaphatus e Sacerdotibus & Levitis & Populi Primoribus constituit, monuitque accurate & juste in omnibus judiciis* (de Religione & de rebus civilibus) *se gererent: Si qui vero popularium de rebus gravioribus disceptantes ex aliis Civitatibus eos consultum mittant, illis oportet justam majori studio ferri sententiam: quod maxime conveniat in ea Civitate judicia fieri honesta & justissima, ubi contigit & Deo ædem locari & Rex domicilium habet suum. Horum autem* (Senatorum omnium sive Procerum, sive Sacerdotum, sive Levitarum) *Principes fecit Amasiam Sacerdotem & Zabadiam ex Judæ tribu utrumque. Atque ita res a Rege ordinatæ erant* (c). Sed hoc argumentum satis expositum sit. Præterea Synedrium magnum, de cujus origine *in criticis exercitationibus* dicam, Senatus erat politicus summa ditione præditus Christi temporibus. Continebatur autem non modo Sacerdotum Proceribus, sed etiam Populi Senioribus. His autem illud

(a) II. *Paralip. cap.* XVII.
(b) XIX. 8.
(c) *Antiq. Jud. lib.* IX. *cap.* I.

illud Imperium erat, ut de publicis negotiis & de Religione decernerent. Enimvero de Religione in Christum & Apostolos cognoscunt, Christo vincula injiciunt, cum cædi imperant, Apostolos variis modis afficiunt, & Paulo vinciendi & animadvertendi potestatem credunt. Quoniam autem in Hebræorum Republica veteres mores diligentissime retinebantur, profecto ea, quæ postremis illius temporibus agebantur, in Majorum fuerant institutis: ita ut pronunciari necesse sit, politicos Hebræorum Magistratus ex prisca perpetuaque lege præfuisse cognitionibus de sacris & profanis negotiis.

VII. At enim apud Hebræos politicis sacrorum moderatoribus Sacerdotes & Pontifices adjuncti fuere. Hos quidem ipse Deus sine Populi arbitratu cepit iisque munia ad quæ Principes aggredi non possent, separatim demandavit. Id ipsum in renunciandis condendæ Reipublicæ Sacerdotibus Plato exoptavit: *Quæ*, inquit, *ad Sacerdotes pertinent, Deo sunt permittenda, ut quemadmodum illi placet, ita Divina fortuna cui tributum id sit, sortes ferat* (a). Sacerdotum partes Divino jure in his versabantur, ut omnia sacra peragerent, aram adolerent, in qua Deo suffimenta præberent eidemque victimas offerrent. Inter eos autem soli Pontifici maximo licebat in augustiorem illum locum, quem *sanctum sanctorum* dicebant, pedem inferre Deumque per Urim & Thummim consulere, Rege aut eo qui summa potestate præditus erat, id expetente. In hæc munia, si præfecti Imperio invaderent, pœnas vindice & ultore Deo persolvebant. Iis enim uberrimo fuit documento Princeps Usias, qui cum sacrificaturus ad Templum adiisset, & tametsi Sacerdotes contra magna animi contentione eniterentur, aram adolere incepisset, continuo in lepram implicitus est, ex qua in privis ædibus miserrimam exegit vitam (b). Itaque hic locus peroretur. Nanque perfecisse videmur Sacerdotum & Principum potestati hos fuisse præstitutos fines in Hebræa Republica, ut hi publicum Divini cultus regimen susciperent & de rebus ad Religionem pertinentibus judicarent, illi vero sacrorum unam sibi administrationem attribuerent.

C A P. XIII.

I. De Imperio Christianorum Principum in Sacris. In novo Fœdere non modo sacrorum procuratio sed de iis cognitio Sacerdotibus committitur: Principes autem Ecclesiæ Patroni tantum constituuntur.
II. Principum tutela ostenditur. Argumenta e novi Fœderis tabulis afferuntur.
III. Quibus in rebus hujusmodi consistat tutela, explicatur.
IV. Agitur de dissensu triplicis juris. Is enim dissensus in re versatur, quæ ex jure Gentium in medio posita fuerat.
V. Mosaicæ porro & Evangelicæ leges cum summa Gentium ratione consentiunt in tribuenda Principibus Religionis clientela.

I. JAmvero illud instat, ut quæratur, quantum Christianis Principibus novi Fœderis tabulæ Imperium in Ecclesiæ sacris commiserint. Ac Christus quidem Ecclesiam ita condidit & constituit, ut omne ipsius regimen penes solos esse Pastores juberet. Sancivit enim ut illi non modo eximia ea, quæ instituerat, sacra factitarent, item universis Populis evangelicam doctrinam traderent eandemque interpretarentur, sed etiam amplissimum quendam magistratum gererent, qui totus cœlestis esset

---

(a) *De Legibus lib.* VI. *pag.* 616. *Ed. Fic. Gen.* Τὰ μὲν ὅσι περὶ ἱερῶν ἐπιτρέποντα αὐτῷ τῷ θεῷ κεχαρισμένον γίγνεσθαι, κληροῦν ὅυτω τῇ θείᾳ τύχῃ ἀποδιδόντα. Ο...

(b) II. *Regum.* XIV. 21. 22. & XV. 1. *ad* 8.

esset & ad animos spectaret. Si enim animus ad ea attendatur, quæ in his prolegomenis uberrime nostra percurrit oratio, præcipuus Pastorum cœtus, qui universæ Ecclesiæ personam sustinet, publicus est cognitor & judex rerum omnium, quæ de Fidei complexu non avelluntur, idemque summa cum auctoritate præditus, cui Christianæ Reipublicæ parere adiguntur, nisi a catholico nomine deficere velint. Hactenus Imperatores, Reges & reliqui Civitatum politici moderatores in illorum numero sunt, qui Sacerdotes tanquam Divinos doctores audiunt, veluti sacris præfectos reverentur eorumque judicium sequuntur. At enim præstantissima Principum ea auctoritas est, quæ scilicet in defendenda Religione, in vindicanda Ecclesia & in tegenda canonum disciplina consistit. Hoc in officio, quod cum potestate conjunctum sit, illos esse manifesto complura evincunt, quæ de Religione & principatu in novi Fœderis libris docentur. Nanque ex iis exquisita multa argumenta, cur istud ita se habeat, facile duci poterunt; e quibus duo, quæ magnam habere vim nobis videntur, selectissima sane & gravissima afferri oportet.

II. Primum Apostolus *in Epistola* I. *ad Timotheum cap.* IV. Christianam Religionem natam esse pronuntiavit non modo sempiternæ, sed civili vitæ fortunandæ. Sic enim ille (a), *Pietas ad omnia utilis est, promissionem continens vitæ, quæ nunc est & futuræ*. Hæc enimvero plurimis bonis Respublicas cumulat, & in maximo discrimine cives in magnam spem erigit iisque animum adjungit. Par est Constantinum Imperatorem audire, qui, quum ad Anulinum Proconsulem Africæ litteras scripsisset, in hanc sententiam edisseruit, *Ex multis rebus constat, Religionem illam, in qua summa Divinæ Majestatis reverentia custoditur, spretam quidem maxima Reipublicæ importasse discrimina, eandem vero rite acceptam & custoditam & nomini Romano maximam prosperitatem, & cunctis Mortalium rebus, Divina id tribuente munificentia, præcipuam felicitatem contulisse*. Horum similibus multis opus non est. Nam sæpe hic locus tractatus est, ex quo dilucide efficitur, Christianæ Reipublicæ nihil deesse ut sit felix & beata. Igitur quum ad Principum clientelam ea omnia revocentur, quæ Civitati res secundas præstant, & Civibus privatim tranquillitatem afferre possunt, sic existimandum est, illos Christianam Religionem Fidei commendatam suæ ita habere, ut, nisi pro ea conservanda excubuerint, turpiter ab officio recedant.

Ad hoc Apostolus *in Epistola ad Romanos cap.* 13. Christianum nobis Principatum describens ea imperantium munia persequutus est, quæ tutelam sacrorum necessario complectuntur. Principio docuit, Principatum natura sua summum esse, cui in universis negotiis, quæ contra Deum non faciunt, omnes subiiciuntur (b): *Omnis*, inquit, *anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*. Nanque Principes ab optimo rerum omnium gubernatore Deo Populis præficiuntur. Sic ille pergit (c), *Non est enim potestas, nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt*. Communis hæc est Sapientum, quotquot fuerunt de summo Imperio opinio. Homerus *Iliad. lib.* I. *v.* 197. (d):

Ab Jove summus honos.

Diodorus Siculus *in lib.* I. *de Ægyptiis* (e), *Existimant enim non sine Divina quadam providentia pervenisse Reges ad summam de omnibus potestatem*. Cicero in Somnio Scipionis, *Nihil est illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris*

(a) Ἡ δ' εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐστιν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν, καὶ τῆς μελλούσης.

(b) Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω.

(c) Οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ, αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσί.

(d) Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι.

(e) Ἅμα μὲν οὐκ ἄνευ δαιμονίου τινὸς προνοίας νομίζοντες αὐτοὺς ἐντυχεῖν τῆς τῶν ὅλων ἐξουσίας.

ris fiat, acceptius, quam Concilia cœtusque hominum jure sociati, quæ Civitates appellantur: harum rectores & conservatores hinc profecti huc revertuntur. Titus Imperator apud Aur. Vict. Epitom. cap. 10. affirmavit, Potestates fato dari. At Christiani Patres, quos de Divina Principum origine Apostolus erudiverat, rem luculentioribus verbis comprehendunt. Horum doctissimus Augustinus in lib. V. de Civit. Dei cap. 21. hæc tradidit, Qui Vespasiano vel Patri vel Filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino, ipse Apostatæ Juliano summum Imperium demandavit. Consulantur Boeclerus ad Grotium lib. I. cap. III., Pufendorfius lib. VII. cap. III. de jure Naturæ & Gentium aliique, qui de politicis scripserunt. Redeamus ad Apostolum. Is enim jussit tam sanctum esse Imperium, ut qui Principibus vim opponunt, eos existimaret Deo obsistere & crimen omnium maximum sibi consciscere (a), Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirent: Sed quas Christiano Principatui partes Apostolus adscripsit? Declaravit quidem hac de caussa Principes Rebuspublicis fuisse datos, ut improbos suppliciis afficiant, sed defendant & tueantur bonos (b), Principes non sunt timor boni operis, sed mali. Addidit vero ab iis (præsunt enim civilibus hominum Cœtibus loco optimi Dominatoris Dei) Imperium ita esse gerendum, ut quidquid sceleris est, impune in Civitate esse non patiantur, ex quo universi Civium ordines possint in tranquillo otio versari (c), Princeps enim Dei minister est tibi in bonum . . . . vindex in iram ei, qui malum agit. Hæc Apostolus, quo auctore cum Principatus Divinus & sanctus est, cui omnia latissime patent, tum ab illis qui eum administrant, diligenter providendum est, ne sceleribus impunitas sit, ne virtutes honore careant, ne denique leges sciscere negligant, ex quibus Cives bene beateque vivant. Ergo sequitur eximiam esse Christianorum Principum potestatem in iis, quæ ad Religionem pertinent, nisi forte stultus aliquis aut impius in dubium vocaverit, an Religio virtus sit, in qua omnis hominum salus consistat, an ea tranquillitatem Reipublicæ afferat, an demum in Civitatis perniciem exitiumque universa crimina committantur, quæ ex contemptu sacrorum proficiscuntur. Hujusmodi autem Principum potestas conferenda est cum Divino regiminis genere, quo Ecclesia continetur: Altera enim alteri derogare non potest. Igitur quum Ecclesia suos Rectores habeat, quos Christus renunciavit, sacros Antistites eosdemque Sacerdotes, illud restat, ut Christiani Principes Religionis præsidium suscipiant, eamque legibus vindicent & conservent.

III. Age nunc ad explicandam hanc tutelam aggrediamur, in quam Principibus Christiana Ecclesia tradita est. Atque prospiciendum ab iis est, ut admonitu Episcoporum, & potissimum Romani Pontificis concilia convocent in perturbatis Religionis rebus, & ea, quæ Ecclesiæ prodesse possint, accurate studeant, muneris quoque sui Ecclesiasticos viros in tollendis nefariis cultibus & propaganda sincera doctrina commonefaciant, idque ad efficiendum operam suam adiciant, sacram itidem disciplinam legibus tueantur eosque, qui officium deserunt vel Catholico dogmati derogant, arbitratu suo coerceant. Testis est Socrates initio libri quinti, Romanos Imperatores ex quo tempore nomen Christo dederunt, Religionis rebus consuluisse, synodosque ad ea deliberanda congregasse, quæ in certamen venerant: Sic enim (d), Ex quo Imperatores

(a) Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν. Οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται.

(b) Οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν ...

(c) Ἄρχων Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστι σοὶ τὸ ἀγαθόν . . . . . . ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι.

(d) Ἀφ᾽ οὗ χριστιανίζειν βασιλεῖς ἤρξαντο, τὰ τῆς Ἐκκλησίας πράγματα ἠρτήθη ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται.

tores Christiani esse cœperunt , illorum auctoritate negotiorum Ecclesiasticorum procuratio suscepta est, & maxima quæque concilia eorum arbitrio tum coacta sunt antea, tum hodieque coguntur. Accedit, veteres illos Principes maximo sane opere laborasse, ut Ecclesia late propagaretur eique pace frui liceret. idque summo studio cavisse, ne doctrina, quam Christus tradiderat, aliquid fraudis pateretur. De Constantino Magno Theodoretus *in lib.* I. *Hist. Eccl. cap.* 25. (a) . *Laudatissimus quidem Imperator curas plane apostolicas animo versabat. Hi vero qui Sacerdotali dignitate prædici erant, non solum Ecclesiam ædificare abnuebant, sed ipsa quoque illius fundamenta subruere conabantur* . Theodosius & Valentinianus *in lib.* I. *Legum novellarum tit.* 11. *de Judæis & Samaritanis* singulares Imperii sui esse vigilias dixerunt , ut ad conservandam Religionem animum attenderent: *Inter ceteras*, inquiunt, *sollicitudines, quas amor publicus pervigili nobis cogitatione indixit , præcipuam imperatoriæ Majestatis curam esse perspicimus veræ Religionis indaginem, cujus si cultum tenere poterimus, iter prosperitatis humanis aperimus inceptis.* Hoc ipsum sibi munus esse delatum bene novit Richaredus Rex in Edicto ad Synodum Toletanam tertiam, *Pro qua re quanto subditorum gloria regali extollimur , tanto providi esse debemus in his, quæ ad Deum sunt*. Præclare de hoc Regum officio disputavit Augustinus *in lib. de Correct. Donatistarum* ; ex quo optima hæc damus , *Quum nondum*, inquit, *Reges Domino servirent temporibus Apostolorum . . . non utique tunc possent impietates legibus prohibere , sed potius exercere : postea vero coepit impleri, quod scriptum est* , Et adorabunt eum omnes Reges terræ , omnes Gentes servient ei. *Quis mente sobrius Regibus dicat, nolite curare in Regno vestro , a quo defendatur vel oppugnetur Ecclesia Dei vestri* . Quantam etiam diligentiam ad eos, qui Catholico officiebant nomini, cohibendos & ab hæresi revocandos pii Imperatores contulerint, sapientissimæ eorum sanctiones ostendunt, quæ in pluribus Theodosiani & Justinianei Codicis Titulis leguntur: cujusmodi argumentum *in criticis exercitationibus* pertractabitur. Hoc sæpe officium ab Imperatoribus Patres ipsi expetiverunt . Africani Antistites in Concilio Carthaginensi An. 404. quum Donatistas monitis & colloquiis ad concordiam compellere diffiderent, nec pertinaces Circumcellionum animos frangere possent, legatos Theasium & Evodium ad Honorium decreverunt, qui peterent, ut in Donatistarum illos, qui vim Catholicis inferrent, lex de pendendis auri libris decem juberetur, quam Theodosius Hæreticis imposuerat, itemque in omnes Donatistas leges perferrentur, quæ *Hæreticis vel ex Donationibus vel ex Testamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegarent facultatem*. Consulatur *Commonitorium* Synodi Carthaginensis in Can. 93. Codicis Africani. Quocirca Honorius illorum rogatu edicta tulit, e quibus conceptæ leges fuerunt *trig. nona* in Cod. Theod. Tit. *de Hær.* & *quarta* Tit. *ne Sanctum Baptis. iter.* Ad hoc de optima instauranda disciplina saluberrimas ab Imperatoribus leges fuisse rogatas neminem latet. Constantinus quidem innumeras exaravit epistolas , quæ in eam rem faciebant, teste Eusebio *in lib.* III. *de Imp. vita* (b), *Episcopis præscribit ea, quæ ad Ecclesiarum utilitatem spectabant* . Hæc , quæ Imperator pertulerat , Eusebius in singulari complexus est libro, quem nobis temporis diuturnitas eripuit. In istam sententiam Justinianus *in Novel. Const.* cxxiv. *Si leges* , inquit , *civiles , quarum potestatem Fidei nostræ Deus pro suo erga homines amore concredidit , firmas ac stabiles conservare ad subditorum securitatem studemus, quanto plus studii debemus circa sacrarum regularum & Divinarum legum observationem reponere , quæ pro salute animarum nostrarum definitæ & constitutæ sunt* . Quid autem nos pluribus ? Necesse non est rem persequi , quæ uber

---

(a) Πανεύφημος βασιλεὺς τὰς Ἀποστολικὰς φροντίδας ἐν τῇ ψυχῇ περιέφερεν. οἱ δέ γε τῆς ἱερωσύνης ἠξιωμένοι, οὐ μόνον οἰκοδομεῖν οὐκ ἐβούλοντο, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ τῆς Ἐκκλησίας ἀνορύττειν ἐπεχείρουν θεμέλια.

(b) Ἐπισκόποις ὑπὲρ τῶν Ἐκκλησιῶν τοῦ Θεοῦ τὰ πρόσφορα διατάττομενος.

uberrime exposita est a pluribus doctis Viris (a). Horum plures enumerat Joannes Albertus Fabricius *Bibliographiæ antiquariæ cap. XIII.*, plerosque vero collegit πολυίστωρ Goldastus.

IV. Restat locus huic disputationi maxime necessarius de dissensu juris Gentium, Mosaici & Christiani, ex quo res omnis, quæ explicanda erat, maxime impedita atque implicita esse videtur. Quum enim oporteat, jus Gentium cum Divino jure optime consentire, hinc quivis facile sibi arripiet, eum Principatum, quem summis Christianæ Reipublicæ moderatoribus naturæ ratio attribuit in regendis sacris, debere cum Divinis utriusque Fœderis legibus esse consentaneum. Hoc igitur agendum est, ut planum faciamus, Divini juris dissensionem non esse cum eo Gentium jure, quod nunquam tolli potest, sed cum priscis institutis, quæ in illo temporum intervallo, cum Religio a certo Sacerdotio vacabat, inter omnes Nationes convenerunt. Istud brevi sermone efficietur. Leges naturæ omnium quidem principes Deo Religionem adscribunt, non modo illam, quæ in mente colentium versatur aut privatim: habetur, sed etiam eamq; quæ publice redditur in Civitate. Hoc officium non tum incepit, cum scriptum est, sed tum, cum ortum est: ortum autem simul est cum mente Divina. Sed in Naturæ codice delectus non erat administrorum chorus, qui sacra constituerent, eademque factitarent, tametsi contra sentiant Ecclesiasticæ Hierarchiæ Patroni apud Anglos, sed sine optimis argumentis & sine ullo auctore. Itaque ex interpretatione (Deo enim publice habendus erat honos) Pontificatus iis datus est, qui Duces in hominum cœtibus fuerunt. Quocirca Patresfamilias ante conditas Urbes sacra peragebant: Huc pertinet Sacerdotium Primogenitorum, in quorum locum Levitas successisse Hebræi arbitrantur, quod multis disputant Grotius (b), Seldenus (c), Samuel Bochartus (d), Andreas Quenstedius (e) & Buddeus (f). Atque eandem ob caussam Reges, aliique civiles Rectores, qui summo in Rebuspublicis Imperio præfuerunt, omnia Pontificum munia obivere. Hæc ab iis suscepta sunt eo jure, quod ex naturæ mente optime conclusum est, nullidum a Deo commissa gerendorum sacrorum provincia. At tandem in Israelitica Republica renuntiati sunt Sacerdotes: quo facto Sacerdotium ab Imperio Deus disjunxit, & Principibus Judicium de sacris Religionisque præsidium, Sacerdotibus autem universam Pontificatus administrationem mandavit. Is enim Theocraticæ Civitatis erat optimus status. Quum autem novi Fœderis Ecclesia condita esset, in ea Filiis Sacerdotibus non modo Sacrorum procuratio, sed etiam publica de Divinis rebus cognitio credita est. Itaque, quoniam Pontificatus in medio positus erat, quadam ex parte Aaronidis obtigit in Mosaica Republica, sed totus, quantus est, iis quos Christus delegit, administris delatus fuit in Evangelicis tabulis.

V.

(a) In horum numerum recipi possunt complures nostrates Scriptores iidemque magno Ingenio, omni liberali doctrina & sapientia præstantes. Eminet autem inter omnes Marchio Stephanus Patritius, in Neapolitano & Siciliensi Supremo Senatu Quinquevir amplissimus, dexteritate, sanctimonia & comitate eximius, literarumque omne genus cultor ac Patronus. Plerasque is Regii Juris ad sacra pertinentis partes erudite, apte & ornate persequutus est in iis, quas vocat, consultationibus. Exoptandum sane est, ut per laboriosissimos, quos gerit, Magistratus ei liceat otium reperire ad illas in lucem edendas. Ominamur enim illud futurum hominibus nostris adjumentum, ut omnes plurimum se arbitrentur adeptos, quo facilius rationem difficilioris & nobilioris Jurisprudentiæ intelligant.

(b) *Ad Lucam* II. 23.

(c) *In lib. 1. de success. in Pontific. cap. 1.*

(d) *Hieroz. par. 1. col.* 575.

(e) *In Antiquit. biblicis cap. 1. num. 11.*

(f) *Hist. Eccles. Sect.* III. *a vocatione Abrahami ad Mosem* §. XVIII.

V. Hactenus id peractum est, quod per ipsam Naturam licebat. Videamus porro: Constans & perpetua Naturæ ratio extitit, ut ad salutem civium, Civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam & beatam pertineat Imperium, idque ipsum in Religione tanquam in præcipuo munimento nitatur: Perspicua est illa Imperii & Religionis conjunctio, ex qua facile sequitur, ut qui Societati præfectus est, is in præsidium & fidem suam non modo omnia sacra, sed ipsum Pontificatum suscipiat. Sic Naturæ Leges, quibus nihil contrarium constitutum est in Fœdere tum Mosaico, tum Divino. In utroque enim Sacerdotium delectis a Deo ministris ita commissum est ut tamen Religio Principibus in tutelam traderetur. Nanque omnia, quæ Deus sive per Prophetas, sive per Apostolos sancivit de sacris, Imperio, quod sane Divinum est, nihil derogant, sed illud conservant & fortunant. Ergo quivis plane perspicit id, quod nos putabamus, nullam esse Mosaici juris cum Evangelico, nec utriusque cum summa Naturæ ratione dissensionem de iis, quæ Sacerdotium & publicum Principatum spectant. Hæc ferme nobis in mentem venerunt, quæ dicenda putavimus. Cuncta complexi sumus equidem, ut, quum tres sint fontes universæ auctoritatis, quæ in rebus sacris penes summos Magistratus residet, non modo eum aperiremus, ad quem nos adire oporteat, quærentes de Christianis Principibus, sed simul doceremus, quantum ex cæteris haurire possemus.

EDI-

EDITOR AMSTELODAMENSIS
AD LECTOREM.

Sacrorum curam, benevole Lector, fundatores Imperiorum Rerumquepublicarum sibi vendicare solitos, quo magis in obsequio religionis efficacia subjecti sibi populi continerentur, historiarum tam antiquiorum quam recentiorum monumenta declarant. Ceterum controversiam de ea Potestate antiquioribus Regibus, aut Rerumpublicarum Rectoribus a quoquam unquam motam esse, nullum exstat vestigium; & extra dubitationis aleam positum est Sacerdotium a Regali culmine dependisse: quanquam quo arctius Deorum Veneratione alligarentur populi, ipsi Reges sibi assumere Sacerdotium consueverint. Posteriora demum tempora, postquam insania dominandi corripuit infulas, Principibus id turbidum jus fecere; quod funestum sæpius exstitit Imperio Romano Pontificum erga Imperatores æmulatione atque superbia; qui cum primo humilitate pastorali excussa, suo arbitrio agerent, mox dignitati se Principum æquantes, tandemque supra quicquid augustum regiumque est elevari gestientes, jura eorum circa sacra nefario ausu in se trahere, usurpare, quandoque & ferro sibi asserere. Quæ rabies cum generali & avita gentium consuetudine & Praxi tot retro Regum tam ethnicorum quam populi Dei refelleretur, cordati subinde viri & eruditione præstantes, defendentes jura Principum, indignitatem rei æquanimo orbi ostenderunt. Et inter eos quidem viros prioribus seculis multum eminuit Guilielmus Occam, cujus ad Imperatorem exstat illud: Tu me Cæsar gladio, ego te calamo defendam. Sed & plures alii, quorum Catalogum recensere hîc operæ pretium non est. Nostris vero temporibus de eodem Regum jure eleganter egit Hugo Grotius, cujus solum nomen id operatur ut libellus iste commendatione non egeat; Nos, ut porro operam nostram & studium erga publicum testificaremur, eundem compendiosiori, quam hactenus, forma donavimus & pluribus mendis repurgavimus; subjunximus insuper D. Blondelli Tractatum de Jure Plebis in Regimine Ecclesiastico, commoditatis ergo, & ut quicquid ad eam caussam facit, uno quasi obtutu spectari posit; sperantes Te, benevole Lector, amorem nostrum adjuvandi publicum æqui bonique consulturum. *Vale.*

DE IMPERIO SUMMARUM POTESTATUM CIRCA SACRA.

CAP. I.

SUMMIS POTESTATIBUS IMPERIUM CIRCA SACRA COMPETERE.

SUMMARIUM.

1. *Explicatur status Controversiæ*. 2. *Imperium Summis Potestatibus vindicatur ex universitate materiæ, quæ probatur auctoritate Sacrarum Literarum*. 3. *Et ratione naturali*. 4. *Item ex universitate finis, qui probatur e S. Literis*. 5. *Et confessione Philosophorum*. 6. *Vindicatur idem jus directa auctoritate divinarum Scripturarum*. 7. *Consensu Christianorum veterum*. 8. *Et Reformatorum*. 9. *Et Gentium*. 10. *Cum respectu ad beatitudinem æternam*. 11. *Et ad felicitatem temporalem*. 12. *Quæ veram Religionem sequitur vi providentiæ divinæ*. 13. *Et ex suapte natura*. 14. *Pontificiorum confessio*.

SUMMAM Potestatem intelligo personam aut cœtum, cui imperium sit in populo, Solius DEI imperio subditum. Vocem ergo *Summæ Potestatis* non pro jure sumimus, ut sumi interdum solet, sed pro jus habente; quomodo & Latinis mos est loqui & Græcis. Neque alio sensu Apostolus Paulus dicit ἐξουσίας ὑπερεχούσας *supereminentes Potestates* quos ἄρχοντας *Principes* infra vocat & *Dei Ministros* (a), ut manifestissimum sit personas, non officium designari. Illud ipsum ὑπερέχειν *supereminere* Regi Petrus attribuit, ad notandum discrimen ab inferioribus potestatibus. Vulgus *Summum Magistratum* vocat hunc de quo agimus contra Latinæ vocis usum. Nam Romanis *Magistratus* minorum potestatum nomen est. *Personam* dixi aut *cœtum*, ut ostenderem non Reges tantum proprie dictos, quos *absolutos* plerique appellant, hoc nomine venire, sed & in Aristocratica Republica Optimates, sive ille Senatus, sive Ordines, seu quocumque alio vocabulo nominentur. Debet quidem id quod Summo imperio imperet esse unum, sed non necessario unum naturâ: sufficit enim si sit unum instituto. *Imperium* latiori significatu sumimus, non quâ jurisdictioni opponitur, sed quâ eam includit, quo ambitu comprehenditur jubendi, permittendi, prohiben-

(a) *Rom.* 12.

habendique jus. Solius Dei imperio subdi hoc imperium dicimus: ideo enim *Summa Potestas* dicitur, quia superiorem inter homines non habet. Sic Optatus Milevitanus adversus Parmen. lib. 3., *Super Imperatorem non est nisi solus DEUS, qui fecit Imperatorem*. Et Tertullian. ad Scapul., *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet & ipsi expedit, ut hominem a DEO secundum, & quicquid est a DEO consecutum, solo DEO minorem. Hoc & ipse volet: sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est*. Hoc imperium sub uno Deo Græci το κυρος *dominium* vocant, την κυριαν αρχην *absolutum imperium* Aristoteles; αρχην μεγιστην *summum imperium* Philo; το κρατος *potestatem* alii. Latine quidam *Majestatem* dixere. Sed ea vox magis dignitatem ab Imperio Summo emanantem, quam ipsum Imperium significat.

2. Hujus ergo *Summæ* Potestatis ita definitæ *Imperium* dicimus non ad profana tantum, sed ad sacra quoque extendi. Quod paucis probabimus; Primum argumentum sit ab unitate materiæ circa quam versatur Potestas Summa, dicitur a Paulo Apostolo *DEI esse Ministra, vindex ad iram ei qui malum fecerit* (*a*). *Mali* autem nomine comprehenditur etiam omne quod circa sacra committitur. Indefinita enim locutio omnino hic tantumdem valet atque universalis, quam expressit Salomon, *Rex solio justitiæ insidens oculis suis ventilat omne malum* (*b*). Et populus Josuæ obedientiam in omnibus pollicetur, quemadmodum & Mosi paruerat (*c*). Quod & Aristoteles vidit cum inquit οἱ νομοι αγορευουσι περι απαντων, *de rebus omnibus tractant leges* (*d*). Firmatur hoc ipsum a simili, uno a minori. Nam Patris Imperium minus est quam Summæ Potestatis. De Paterno autem Imperio dicitur, *Filii obedite parentibus in omnibus* (*e*). *In omnibus* autem sunt etiam sacra. Plane similis est huic nostræ illa Patrum ratiocinatio, cum ex eo quod Paulus dixit, *Omnem animam* Summis Potestatibus subjici debere (*f*), inferunt iisdem subjici sacrorum quoque administros, *Etiamsi Apostolus sit, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta*, inquit Chrysostomus (*g*); cujus vestigia sequens Bernardus in Epistola ad Archiepiscopum, *si omnis, & vestra, qui vos excipit ab universitate*.

3. Et sane eximi quicquam ab Imperio Summæ Potestatis ratio nulla patitur. Nam id ipsum quod quis eximi volet, aut nulli Imperio humano subjectum faciet, aut alterius quam Summæ Potestatis; Qui nulli imperio subjectum volet, præterquam quod exemtionis probandæ onere adstringetur, quam probare numquam poterit, manifestam etiam in rebus exemtis statuet ακαταστασιαν *confusionem*, cujus auctor Deus non est, qui omnia tam naturalia quam moralia certo quodam ordine disposuit. Si ea quæ Summæ Potestati subducit, alterius imperio subjicit, jam in uno populo duas efficit Summas Potestates, quod ipsius summitatis naturæ minime est consentaneum, imo ei repugnat quoties vox illa non negativo tantum sed & affirmativo significatu sumitur. Quo illud spectat Tertulliani: *Ea est summi conditio, ut nihil illud adæquet, nedum superet*. Atque hoc potissimum argumento Deorum multitudinem sancti Patres oppugnant, quia quod *Summum* est, idem nisi *Unum* esse non possit. Præcipue vero Imperii vis istam summorum multiplicationem repudiat: nam sicut in homine una est

(a) *Rom.* 13. (b) *Prov.* 20. 8. (c) *Jos.* 1. 17. (d) *Eth.* 5. 13. (e) *Col.* 3. 20. (f) *Rom.* 13. (g) *In epist. ad Rom. hom.*

est voluntas quæ cunctis membris membrorumque actionibus imperat, ita in civili isto corpore quod imperat, unum est. Ars enim imitatur naturam. Et Respublica ipsa una dicitur præcipue respectu unius summè imperantis. Hoc verum esse effectibus demonstratur, ex quibus de potestatibus & facultatibus judicium fieri solet. Effectus enim Imperii sunt *obligatio* & *coactio*. Si autem plures essent Summi Imperantes, ut plures, possent esse imperata contraria, aut contrarietatem implicantia. At contraria aut *obligatio* aut *coactio* circa idem naturæ rerum repugnat. Atque ideo quoties inter duas leges oritur ea quam Rhetores vocant ἐκ περιστάσεως μάχη *pugna è rei circumstantia*, altera semper earum obligare desinit. Hæc est ratio cur paternum imperium, quod est naturale & antiquissimum, Deus cedere voluerit civili imperio, eique subjici, quia scilicet quod *summum* erat futurum, id plus quam unum esse non poterat. Si quis ergo dixerit actiones esse diversas, alias puta judiciales, alias militares, alias Ecclesiasticas, ac proinde hujus diversitatis respectu posse ipsum Summum Imperium in plures dividi, sequitur ex ejus sententia, ut eodem tempore idem homo ab hoc ire jussus ad forum, ab illo ad castra, ab illo rursus in templum, his omnibus parere teneatur, quod est ἀδύνατον *impossibile*; unde a Tacito recte dictum: *Omnes præcipiunt, nemo exequitur*: aut si non omnibus, ergo ordo quidam erit inter Imperantes, & cedet inferior superiori, ac proinde verum non erit *Summum Imperium* penes omnes divisim fuisse. Huc illæ spectant Divinæ sapientiæ voces: *Nemo potest duobus Dominis servire*; & *Regnum in se divisum dissipabitur*. Huc illa trita, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη *imperitare malum plures*; & *omnis potestas consortis impatiens*. Aliter se res habet in imperiis quæ Summo subsunt; hæc enim penes plures ut plures esse possunt: quia versantur circa personas diversas, aut si circa easdem, quod fieri potest, tum Summus Imperans ita illa ordinat, ut inter se non collidantur. Hæc autem ordinatio in summis imperiis haberi non potest. Est enim ordinans ordinato superius; Præterea sic daretur progressus in infinitum. Nec patebit effugium, si quis DEUM statuit communem ordinatorem: ordinatio enim hic necessaria est καθ' ἕκαστα *circa singula*, hoc est specialis requiritur declaratio voluntatis secundum singulas circumstantias: alioqui evitari ἀκαταστασία *rerum confusio* non potest, ut ex ante dictis apparet. Hanc autem declarationem καθ' ἕκαστα Deus non facit. Sunt qui objiciant, *Reges quædam imperare non posse, nisi consensus Ordinum accesserit*. Sed hi non vident quibus in locis id juris est, ibi Summum Imperium non esse *penes Reges*, sed aut *penes Ordines*, aut certe penes *id corpus*, *quod Rex & juncti constituunt*; ut Bodinus, Suarezius, Victoria, aliique abunde demonstrarunt. Certe summum imperium totum habere, & aliquid imperare non posse, ideo tantum quod alter vetet aut intercedat, plane sunt ἀσύστατα *pugnantia*. Ob hanc materiæ, circa quam occupatur Summa Potestas, universitatem ars ipsa regnandi, quam Plato modo βασιλικὴν *regiam*, modo πολιτικὴν *civilem*, interdum αὐτεπιτακτικὴν *absolutum* vocat, eidem Platoni dicitur ἐπιστατικὴ, hoc est *constitutrix* esse artium omnium: Aristoteles eandem vocat ἀρχιτεκτονικὴν *architectonicam*, & Philo in vita Josephi τέχνην τεχνῶν καὶ ἐπιστήμην ἐπιστημῶν *artem artium & scientiarum scientiam*, quia nulla est ars, nulla scientia, cui non illa imperare, quaque non uti debeat. Universitati materiæ respondet finis quoque universitas.

4. Paulus Apostolus DEI *Ministram* esse dicit Summam Potestatem εἰς τὸ ἀγαθὸν

ad

ad bonum, qualecumque scilicet; quod alibi distinctius explicans ostendit in id institutos Reges, *ut vitam quietam & tranquillam degamus*, non tantum *in omni honestate*, verum etiam *in omni pietate*. Hæc enim vera est civitatis felicitas, *ut Dei sit amans & amata Deo, illum sibi Regem, se illius populum agnoscat*, quemadmodum præclare loquitur Augustinus (a), qui & *felices* dicit *Reges*, *si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum Majestati ejus famulam faciant*. Ipsi Imperatores Theodosius & Honorius in Epistola ad Marcellinum, *Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum Dei cultum orbis nostri plebs devota custodiat*. Theodosius in Epist. ad Cyrillum, *Cæsarei est muneris, ut non solum pacifice, sed pie etiam subditi vivant*. Ideoque Isidorus Pelusiota Sacerdotio & Regno finem eundem dicit esse propositum τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν *Subditorum salutem*. Cui aliud Ammiani (*b*) congruit, *Nihil aliud est imperium, ut sapientes definiunt, nisi cura salutis alienæ*. Et Auctor libri de Regimine Principum qui Thomæ adscribitur, *Finis ad quem Rex principaliter intendere debet in se ipso & in subditis, est æterna beatitudo, quæ in visione DEI consistit. Et quia ista visio est perfectissimum bonum, maxime movere debet Regem & quemcumque Dominum, ut hunc finem subditi consequantur*.

5. Quod ipsum quamquam nobis divina oracula clarius demonstrant, non tamen naturali lumine utentibus omnino obscurum est. Nam & Aristoteli ea est optima Respublica, ex cujus instituto quisque agat optime, & beatissime vivat. Non ergo sola pax societatis externæ proposita est Summis Potestatibus, sed & singulorum virtus, quam ideo Aristoteles (*c*) duplicem facit, activam & contemplativam. Imprimis autem insignis est ejusdem Philosophi locus in fine Eudemiorum, ubi illam vivendi rationem ait *optimam, quæ ad DEUM considerandum maxime facit*, eam vero *pessimam, quæ a considerando colendoque DEO avocet*. Quod si verum est hunc finem Summis Potestatibus propositum esse debere, *ut cives faciant quam religiosissimos*, eo autem quæ tendunt omnia sacrorum nomine appellantur, sequitur vim *Summæ Potestatis* qua talis est, hoc est imperium ambitu suo sacra quoque includere. Posito enim fine, simul ponitur jus ad ea, sine quibus finis obtineri non potest.

6. His Argumentis ab ipsa rei natura deductis accedat sacratissima & certissima divinæ legis auctoritas. Jubentur enim Reges, *observare totam legem divinam, servire Domino, Christum osculari* (*d*): quod cum illis non dicatur ut *hominibus* (ita enim præceptum ad Reges nihilo magis quam ad privatos pertineret) sed ut *Regibus*, sequitur ab iis actum illum exigi, qui proprie Regis est, usum scilicet imperii circa ea in quibus Religio consistit. Malo hoc explicare Augustini quam meis verbis, *In hoc Reges, sicut eis divinitus præcipitur, DEO serviunt in quantum Reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam religionem* (*e*). Et alibi (*f*), *Quomodo ergo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit qua homo est, aliter qua etiam Rex est. Qua homo est, servit vivendo fideliter, qua vero etiam Rex est,*

(a) *De Civit. Dei* 5. *c.* 14. (b) *Lib.* 30. (c) *Polit.* 7. *c.* 1. 2. (d) *Deut.* 17. 15. *Jos.* 1. 8. *Psal.* 2. 12. (e) *Cont. Crescent. lib.* 3. *cap.* 51. (f) *Epist. ad Bonif.*

est, servit leges justa præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias, lucos & templa idolorum & illa quæ contra præcepta DEI fuerant constructa, destruendo. Sicut servivit Josias talia & ipse faciendo. Sicut servivit Rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonosor, de quo jam diximus, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt Reges, cum ea faciunt ad serviendum illi quæ non possunt facere nisi Reges. Et hæc est Regia illa Ecclesiæ nutricatio, quam per prophetam DEUS Ecclesiæ promittit (a). Accedit illud ab Augustino optime observatum, quod itidem verbis ipsius exprimam, Omnes Reges qui populo DEI non prohibuerunt nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: qui prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur (b). Quod Isidorus Hispalensis ita exprimit; Cognoscant Principes seculi DEO debere se rationem reddere propter Ecclesiam quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit (c). Nec male Leo Episcopus ad Cognominem Augustum (d), Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.

7. DEI legem suo ordine subsequitur mos Ecclesiæ & facta Imperatorum, de quorum pietate minime dubitatur. Hos omnes Imperii partes circa Sacra exercuisse mox in pertractandis partibus singulis apertius fiet. Summatim omnia Socrates Historicus comprehendit, cum dixit (e), Ex quo Imperatores facti sunt Christiani, res Ecclesiæ ab ipsis dependisse. Neque alio spectat illud Optati Milevitani: Non enim Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, id est in Romano Imperio (f). Constantinus in antiqua inscriptione Religionis & fidei auctor dicitur. Basilius Imperator Ecclesiam Navem vocans Universalem, ejus sibi gubernacula ait a Deo concredita. Circumfertur & nomine Eleutherii Romani Episcopi vetus epistolium, quo Regem Britannum Vicarium Dei vocat in regno suo, agens de negotio religionis. Concilium Moguntiacense I. Carolum Magnum vocat vere religionis rectorem.

8. Neque aliter sentire Ecclesias nostro ac parentum ævo ad exemplum veterum repurgatas testantur ipsarum confessiones. Ita enim Belgica: Magistratuum est non modo de Civili Politia esse sollicitos, verum etiam dare operam ut sacrum ministerium conservetur, Christique regnum propagetur, denique horum est efficere ut sacrum Evangelii verbum undique prædicetur, ut singuli pure Deum colere & venerari ex præscripto verbi ipsius libere possint. Ita Helvetica posterior: Teneat ipse Magistratus in manibus Verbum Dei & ne huic contrarium doceatur, procuret. Bonis item legibus ad verbum Dei compositis moderetur populum sibi a Deo creditum. Ita Basileensis: Quilibet Christianus Magistratus omnes vires eo dirigit, ut apud fidei suæ commissos nomen Dei sanctificetur, regnum ipsius propagetur, ipsiusque voluntati cum seria extirpatione scelerum vivatur: Hoc officium gentili magistratui injunctum fuit,

(a) Esa. 49. 23., 60. 13. 16. (b) Epist. 50. ad Bonif. (c) Sent. 3. c. 51.
(d) Epist. 75. (e) Lib. 5. præf. (f) Lib. 3.

fuit, *quanto magis Christiano magistratui commendatum esse debet*, *ut vero Dei Vicario*. Ecclesia Anglicana etiam excommunicandos illos censuit, qui affirmarent Regem Angliæ non eandem habere in causis Ecclesiasticis auctoritatem qua usi sunt Pii Hebræorum Reges. Brentius anno 1555. Prolegomenis in Apologiam Ducis Wirtembergensis fuse hoc jus officiumque Principum prosequitur. Nec aliud agit Hamelmannus perutili libello quem anno 1561. in lucem edidit. Quæ a Musculo, Bucero, Ivello, Wittakero, Reinoldo; quæ deinde a Serenissimo Britanniarum Rege, Episcopo Eliensi, Bochello Toxero, Casaubono, Paræo quoque in hanc sententiam scripta sunt, hic omnia transcribere res esset tædii plenissima. Cum Theologis consentiunt hi qui Politica tractarunt; quos inter merito suo palmam obtinens Melchior Goldastus jus imperii in sacra pluribus & quidem magnis voluminibus asseruit. Omnes denique qui de Republica aliquid lectu dignum scripsere, hoc Jus in sacra non partem tantum summi imperii, sed etiam potissimam atque præcipuam vocant.

9. Neque tantum Christiani veteres ac Reformati, sed & gentes aliæ hoc ipsum tanto consensu tradidere, ut apertissimum sit rectæ rationis, quæ communis est humano generi, hoc esse pronunciatum, aut ante religionis depravationem ab antiquissimis parentibus tradi liberis cœptum longa successione ad posteros manasse. Aristoteli in Repub. primum est ἡ περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλεια *cura religionis* (a). Plutarcho idem primum in Legum constitutione: *oportet*, inquit ex Pythagorica disciplina Philosophus, *coli optimum ab optimo, imperans ab imperante*. Antiquissimi Legum latores Charondas & Zaleucus idem exemplo suo probavere. Duodecim Tabulæ qui fons est juris Romani, ad Græcarum legum imitationem conformatæ de sacris plurima præcepere, ut recte Ausonius dixerit:

Jus triplex tabulæ quod ter sanxere quaternæ
Sacrum, privatum, & populi commune quod usquam est.

Ex quo obiter observandum est Justinianum Imp. (b), quum juris positiones duas fecit, *publicum & privatum*, sub nomine *publici* sacrum comprehensum voluisse, quæ alibi dissecuit nominans *divinum publicumque* jus & Privata commoda: sicut & primam Codicis sui partem ex sacris publicisque composuit, cum in Theodosiano sacra titulorum agmen clauderent. Huc & illud pertinet quod Ulpianus (c) Jurisprudentiam, non illam forensem quæ est inter artes ancillantes, sed νομοθετικὴν *legiferam* quæ forensi Jurisprudentiæ aliisque artibus imperat, definit *divinarum atque humanarum rerum notitiam*; Chrysippum credo secutus qui legem dixerat *Reginam divinarum humanarumque rerum*; cum quo consentit illud Justiniani: *Nihil tam studiosum in omnibus rebus invenitur quam legum auctoritas*, *quæ & divinas & humanas res bene disponit & omnem iniquitatem expellit*. Operæ pretium est addere Suarezii confessionem. Verba ejus sic habent: *Semper autem servatum videtur ab hominibus*, *ut licet particulares magistratus Civiles & Sacerdotales diversis hominibus tribuerentur*, *quia varietas actionum istam distinctionem postulabat*, *nihilominus suprema potestas utriusque ordinis*, *præsertim quoad leges ferendas*, *in uno Principe collocaretur*. *Et ita Regibus & Imperatoribus semper tributa fuit hæc potestas in Romana urbe & imperio*

(a) *Polit.* 7. 8. (b) *L. Ut inter divin. Cod. de Sacrof. Eccles.* (c) *L.* 10. § 2. *D. de Iustit. & Jur.*

perio, ut ex historiis constat. Idemque de aliis communitatibus verisimile est. Deinde ex Thoma Aquinate (a) probat semper humanam Rempublicam utentem sola potestate naturali habuisse curam divini cultus & rerum omnium ad Religionem pertinentium: additque ex Cajetano hoc non solum habuisse locum in his gentibus quæ falsos Deos colebant, sed etiam in colentibus verum DEUM solo lumine naturali.

10. *Ut autem recte*, inquit idem Suarezius, *generalis consuetudo declarat institutum naturæ; videntur quidem Thomas & Cajetanus existimasse omnem in gentibus illis Legislatorum curam de Religione nihil aliud spectasse quam pacem publicam: sed hoc ita præcise sumptum non modo probatu difficile, sed vix etiam credibile est. Apertissime enim probant patres Christiani Græcis quoque persuasum fuisse antiquitus, post mortem præmia pœnasque hominibus divino judicio reservari*. In quam rem ita clarum est Diphili Comici testimonium, ut nihil ne a nobis quidem dici possit expressius. Ægyptiis, Indis, Germanis, Gallis, Thracibus, Italis veteribus idem creditum summæ fidei auctores prodiderunt. Hunc igitur finem ex illis legum conditoribus nemini fuisse propositum, quæ ratio nos coget credere? præsertim cum dicat Augustinus, *plurimos extra Abrahæ familiam, licet sacra Scriptura de Job & paucis aliis mentionem fecerit, in Christum tum futurum credidisse & sperasse*, non ambigendum.

11. Juxta hunc vero finem primum atque præcipuum, justa sane causa cur Summæ potestates imperio suo sacra curare debeant, hæc quoque est, quod Religio ad externam quoque felicitatem atque concordiam facit plurimum, idque duplici ratione, quarum prior a divina providentia ducitur.

12. *Habet* enim pietas promissa non tantum *futuræ sed & præsentis vitæ* (b): juxta illud: *Quærite primum regnum cœlorum & cætera adjicientur vobis* (c). Et in veteri Hebræorum lege nominatim piis *Felix regni status, agrorum domorumque fæcunditas, de hostibus triumphi*, aliaque prospera ostentantur; impiis contra diræ canuntur gravissimæ. Neque hoc plane gentes latuit, ne tum quidem postquam ab uno veroque DEO ad plures jam falsosque defecerant. Hinc illud Homeri (d).

Ωστε τευ ἢ Βασιλῆος αμυμονος, ὅστε θεουδης,
Ανδρασιν εν πολλοισι και ιφθιμοισιν ανασσων
Ευδικιας ανεχῃσι· φερησι δε γαια μελαινα
Πυρους και κριθας, βριθῃσι δε δενδρεα καρπῳ,
Τικτει δ' εμπεδα μηλα· θαλασσα δε παρεχει ιχθυς
Εξ ευηγεσιης· αρετωσι δε λαοι ὑπ' αυτου.
Qualis Rex culpa vacuus gnarusque Deorum,
Qui populis multis & fortibus imperat unus,
Tutatur pia jura manu: parit hordea tellus
Triticeasque dapes, pomis scatet arbor ubique,
Fœcundum est validumque pecus, dant æquora pisces,
Totaque gens felix ipsius munere floret.

Et illud Livii: *Omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus*. Hor-

(a) *Lib.* 21. *quæst.* 29. *art.* 3. (b) 1. *Tim.* 4. (c) *Matth.* 6. 33. (d) *Odyss.* 19.

Horatii: *Dîs te minorem quod geris, imperas*. Item: *Dî multa neglecti dederunt Hesperiæ mala luctuosæ*. Valerius Max.: *Non mirum igitur si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax indulgentia Deorum semper excubuit, quod tam scrupulosa cura parvula quoque momenta Religionis examinare videretur*. Nam Scriptores Christianos in hoc citare quid opus est, cum extent Constantini, Theodosiorum, Justiniani plurima in eum sensum? Unum Leonis ad Martianum sufficiat; *Magnam materiam gratulationis accepi quia studiosissimos vos Ecclesiasticæ pacis agnovi, cui desiderio divina æquitate confertur, ut quem statum cupitis esse Religionis, eundem habeatis & regni* (*a*). Apud Platonem in eundem sensum passim multa occurrunt.

13. Altera ratio est ex natura ac vi propria Religionis, quæ ejusmodi est, ut homines placidos, obsequiosos, amantes patriæ, juris & æqui retinentes efficiat. Ita autem animatis civibus non potest non felix esse Respublica. Hinc Platoni *Religio propugnaculum potestatis, legum & honestæ disciplinæ vinculum*; Ciceroni *humanæ societatis fundamentum*; Hinc Plutarchus religionem vocat *συνεκτικον άπασης κοινωνιας και νομοθετιας ερεισμα coagulum omnis societatis, & fundamentum legislationis*, atque *facilius urbem sine solo, quam rempublicam sine opinione de Diis aut constitui posse, aut constitutam servari*. Neque male apud Xenophontem Cyrus, quo DEI metuentiores essent familiares sui, eo minus eventurum putabat, ut aut inter se aut in ipsum nefarium quippiam molirentur. Sicut Aristoteles vicissim notat, a subditis pluris fieri Regem, nullasque ab eo injurias metui, quem Numinis reverentem esse populus credat. Quamquam vero falsa quoque Religio aliquid confert ad pacem externam, unde superstitioni passim magnam tribui videmus efficaciam ad regendam multitudinem, tamen quo verior est quæque Religio, eo hoc ipsum plenius præstat. Optime Philo, *φιλτρον ανυσιμωτατον και δεσμος αλυτος ευνοιας ερωτικης ή τȣ ένος Θεȣ τιμη efficacissimum amatorium, & vinculum indissolubile benevolæ amicitiæ, unius Dei cultus* (*b*). De Christiana religione multi id ipsum Patres & operosissime omnium Lanctantius docet, quippe quæ ab adversariis quoque suis hoc testimonium habeat, quod *homines Sacramento obstringat ne furta, ne latrocinia committant, ne fidem fallant, ne depositum appellati abnegent*, ut Plinius ait; quod *nihil doceat nisi justum & lene*, ut Ammianus Marcellinus; quod sit *δοξα πασης άμαρταδος αναιρετικη persuasio omnem errorem tollens*, ut Zosimus. Neque vero Religio censenda est ad Rempublicam facere dumtaxat ea parte, qua morum regulam præscribit, minisque & pollicitationibus sancit: nam & dogmata & ritus haud parum ad ipsos mores publicamque felicitatem momenti habent. Subtilis forte sibi visus est Xenophon, laudante Galeno, quum negavit ad mores quicquam pertinere, DEUM incorporeum an corporeum credamus. At aliter nos ipsa veritas docet, ubi ex eo quod *DEUS est spiritus*, deducit eum *spiritu colendum* (*c*). *Optimus* enim *animus* (Seneca quoque fatente) *pulcherrimus DEI cultus est*. Sic ex eo quod *DEUS ubique præsens est, nihil turpe esse committendum*, etiam Philosophi docent: ex eo quod DEUS futurorum omnium est præscius, ostendunt nihil bonis posse accidere quod non sit ipsis salutare. Tiberium Suetonius *religionum negligentiorem* fuisse ait, quippe *persuasionis plenum cuncta fato agi*. Neque frustra dixit Plato a Christianis

(a) *Epist.* 42. (b) *De Monarch.* (c) *Johan.* 4.

ftianis quoque Patribus in hac parte laudatus, in Republica, quam recte se habere cupias, non esse ferendum ut quisquam doceat *DEUM malarum actionum* causam esse, quum hoc ipsum non possit nisi impie dici, ac proinde Reipublicæ sit damnosissimum. Silius Italicus cum scripsit,

Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris
Naturam nescire DEUM.

Si DEI scripsisset, nihil potuit verius. Neque nihil referre, qui ritus quoque animo usurpentur, late prosequitur Plato de Republica secundo, ubi illa piacula quibus citra vitæ emendationem homines scelerum veniam sperabant, ostendit pestem esse Reipublicæ. Idem de Eleusiniis & Bacchanalibus apud alios invenias. Præter has quas diximus aliæ insuper sunt causæ, etsi minus principales, propter quas imperium in sacra Summa Potestas deserere sine summo Reipublicæ periculo non potest. Nam sacerdotum quidam eo sunt ingenio, ut *ni parcant, territeant*. *Et multitudo*, ut olim Curtius dixit, *vana religione capta melius vatibus quam ducibus paret*. Didicerunt hoc malo suo Reges & Imperatores per Asiam, Africam, Europam, ut exempla afferre id pene esset omnium gentium Annales transcribere. Accedit & alterum quod mutatio in Religione imo etiam in ritibus, si non consensu fiat, aut manifestam contineat emendationem, per se Rempublicam concutit & in summum sæpe discrimen adducit; οἱ γὰρ περὶ τὰ θεῖα ξενίζοντες, inquit ille, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν *qui enim novas de Diis opiniones invehunt multos alieniore a legibus animo reddunt*. Hoc quoque verum esse docet omnium temporum experientia. Quare ni edictis coerceatur ista curiositas, nutabit semper Reipublicæ status.

14. Ob has duas postremas rationes subdi actiones sacerdotales imperio Summarum Potestatum, etiam illi fatentur qui easdem directe, hoc est qua salutem animarum possunt impedire, eidem imperio subtrahunt, quales sunt in Romana Ecclesia Joannes Parisiensis, Franciscus Victoria, & nuper Rogerus Widdringtonus. Parisiensis hæc sunt verba: *Licitum est principi abusum gladii spiritualis repellere eo modo quo potest, etiam per gladium materialem, præcipue ubi usus gladii spiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit, aliter enim gladium sine causa portat* (a). Victoriæ ista: *Respublica civilis est perfecta & sibi sufficiens: ergo potest se defendere ab injuria cujuscunque propria auctoritate* (b). Mox: *Possunt Principes servare proprias Respublicas non solum per modum defensionis, sed etiam AUCTORITATIVE*. Widdringtonus autem in Apologia ita sententiam explicat; *Si eveniat potestatem spiritualem male uti spiritualibus in perniciem Reipublicæ temporalis, per accidens subditur Potestati politicæ, cui cura temporalium incumbit, & consequenter potestatem habet super omnes actiones externas, quæ pacem temporalem injuriose perturbant*. Item: *Injusta spiritualium administratio, velut excommunicatio Principis notorie injusta, aut interdictum Regni manifeste iniquum, ab Episcopo qui tali Principi civiliter subjicitur, quatenus pacem publicam perturbat & seditiones ac tumultus in Republica excitat, qua ratione naturam criminis politici sortitur, ad tribunal Principis politici pertinere videtur*. Et in disputatione pote-

 ftas

(a) *Tract. de Potest. Reg. & Pap. cap. 21. ad 37.* (b) Relect. *de Potest. Eccl. sect. 7. §. act. Propos.*

rius edita: *Respublica temporalis est perfecta & sibi sufficiens, ergo propria auctoritate ab injuria cujuscumque se defendere & abusum gladii spiritualis, præcipue ubi vergit in malum Reip. cujus cura Regi incumbit, per gladium materialem repellere potest* (a). In responsione vero ad argumenta Suarezii sic ait: *Penes Reges temporales est potestas prohibendi atque puniendi crimina spiritualia, ut injuriæ temporales sunt, & civilis Reipublicæ tranquillitatem injuriose perturbant*. Propius ad verum videtur accedere idem Auctor, cum ait in eodem libello: *Mitto jam examinare, utrum ad civilem Regum Christianorum potestatem spectet crimina spiritualia, non tantum ut injuriæ temporales sunt & Civili tranquillitati obsunt, sed ut crimina etiam sunt spiritualia & spirituali Ecclesiæ Christi, cujus a DEO protectores constituti sunt, bono incommodant, prohibere & pœnis temporalibus castigare*.

Cap. II.

Distincta esse Imperium in Sacra et Sacram Functionem.

Summarium.

1. *Functiones omnes subjacere Imperio*. 2. *Quasdam quoad emanationem*. 3. *Jure naturali non modo non prohibente, sed suadente in unam personam coalescere posse Imperium Summum & Sacram Functionem*. 4. *Factum hoc antiquitus ante Legem Mosaicam, postea quoque extra populum Hebræorum*. 5. *Lege Mosaica separata Summum Imperium & Sacram Functionem*. 6. *Item lege Christiana*. 7. *Nomina tantum & privilegia Sacerdotalia tributa Summis Potestatibus ob communitatem materiæ circa quam versantur*.

Quanquam vero nemo mediocriter sapiens ignorare potest quantum distent *Imperium* & *functio cui imperatur*, admonere tamen hujus lectorem cogimur, quia sunt qui rebus clarissimis offundunt nebulas. Rectissime nos docet Aristoteles, non esse Architecti qua Architectus est, operi manum admovere, quia Architecti est secundum rectam rationem unicuique quæ facienda sunt præscribere: operarum est recte imperata recte itidem exequi. Sic imperantis non est imperata facere, *sed imperando facere ut fiant*.

2. Cæterum functiones sub imperio positæ duorum sunt generum. Aliæ enim subjacent & natura & ordine. Priori modo in naturalibus ut effecta a causis suis perpetuo emanantia, aliæ solo ordine. Similiter priori modo Soli subjacent radii, flumen fonti: posteriori cœlestibus terrestria. Posteriori munus Fabri lignarii, cementarii, ferrarii. Sic & Summæ Potestatis imperio priore modo subsunt quæ imperium aut proprie dictam jurisdictionem continent, ut Prætura, Præsidis officium & reliqua Magistratuum munia. Posteriore vero

(a) *Ex Victoria loco citato*.

vero functio Medica, functio Philosophica, Agricultura, Mercatura. *Umbram igitur suam oppugnant* qui magno conatu probant Ecclesiarum Pastores qua tales sunt, non esse *Summarum Potestatum vicarios*: Quis enim tam imperitus est, qui id nesciat, cum ne medicos quidem *Summarum Potestatum vicarios* quisquam nisi ineptus dixerit? Cæterum eosdem Pastores, quatenus præter pastorale munus aliquid imperii aut jurisdictionis accipiunt, ejus accessionis ratione verissime dici *Supremarum Potestatum vicarios* aut delegatos, infra apertius fiet. Quare cum vir eruditissimus Decanus Lichefeldensis demonstret, non ideo esse *sacerdotes superiores Regibus* quod *Reges ab ipsis consilium petere jubentur*, hoc exemplo utitur, quod *usitatum sit Regibus a consiliariis suis consilium petere, qui tamen Regibus superiores non sunt*; quumque alii comparatione simili utuntur, non recte faciunt qui illorum sententiam ita explicant, quasi hæc per omnia congruere debeant, cum ad similitudinem satis sit, si in eo respondeat, quo tendit oratio: alioqui ne Evangelicæ quidem parabolæ extra calumniam erunt. Recte æquantur pastores præsidibus ordine, non emanatione muneris. Præsides & *subditi* sunt & *vicarii*: Pastores qua tales *subditi*, non *vicarii*.

3. Distinctis imperio & functione, alia sequitur quæstio, possitne imperium & functio sacra in una persona consistere? Neque enim statim sequitur, quæ diversa sunt, ea uni atque eidem competere non posse: Potest enim idem esse & cantor & medicus, neque tamen aut canendo medebitur, aut medendo canet. Ut ad hanc quæstionem rite respondeatur, distinguendum omnino est inter jus naturale & jus divinum positivum. Jure naturali potest idem habere summum imperium & sacerdotium gerere: quia hæc duo suapte natura non ita sunt pugnantia, ut eidem homini convenire nequeant. Quod amplius est, seposita lege positiva & impedimentis quæ extrinsecus adveniunt, naturale aliquatenus est, ut idem sit Rex & Sacerdos; non quidem ex eo genere naturalium quæ se aliter habere non possunt, sed ex altero genere quod eorum est quæ naturæ rectæque rationi satis congruunt. Quum enim Reges non nimis late imperantes facile possint regni curæ functionem aliquam peculiarem adjungere, sicut Reges novimus fuisse Medicos, Philosophos, Astrologos, Poetas, plerosque autem belli duces; nulla autem sit functio excellentior & unde ad cives plus manet utilitatis quam sacerdotalis, apparet hanc præ cæteris functionem Regi convenire.

4. Idem consensus Gentium evincit. Nam primis mundi temporibus, cum homines adhuc domestico magis quam civili imperio regerentur, patres familiarum ut regni quandam imaginem gessisse, ita & sacerdotio functos omnes fatentur. Hoc jure Noe post terrarum orbem diluvio liberatum DEO sacrificat. De Abrahamo ait DEUS, *eum monstraturum liberis ac familiæ pie vivendi rationem* (a). Hinc & Jobi & aliorum Patriarcharum sacrificia legimus. Deficientibus Patribus, ut principatus familiæ, ita & sacerdotium ad primogenitos delatum est, mansitque is mos in posteritate Jacobi (quippe cum nullam adhuc constitutam haberent Rempublicam) donec Levitæ (*sacerdotes* scilicet aut *ministri Sacerdotum*) primogenitis sunt surrogati; quod diserte exprimit lex divina (b). Interea cum in Cananæa regione Respublica quædam existeret, idem Melchisedecus & regnum obit & sacerdotium. Haud

(a) Gen. 18. 16. (b) *Num.* 3. 41.

Haud aliter Moses ad consecratum usque Aaronem, unde eum & *Regem* & *Sacerdotem* vocant Sacræ Literæ. Neque alius mos antiquitus cæteris gentibus, sive natura suadente, sive majorum exemplo: ex qua origine & ritus sacrificandi vetustissimis gentibus pene eosdem fuisse apparet. Hinc Cicero, *omnino apud veteres qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant: ut enim sapere, sic divinare, regale ducebant.* Hinc Virgilius:

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

Et passim apud eundem Poetam, ut & apud Homerum Heroes hoc est Principes sacrificant. Apud Æthiopes Reges fuisse Sacerdotes narrat Diodorus, apud Ægyptios Plutarchus, apud Spartiatas Herodotus, apud Athenienses & plerasque Græcorum civitates Plato. Romanos idem secutos Halicarnassæus & Livius nos docent. Unde etiam Regno sublato mansit *Rex sacrorum*. Plutarchus ἡγε βασιλεια προς το πασαν αρχην εχειν εν εαυτη συλλαβουσα και ταις μεγισταις ιερουργιαις καθοσιωται προς το θειον *Regia dignitas, quo omne in se contineat imperium, maximi etiam Sacerdotii exercitione consecrata est Deo*. Quæri potest, an Patres illi & Reges, quamdiu mansit verus DEI cultus (ut aliquot post diluvium seculis multis in partibus mansisse credibile est) Sacerdotium speciali quodam titulo acceperint, an vero jure paterno ac regio sibi vindicarint? Eruditissimi viri censent in quibusdam potuisse accedere oraculi divini auctoritatem, cæterum de omnibus id probari non posse, neque esse cur credamus. Seclusa enim lege positiva, ad sacerdotem constituendum nihil tale requiritur. Imo cum eorum temporum homines per universum orbem tenerentur DEUM, quatenus eum norant, honorare eique *gratias agere*, ut Apostolus Rom. 1. convincit, tenebantur aut singuli esse Sacerdotes, aut aliquibus e suo numero Sacerdotium mandare. Patris autem est unicuique in sua familia sua assignare munera, atque inter illa etiam Sacerdotium, quippe lege sola naturæ non exceptum: Quam autem functionem alii potest assignare, eandem & sibi, dum par ei sit, natura non repugnante, recte assignat. Quod de Patre, idem de Rege dictum esto; eoque magis, quod omnes fatentur in illo statu primævo jus fuisse multitudini liberæ eligendi sibi Sacerdotem. Quod jus multitudinis, lege positiva semel excepta, in Summam Potestatem transfertur. Constat enim electio talis ex jussione ac prohibitione, quia jubetur unus aliquis agere sacerdotalia, aliis idem interdicitur: Jubere autem & prohibere actus sunt imperii, quod qui totum non habet, ei *Summæ Potestatis* nomen non competit. Non obstat huic sententiæ id quod ad Hebræos dicitur *honorem summi Pontificatus neminem sibi sumere, nisi qui a DEO sit vocatus, ut Aaron* (a). Agit enim eo loco θεοπνευστος *a Deo inspiratus* scriptor de Pontifice Legali, de eo qui ante vel extra legem Mosaicam fuit, vel esse potuit: & ostendit quidquid in Legali Pontifice eximium fuit, id in Christo reperiri multo eminentius, in Legali vero multa desiderari quæ in Christo compareant. Sic & pleraque de sacrificiis quæ dicuntur eadem epistola, de sacrificiis Legalibus sunt intelligenda.

5. Morem autem illum conjungendi Imperium cum Sacerdotio per annos ferme bis mille quingentos toto orbe terrarum, multis in locis etiam serius usurpatum, alibi quidem Regum luxus, socordia aut bellicæ occupationes, in populo autem DEI

(a) *Heb.* 5. 4.

[illegible] munerum quæ non cuivis in illo populo sed solis Aaronidis sacerdotium detulit. Post hanc legem, quod ante laudi erat datum, scelus esse cœpit. Nullo enim modo licuit Regi, qui ex alia erat gente, sacerdotium attrectare contra apertum DEI interdictum: quam in legem cum Rex Ozias delinqueret, optimo jure ei dictum est a sacerdotibus: *Non est tuum, o Ozia, adolere DEO, sed Sacerdotum filiorum Aaronis, qui consecrati sunt ad adolendum* (a). Itaque & debitas temeritatis suæ pœnas luit turpi scabie percussus. Quo vero consilio DEUS regnum Israeliticum secreverit a sacerdotio, difficile forte nobis esset indagare, ni viam quodammodo præiret divinus scriptor ad Hebræos. Apparet Hebræam gentem mire proclivem fuisse ad superstitiones, unde ad falsorum quoque numinum cultus toties delapsa est. Quum vero DEUS huic vitio quasi frenum injecisset operosissimorum rituum magnam satis molem, illi spem omnem salutis in illis ritibus ponere cœperunt: a qua dementissima persuasione sæpissime illos revocant Sancti, ostenduntque misericordiam, hoc est animi integritatem multo magis DEO placere, quam sacrificia. Quod si sacra potissima nemo nisi Rex fecisset, ut olim fieri consueverat, multo sane magis ipsorum animi hæsissent defixi in tanta sacerdotii majestate. Nunc cum Pontificatum, utcumque magno apparatu insignem, tamen regio splendore exutum infraque Regem positum videbant; hoc ipso admonebantur majorem quendam Pontificem, qui & Rex futurus esset ut olim Melchisedech, sperare atque in eo fiduciam ponere. Quanti alioquin admiratores sacerdotum Judæi fuerint, vel hinc apparet, quod postquam a captivitate Babylonica redierunt, statim sacerdotio addiderunt principatum (*ἐθναρχίαν* Græci vocant) qui brevi in Regnum imo in tyrannidem transiit. Cæterum notatu non indignum est, etiam post institutum sacerdotium Leviticum, aliquas mansisse vetustissimi moris reliquias. Nam Paschatis mactatio patribus familiarum relicta est: quos hac in parte functos sacerdotio Judæi recte notant. Circumcisionem quoque non desiderasse sacerdotis ministerium, sed a quovis ejus rei perito administratam, omnes Hebræi consentiunt. Illud quoque observatu non indignum, Prophetiam quæ naturaliter sacerdotio videtur cohærere, non minus Regibus quam Sacerdotibus tributam, imo Privatis sæpius quam Sacerdotibus, DEO undique multis modis id agente, ut Levitici Sacerdotii infirmitatem populus agnosceret. Ita nimirum Lex illos quasi manu ad Christum deduxit, qui Summus futurus esset Propheta, Summus Sacerdos, Summus itidem Rex, quique omnes in se credentes triplicis istius honoris participes faceret. Nam de prophetia en oraculum Joelis a Petro Apostolo explicatum (b): *Postremis diebus effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetas agent filii vestri & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt, & super servos meos & super ancillas meas effundam spiritum meum in diebus illis & prophetas agent*. Cui illud Esaiæ (c) respondet a Christo apud Joannem citatum (d): *Erunt omnes a DEO edocti*: & insignis alter Jeremiæ locus (e) citatus in Epistola ad Hebræos (f): *Dabo legem meam in cordibus eorum & cordi eorum inscribam. Non docebunt singuli proximum suum & singuli fratrem suum, dicentes cognosce Dominum, nam omnes cognoscent me a minimo usque ad maximum*.

De

(a) 2. *Chron.* 26. 18. (b) *Act.* 2. 16. (c) *Esa.* 54. 13. (d) *Joan.* 6. 45. (e) *Jerem.* 31. 33. 34. (f) *Heb.* 8. 10.

De Regno simul & Sacerdotio insignis est Petri locus (a), ubi fideles vocat βασιλειον ἱερατευμα *Regale Sacerdotium*. Et Joannes Apocalypsi (b) *fecit nos Reges & sacerdotes DEO*. Non impedit autem Christi excellentia in Prophetico munere, neque generalis illa Prophetici doni fidelibus facta communicatio, quominus quidam in N. T. singulari jure Prophetæ nominentur. Sic etiam regnum Christi, quod partim divina providentia circa Ecclesiam ejusque hostes, partim spirituali in animos humanos actione constat, neque jus neque nomen Regibus abstulit externo imperio imperantibus, ac tali quod divinæ providentiæ omnino subjaceat, imperio autem DEI & spiritualibus Christi actionibus subjacere debeat juxta illud Sedulii: *Non eripit mortalia qui regna dat cælestia*. Ut autem præcones Novi Testamenti Sacerdotes speciatim appellentur, est quidem receptum antiqua Ecclesiæ consuetudine, sed non de nihilo est quod ab eo loquendi genere & Christus ipse & Apostoli semper abstinuerunt. Idque satis esse debet ad nos admonendos, ne passim atque promiscue a sacerdotibus Leviticis ad Evangelii ministros argumentum ducamus, cum & in ipso munere & in modo personas designandi latum sit discrimen.

6. Sub lege igitur Christiana quæritur an Summum Imperium & pastorale munus (quod & Sacerdotium appellari jam diximus) in unam personam recte coalescant. Affirmant enim Pontificis Romani propugnatores. At Synesius olim dixit (c), οτι πολιτικην αρετην, Regiam intellige, ἱεροσυνη συναπτειν, το κλωθειν εσι τα ασυγκλωστα *connectere potestatem civilem cum sacerdotio est sociare dissociabilia*. Et apud Athanasium Hosius Cordubensis (d): *Neque igitur fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu sacrorum & thymiamatum habes potestatem Imperator, hoc est jus adolendi*: alludit enim ad Oziæ historiam. Et Gelasius Episcopus Romanus olim non incommode scripsit, ex quo sumpsit Nicolaus (e); *Fuerint hæc ante adventum Christi, ut quidam (figuraliter adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti) pariter Reges existerent & pariter Sacerdotes, quod Sanctum Melchisedech fuisse Sacra prodit historia*. Mox: *Sed cum ad verum ventum est, eundem Regem atque Pontificem ultra sibi nec Imperator (Pontificis nomen imposuit (*)) nec Pontifex regale (fastigium (**)) vindicavit. Quamvis enim membra ipsius, id est veri Regis atque Pontificis secundum participationem naturæ magnifice utrumque in sacra generatione sumpsisse dicantur, ut simul regale genus & sacerdotale subsistant; attamen Christus memor fragilitatis humanæ, quo suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate (salvari); non humana superbia rursus (intercipi (***)), ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus uterentur*. Hinc & Demetrius Chomatenus, ubi jura Imperatoris circa Ecclesiam amplissima describit, eadem tamen restringit his verbis πλην μονυ τυ

(a) 1. *Pet.* II. 9. (b) *Apoc.* 1. 6. & 5. 10. (c) *Advers. Andronicum.* (d) *Ex Athanasio ad vitam solit. agentes*: ουτε τοινυν ἡμιν αρχειν επι της γης εξεσιν ουτε συ τυ θυμαν εξουσιαν εχεις βασιλευ. (e) *Epist.* 8. *ex libello Gelasii de vinculo Anathematis*. (*) *Nicol. jura Pontificatus attribuit*. (**) *Nicol. nomen.* (***) *Nicol. sursum efferri, inferne demergi.*

[illegible] *administrationem*. Multa quidem in hanc rem adferuntur argumenta, non omnia tamen ejusdem roboris. Quædam enim rectius probant officia esse diversa, ut semper fuere, & pastoribus qua pastores sunt Imperium non competere, quàm interdictam munerum conjunctionem. Illud efficacius, quod Apostolus (*a*) vetat Christo *militantem* (agere autem de pastorali militia videtur) implicari negotiis seculi, quod ad inferiora etiam civilia munera extendunt Canones antiquissimi qui Apostolici dicuntur, ut Canon 6. 81. 83. Ac ne quis arbitretur hoc iis duntaxat temporibus statutum, cum sub Imperatoribus profanis viveretur, idem repetitum est Carthaginiensis Synodi, quæ Honorio & Theodosio Imperatoribus celebrata est, Can. 16. & Chalcedonensis Synodi Can. 3. & 7., nimirum quia tam grave & difficile est munus pastorale, ut totum hominem desideret. Quod ipsum quamquam non ita rigide sumi potest, ut nullo unquam tempore ulla cura secularis a pastore suscipi possit (nam exempli causa tutelam legitimam leges excipiunt (*b*)) tamen sufficit, ut perpetuam quandam eandemque difficilem curam a pastore submoveat, quippe cum sollicitudinem pro viduarum alimentis, minime cæteroquin alienam ab Apostolica functione, hanc inter cætera ob causam Apostoli a se abdicaverint (*c*). Regni autem cura & perpetua est & longe gravissima. Illud vero validissimum, quod alios plane mores postulet officium Regis, alios officium pastoris quale in Evangelica lege describitur, ut vel ex eo satis appareat, non posse commode & pro decoro, imo nec sine desultoria quadam levitate utrumque ab uno homine sustineri. Ostensum ergo est & diversum esse Imperium a functione sacra, & causas esse cur utrumque ab eodem suscipi non debeat.

7. Cæterum, quia & Imperium & munus pastorale (Pastorum hic nomine Evangelii præcones intelligo, cum alioquin Reges quoque sint Pastores & quidem Dominici gregis, imo etiam *Pastorum Pastores*, quomodo olim Regem Ædgarum Episcopus nuncupavit (1)) discreta licet, in eo tamen conveniunt, quod quæ pastorum cura est unica, ea Summarum Potestatum cura præcipua est, ut divina recte ordinentur, & ut Isidorus Pelusiota dixit, *ιερωσυνη και βασιλεια εις εν ερωσι τελος την των υπηκοων σωτηριαν munus Sacerdotale, & Regium unum eundemque respiciunt finem, subditorum nimirum salutem*; mirum nobis videri non debet, si Summis Potestatibus ob communitatem materiæ circa quam versamur & finis ad quem tendunt, nomen interdum alterius functionis proprium tribuitur. Hinc Constantinus non semel *Episcopum* se vocavit (2); quem Græci scriptores (3) sæpe *ισαποςολον Apostolo æqualem*, interdum *εν βασιλευσιν αποςολον Regem Apostolum* nuncupant (4). Valentinianus & Martianus Imperatores in ipso illo edicto quo Chalcedonensis Synodi Acta approbant, *Inclyti Pontifices* vocantur (5), eundemque Martianum Ausonius Christianus (6) *Religione Pontificem* appellat. Imo & in ipsa Sy-

(a) 2. *Tim.* II. 4. (b) *Novell.* 123. *cap.* 5. (c) *Act.* 6.

(1) *Post A. D.* 959. (2) *Non absolute; vide Euseb. de vita, lib.* 4. *c.* 24. (3) *Posteriorum seculorum.* (4) *Quia a Christo e cœlo (ut Paulus) vocatus ad fidem fuerat.* (5) *Nil tale in edicto extat.* (6) *Ausonius denatus antequam Marcianus nasceretur. De Gratiano scripsit. A. D.* 383. *Aug.* 24. *denato*.

nodo (1) ei acclamatum est *Pontifici Imperatori*. In eodem Martiano laudat Romanus Episcopus *Sacerdotalem affectum*, & alibi *animum Apostolicum* & *Sacerdotalem*. Et Theodosii curas *Apostolicas* dixit Theodoretus. Nec aliter Simplicius Romanus & ipse Episcopus in Zenone agnoscit *animum Sacerdotis & Principis*. Anastasius quoque & Justinus Imperatores Pontificis usi sunt appellatione: & Leo III. in Epistola ad Gregorium Romanum Episcopum de se *ὅτι βασιλεὺς καὶ ἱερεύς εἰμι quia Rex, & Sacerdos sum* (2). Et Gregorius ad illum vicissim, Constantinum, Theodosium, Valentinianum atque alios, qui curam gesserunt Ecclesiarum, & *Pontifices* ait fuisse & *Imperatores*. Neque aliter se res habuit sub Francorum dominatu, quos Pontifices diserte appellat Leo Romanus Episcopus (3), *de Capitulis*, inquit, *vel præceptis Imperialibus vestris vestrorumque PONTIFICUM prædecessorum* (4) *irrefragabiliter custodiendis & conservandis quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur*. Ejusdem Lotharii patrem Ludovicum Pium Joannes Octavus Romanus Episcopus cooperatorem vocat sui certaminis (5). Neque nominat tantum sed & signa suæ functionis Imperatoribus tributa sunt. Unde Sexta Synodus Œcumenica cum laicis prohiberet ad altare, hoc est ad mensam dominicam accedere, excepit Imperatorem. Ad quem locum Balsamo Episcopus Antiochenus notat & certæ characterem imprimere, quod eo tempore Episcoporum erat, & de sacris instituere populum solitos Imperatores. Et hæc sunt *ἀρχιερατικὰ προνόμια privilegia Pontificalia*, quæ Imperatoribus adscribit Chomatenus. Quod si, ut modo ostendimus, Imperatores & *Episcopi* & *Pontifices* & *Sacerdotes* sunt appellati, nihil causæ fuit cur Anglis quibusdam scriptoribus acerbe exprobraretur quod spiritualem quandam potestatem Regi tribuissent, præsertim cum sæpissime non a modo agendi, sed a materia nomen imponi soleat, sicut leges *militares*, *nauticas*, *rusticas* dicimus. Quare & Regis imperium *spirituale*, quatenus circa religionem, quæ est res spiritualis, versatur.

CAP.

(1) *Act. 5. ad finem.* (2) *Non extat epistola Imp. sed verba laudata ei tribuit Greg. 2. epist. 2. A. D. 730.* (3) *Apud Gratian. dist. 10. c. 9.* (4) *Legendum ex Panormit. & prædecessorum.* (5) *Lud. Pius decessit A. D. 840. Jun. 20. feria 1. Lotharius A. D. 855. Sept. 29. feria 1. Hadriano 2. successit Joannes 8. A. D 872. Decemb. 14. feria 1. Lud. Balbum Caroli Calvi filium A. D. 878. cooperatorem vocavit, epist. 87.*

C A P. III.

Quousque conveniant sacra et profana quoad jus imperandi.

S U M M A R I U M.

1. *Actiones internas humano Imperio non subjacere nisi comitanter cum externis*; 2 *Actionum partitio in eas quæ definitæ sunt & indefinitæ ante Imperium humanum*. 3. *Definitarum partitio in definitas Jure divino naturali, & definitas Jure divino positivo, cum exemplis*. 4. *Etiam definitas actiones materiam esse Legis, tum propter adjuncta, tum propter novam obligationem*. 5. *Actus non imperabiles Summæ Potestati eos solos esse qui Juri divino repugnant*. 6. *Imperia juri divino repugnantia etsi ad agendum non obligant, obligare tamen ad vi non resistendum, & unde ea obligatio*. 7. *Non eximi ab ea obligatione Potestates subordinatas*. 8. *Solutio ad exempla quæ contra adferuntur*. 9. *Similitudo Sacrorum & profanorum circa prædicta, & primum circa discrimen internarum & externarum actionum*. 10. *Secundo circa actiones a DEO definitas, & quid circa eas non liceat*. 11. *Quid circa eas liceat: quod quinque capitibus explicatur*. 12. *Circa actiones a DEO non definitas*. 13. *Definitam actionem alleganti probationem incumbere*. 14. *Circa resistentiam: quam illicitam esse, cum vis infertur a Summa Potestate religionis nomine, probatur ex sacris Literis & exemplis: cum solutione objectionum*. 15. *Discrepantia Sacrorum & profanorum quoad latitudinem Imperii circa singula & unde*.

1

IMPERII jus ad sacra non minus quam ad profana extendi, quantum generalis tractatio fert, supra demonstratum est. Quia vero nonnulli magnum hic discrimen statuunt inter sacra & profana, neque tamen id discrimen in quo proprie consistat, satis explicant, operam dabimus, ut in quo ista conveniant, in quo discrepent, distincte explicemus. Primum ergo in genere, seposito paulisper *sacri profanique* discrimine, videamus, quænam actiones (nam circa istas proprie versatur imperium) materia Imperii esse possint. Deinde quid circa singula earum genera Imperium possit efficere. Actionum ergo prima sit hæc divisio, quod aliæ sunt externæ, aliæ internæ. Externæ actiones primaria sunt materia imperii humani, internæ secundaria, neque propter se, sed propter externas: ideoque circa internas, quæ omnino ab externis separatæ sunt, neque eas respiciunt, humana imperia non occupantur. Hinc illud Senecæ (a), *Errat si quis putat servitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est. Corpora obnoxia sunt & adscripta Dominis, mens sui juris est*; & illud in jure protritum, *Cogitationis pœnam nemo patitur*. Causa est, quia Imperium requirit materiam cujus natura in imperantis no-

 titiam

(a) 3. *Benefic.*

titiam cadat. Solus autem Deus est καρδιογνώστης, *qui corda novit*, ac proinde solus in corda imperium obtinet. Hominibus actus aliorum interni *suapte natura* sunt incogniti. *Suapte natura* ideo addidi, quia si qua sunt externa quæ clam alios fiunt, ea imperio subjacent. Cognosci enim natura possunt. Consideratur autem hic τὸ καθ' αὑτὸ, *quod per se*, non τὸ κατὰ συμβεβηκός, *quod per accidens*. *Secundario* vero quod dixi actus quoque internos subesse imperio, id dupliciter habet locum, aut ex intentione imperantis, aut quodam repercussu. Ex intentione imperantis, ubi actus internus cum externo conjunctus est, & in eum quasi influit, quomodo in delictis perfectis aut inchoatis animus æstimatur. Per repercussum vero, ut quia aliqua actio per imperantis interdictionem facta est illicita (*oportet enim subjici non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (a)); ideo & cogitando talem actionem, ut faciendam eligere, illicitum est, non quia cogitationi proprie lex humana sit posita, sed quia nemo honeste potest velle facere id quod factu turpe est.

2. Alia partitio actionum est, quod antequam de iis humano imperio aliquid ordinetur, aut sunt definitæ moraliter aut indefinitæ. Moraliter definitas voco quæ aut debitæ sunt aut illicitæ, quarum illæ moraliter necessariæ, hæ moraliter impossibiles dici possunt; quomodo in jure turpia *impossibilium* voce appellantur. Hæc definitio ante humani imperii actum aut ex ipsa actionum natura oritur, ut *Deum colere* debitum est, mentiri illicitum per se, aut ex imperio superioris, sicut patrifamilias id faciendum aut cavendum est quod decuriones, decurionibus quod præses, præsidi quod Summa Potestas fieri jusserit vetueritve.

3. Quare cum Summa Potestate nullum sit majus imperium humanum (*alioqui* enim Summa non foret) sequitur illi ea demum esse definita quæ aut suapte natura sunt debita aut illicita, aut quæ talia effecta sunt imperio divino. Ea quæ prioris sunt generis, ad jus naturale referuntur. Juris autem naturalis, ne quis fallatur *vocis* ambiguo, non ea tantum dicuntur esse quæ ex principiis natura notis, sed *illa* etiam quæ ex naturalibus principiis naturaliter, hoc est certo & definite, fluunt. Naturale enim in hoc argumento non supernaturali, sed arbitrario opponitur. Sic quandoquidem constat Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, unum esse verum Deum, illum ipsum coli debere juris naturalis est. Posterioris generis quæ sunt, ea vocantur juris divini positivi, qualia sunt quædam singulis præscripta, quædam populo, quædam universitati humani generis; singulis, ut quæ Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Mosi aliisque DEI servis mandata leguntur (b). Populorum omnium unus est Israeliticus, cui jura positiva DEUS plurima præscripsit, tum quæ ad sacra, tum quæ ad res alias pertinent. Universitati humani generis quædam ad tempus sunt imperata; ut Sabbathi lex in ipsa creatione, ut quidam putant: de non edendo sanguine aut suffocato post diluvium: Alia in perpetuum valitura quæ Christus instituit, ut lex τῆς ἀποσυναγωγῆς, *excommunicationis*, lex Baptismi & Cœnæ Dominicæ, & si qua sunt similia.

4. His intellectis, videri alicui potest, eas solas actiones humani imperii justam esse materiam, quæ per divinum indefinitæ & in utramvis partem liberæ manserunt. Nam & Aristoteles τὸ νομικὸν δίκαιον, *jus legitimum*, describit ὃ ἐξ ἀρχῆς οὐδὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως, ὅταν δὲ θῶνται διαφέρει, *quod ab initio, hoc an illo modo fiat*,

(a) *Rom.* 13. 5.

(b) *Deut.* 4. 8.

[illegible] (*a*). Et verum hoc est, si talem dumtaxat actum spectemus Imperii, qui actionem ipsam intrinsecus immutet. Quum enim & quæ fieri debent & illicita sunt, determinata sint, eoque immutabilia quoad moralem bonitatem vel malitiam, sequitur unicam talis mutationis materiam relinqui actiones indefinitas. Ceterum, cum & ea quæ aut fieri oportet, aut quæ oportet non fieri, extrinsecæ mutationis sunt capacia, eamque ab imperio humano possint accipere, manifestum est easdem humano imperio subjacere, dummodo mere internæ non sint. Huc pertinet actionibus debitis tempus, locum, modum & personas assignare, quatenus eadem neque per rei naturam neque per legem DEI definita sunt, impedimenta quoque auferre, interdum præmia addere, illicitas vero actiones pœnis quibusdam quæ in potestate sunt imperantis coercere, aut nullas pœnas infligere, quæ vocatur facti permissio, & interdum culpa vacat. Subtilius intuenti apparebit ex humano imperio in his quæ etiam ante homines facere aut non facere tenebantur, novam quandam oriri obligationem etiam in conscientia, quamquam minoris gradus quam prior fuerit. Nam lex divina Decalogi dicens Judæo, *non occides*, *non furaberis* & quæ sequuntur, non solum declaravit quid juris esset naturalis, sed ipso præcepto obligationem novam priori addidit, ita ut Judæus contra faciens non eo tantum peccaret, quod actum committeret vitiosum, sed etiam quod vetitum, quia *δια της παραβασεως τȣ νομȣ τον Θεον ατιμαζει*, *per prævaricationem legis Deum inhonorat*, ut Paulus loquitur (*b*). Unde Augustinus dixit, *legem prohibentem omnia commissa congeminari*, *non enim simplex*, inquit, *peccatum est*, *non solum malum*, *sed etiam vetitum committere* (*c*). Quod autem in lege divina Decalogi locum habet, hoc ipsum in lege etiam humana idem præcipiente obtinet, proportione tamen servata. Nam *qui resistunt*, *divinæ ordinationi resistunt*: atque ideo *ἑαυτοις κριμα ληψονται*, *ipsi sibi damnationem acquirunt*, teste Apostolo (*d*).

5. Vidimus quam late pateat humani imperii materia, & qui actus eidem imperio competant in unoquoque genere. Nunc qui actus non sint jure imperabiles Summæ inter homines Potestati, videamus. Et constat eos dumtaxat extra Imperii jus esse, qui naturali aut alteri cuivis divino juri repugnant. Nam alius modus actiones determinandi quoad jus Summæ Potestatis ne fingi quidem potest. Definitorum autem jure divino (in quo comprehendo naturale) duo sunt genera: alia enim justa sunt, alia vetita. Duo ergo genera sunt actuum Imperii qui ad jus imperantis non pertinent: Deo vetita jubere; Deo jussa vetare. Causa est quia sicut in naturalibus causæ inferiores in agendo a superioribus dependentes contra superiorum efficaciam vim agendi non habent, ita etiam in moralibus. Quare talia imperia quatenus directe imperio divino contraeunt, obligationem (qui proprius est & proximus Imperii effectus) parere nequeunt. Optime Augustinus (*e*): *Si aliquid jusserit Curator*, *non faciendum est? non tamen si Proconsul jubeat*: *non utique contemnis potestatem*, *sed eligis majori servire*. *Rursus si ipse aliquid jusserit Proconsul*, *aliud jubeat Imperator*, *numquid dubitatur*, *illo contempto*, *illi esse serviendum? Ergo si aliud* Impe-

(a) *Eth.* 5. 10. (b) *Rom.* 11. 23. (c) *De ver. Relig. cap.* 26. (d) *Rom.* 13. 2. (e) *Aug. de verbis Domini secundum Matth. serm.* 6.

Imperator, *aliud jubeat DEUS*, *quid judicatur? major potestas DEUS*, *da veniam o Imperator*.

6. Distinguendum tamen diligenter inter Imperii actum, qui subditum ad agendum movet, & inter vim quæ eo nomine alicui intentatur, quæque subdito patiendi aliquid necessitatem imponit. Nam etiam cum Imperii actus effectu suo, hoc est obligatione, caret, vis tamen eo nomine illata effectum quendam habet, non tantum physicum, sed & moralem, non ex parte agentis, sed ex parte patientis, hunc scilicet ut eam vim vi repellere non liceat. Defensio enim violenta cum adversus parem sit licita, adversus superiorem illicita est. *Militem*, inquit Jurisconf. Macer, *qui centurioni castigare se volenti restiterit*, *veteres notaverunt*. *Si vitem tenuit*, *militiam mutat*. *Si ex industria fregit vel manum Centurioni intulit*, *capite punitur* (a). Hoc ipsum quanquam ex jure humano videtur proficisci potuisse (obligant enim humana imperia ad omnia quæ injusta non sunt, injustum autem non est a resistendo abstinere) aut etiam ex naturæ jure, quod non patitur ut pars toti se opponat, ne quidem pro sui conservatione, clarius tamen ex scripta lege divina demonstratur. Nam Christus cum dixit, *Qui gladium sumit*, *gladio peribit* (b), diserte improbat eam defensionem quæ vi fiat contra vim injustissimam, sed publico nomine illatam. Et huc quoque referendum illud Pauli, *Qui resistit*, *DEI ordinationi resistit* (c). Resistitur enim dupliciter, aut contra Imperium agendo, aut vim vi reprimendo: interprete Augustino; *sive potestas veritati favens aliquem corrigat*, *laudem habet ex illa qui fuerit emendatus*: *sive inimica veritati in aliquem sæviat*, *laudem habet ex illa qui fuerit coronatus*. Sic Petrus vult servos subjici Dominis, non tantum bonis & æquis, sed etiam σκολιοῖς *pravis* (d): quod ipsum pari jure ad subditos porrigens idem ille Augustinus (e): *Ita a plebibus*, inquit, *Principes & a Servis Domini ferendi sunt*, *ut sub exercitatione tolerantiæ sustineantur temporalia*, *& sperentur æterna*. Neque aliud obtinuit in lege veteri; ubi subditis pro servis uti, bona eorum aliis elargiri, *Jus Regis* vocatur (*f*), non quia Rex ita agens juste ageret (Lex enim divina (*g*) longe alia ipsi præceperat, imo supra cives attolli, vim magnam, auri, argenti, equitii comparare ipsum vetuerat) sed quia ita agenti nemini liceret vim ullam opponere: sicut & Romanis *Prætor jus reddere* dicitur, etiam cum inique decernit (*h*). Hinc illud bis dictum de Rege injustissimo a Deo designato, *Quis injecta manu in unctum Domini insons erit* (*i*)?

7. Neque ullo modo audiendi sunt qui contra Sacras literas, contra rectam rationem, contra piæ antiquitatis sententiam, inferioribus quibusdam potestatibus adversus Summam arma induunt. Nam Petrus docens parendum Regi, id est Summæ Potestati ὡς ὑπερέχοντι *ut supereminenti*, præsidibus autem, id est inferioribus potestatibus ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις *tamquam missis ac ordinatis a Summa Potestate* (*k*), manifeste ostendit omne inferiorum potestatum jus a Summarum Potestatum mandato pendere. Hinc de Pontio Pilato Augustinus, *Talem Deus dederat illi potestatem*, *ut esset sub Cæsaris potestate* (*l*). Et David nonne princeps erat, imo dux militiæ in

(a) *L. Milit.* §. 4. *D. de re milit.* (b) *Matth.* 26. 52. (c) *Rom.* 13. 2. (d) 1. *Pet.* 2. (e) *Prosp. sent.* 34. *ex Aug. in Psalmum* 124. *non ad verbum*. (f) 1. *Sam.* 8. (g) *Deut.* 17. 17. 20. (h) *L. penult*, *D. de just. & Jure*. (i) 1. *Sam.* 24. 7. 26. 9. (k) 1. *Petr.* 2. (l) *In Joannem tract.* 116.

[illegible] attingere, adeo ut ob abscissam penulæ partem conscientia illum torserit (a)? Ratio quoque idem evincit. Nam Magistratus isti inferiorum ratione Magistratus sunt quoad Summæ Potestati visum fuerit, at Summæ Potestatis ratione privati sunt. Omne enim Imperium omnisque jurisdictio a Summa Potestate emanat, ab eaque perpetuo dependet. Hinc Marcus Aurelius sapientissimus Imperator dixit, *Magistratus de privatis, Principes de Magistratibus, Deum autem de Principibus decernere ac judicare*. Principum nomine Imperatores intelligens qui jam facti erant αὐτοκράτορες *proprio jure dominantes*. Neque aliter sensit vetus Christianitas; nulli enim præsides, nulli legionum duces contra impios, sævos, truculentos Imperatores armata manu quidquam moliti sunt, ut plane dolendum sit inventos nostro seculo viros eruditos, qui novo procuso dogmate latissimam seditionibus & bellis aperuerint viam.

8. Neque nos movere quidquam debent recentia armorum in Reges sumptorum exempla. Nam si ea in eos Reges sumpta sunt in quos totum populi jus translatum erat, ac qui proinde non precario sed proprio jure imperabant, laudari salva pietate non possunt, quemcumque tandem prætextum aut eventum habuerint. Sin alicubi Reges tales fuere qui pactis sive positivis legibus, & Senatus alicujus aut Ordinum decretis adstringerentur, in hos ut Summum Imperium non obtinent, arma ex optimatum tamquam superiorum sententia sumi justis de causis potuerunt. Multi enim Reges etiam qui sanguinis jure succedunt, Reges sunt nomine magis quam Imperio, ut de Laconicis Regibus scripsit Æmilius Probus. Sed fallit imperitos quod illam quotidianam & maxime in oculos incurrentem rerum administrationem, quæ sæpe in optimatum statu penes unum est, ab interiore Reipublicæ constitutione non satis discernunt. Quod de Regibus dixi, idem multo magis de iis acceptum volo, qui & re & nomine non Reges sed *Principes* fuere, hoc est non *Summi* sed *Primi*. Horum enim principatus multum abest a Summo Imperio. Illud vicissim notandum, habere quosdam Dynastas aut Civitates Summum Imperium, qui quæve id habere non videantur, quia scilicet in alterius sunt fide & clientela. Sed cum clientela non sit genus subjectionis, & ut Jurisconsulti Romani notant, *liber esse non desinat populus qui alterius Majestatem comiter observat*, possunt hi quoque *Summo Imperio* esse præditi qui inæquali fœdere sive homagii sacramento alteri obligantur. Quæ omnia eo fine moneo, ne quis posthac (quod factum sæpiuscule video) bonas causas male tuendo infamet. Latius hoc argumentum persequerer (est enim momenti maximi & in quo perniciose erratur) nisi hoc summa cum cura fecisse viderem Beccariam, Saraviam, & nuper doctissimum Arnisæum, ut Bodinum, Barclajum aliosque prætercam.

9. His præstructis accedamus ad demonstrandam paritatem Imperii circa Sacra & circa res alias. Quemadmodum ergo in rebus omnibus non perinde animis imperatur ac linguis, ita Lactantius non minus vere dixit (b); *Quis mihi imponat necessitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi?* Et hoc sensu verum est Cassiodori illud, *Religio imperari non potest* (c); & Bernardi (d), *Fidem suadendam, non imperandam*. Quare & Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theo-

(a) 1. *Sam.* 24. 7. (b) *Lib.* 5. *c.* 13. (c) *Lib.* 2. *epist.* 27. (d) *Serm.* 66. *in Cant.*

Theodosius de hæretico homine, *sibi tantummodo*, inquiunt, *nocitura sentiat, aliis obfutura non pandat* (a). Atque huc credo respiciens Constantinus se vocavit *Episcopum των εκτος externorum* (b), quia internæ actiones per se sumptæ imperii humani materia non sunt, sed imperio Dei subjacent, qui per Episcopos non *Imperantes*, sed *Ministrantes* animos & vocibus & signis movet, ita tamen ut præcipuam efficaciæ partem sibi uni reservet. Conjunctim tamen cum externis interna sub humanum imperium veniunt in utroque genere. Lege Cornelia tenetur qui cum telo fuerit hominis occidendi causa (c): & generaliter ait Adrianus Imperator, *in maleficiis voluntatem spectari, non exitum* (d). Sic in codice Justinianeo *de fide Catholica* titulus extat, ob professionem scilicet fidei, quod lex prima explicat, *Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus Religione versari, &c.* Hinc illa Regum nomina; *rectores, auctores, defensores fidei*. Ita & olim Rex Ninives cum jejunio pœnitentiam imperavit.

10. Quod a Deo vetita juberi aut jussa vetari ab humana potestate valide nequeunt, non magis in sacris quam in ceteris actionibus obtinet. In utroque enim genere valere debet Apostolicum illud, *Deo magis parendum quam hominibus* (e): quod discipulus Apostolorum Polycarpus ita expressit (f) δεδιδαγμεθα αρχαις και εξουσιαις απο Θεου τεταγμεναις τιμην κατα το προσηκον, την μη βλαπτουσαν ἡμας απονεμειν *docti sumus Principibus & Potestatibus a Deo ordinatis honorem eum exhibere, prout convenit, qui nobis non noceat*. Rex Ægypti obstetricibus imperat Hebræorum infantes mares interficere, non parent (g). Causa additur, *Quia Deum timebant*. DEUS enim per naturam vetat hominem innocentem occidere. Rex Achabus a Nabotho vineam poscit jure mancipii. Negat Nabothus quia lex divina Hebræis data vetebat prædia extra familiam mancipari (h). Antoninus Caracalla Papiniano Jurisconsulto imperat, ut parricidium ab ipso factum defendat, recusat ille & mori mavult, quod sciret cum jure naturæ & Gentium pugnare mentiri & patrocinium tanto sceleri præstare. Eodem jure etsi affectu sanctiore Apostoli synedrio *vetante eloqui aut docere in nomine JESU*, quærunt, *An non Deo præ hominibus sit parendum* (i)? Merito sane: Ab ipso enim DEO per os Domini JESU præceptum acceperant, *in nomine ipsius pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicandi*, & quidem *initio facto Hierosolymis* (k). Nam id quoque speciatim mandato comprehendebatur.

11. Quod ergo divino imperio factu ipsis erat necessarium, id imperio humano illicitum reddi nequibat. Et hoc sensu explicandi sunt auctores qui ajunt Evangelium, Ministerium, Sacramenta imperio humano non subjacere, nempe ad mutandum id quod jure divino introductum est. Primum enim verbi salutaris prædicatio & Sacramentorum exhibitio prohiberi efficaciter nequit, quum a DEO præcipiatur. Nam quæcumque DEUS unam in partem definivit, ea contrariam in partem ab hominibus definiri non posse exploratissimum est. Eodem modo jus alendi parentes aut liberos, sublevandi insontes, multaque alia hactenus a lege sunt libera, ut eorum probi-

(a) *L. omnis de heret. Cod. Theod.* (b) *Euseb. lib. 4. de vita. c. 24.* (c) *L. 1. ad leg. Cor. de Sicar.* (d) *L. ult. C. eod. tit.* (e) *Act. 5. 29.* (f) *Apud Euseb. Lib. 4. cap. 15.* (g) *Exod. 1. 15.* (h) *1. Reg. 21. 3.* (i) *Act. 5. 29. Act. 4. 19.* (k) *Luc. 24.*

[illegible] verbi aut Sacramenti mutari ab hominibus non potest, nec id sacris proprium. Nam & form[a] matrimonii, quatenus nempe consistit in unitate duorum & individuo nexu, human[a] lege est immutabilis. Tertio non est humanæ potestatis nova condere fidei capita[a] aut, ut loquitur Justinianus (*a*), fidem innovare, neque novos DEI cultus, aut nova instituere Sacramenta, quia hoc ipsum istarum rerum natura repudiat. Neque enim quidquam potest ad salutem credi fierive, nisi quod DEUS ut tale patefecerit, neque potest esse aptum applicandæ divinæ gratiæ instrumentum, nisi quod DEUS isti usui assignaverit. Perinde enim hoc est ac si dicam non posse a Summa Potestate constitui, ut verum sit matrimonium inter ejusdem sexus homines, aut inter infantes; repugnat enim matrimonii natura. Adde jam quod DEUS directe vetat legi suæ, præsertim Evangelicæ, aliquid addi tamquam ad salutem necessarium, aut ἐθελοθρησκείας *superstitiones* comminisci. Non potest autem Summa Potestas efficaciter aliquid statuere DEO vetitum: sicut non potuerunt Persarum Reges efficere ut inter matres ac filios justa essent connubia. Si quis tamen accurate loqui volet, potius dixerit hæc omnia quæ recitavimus tam in sacris quam in ceteris rebus habere in se quiddam per homines immutabile immutabilitate juris, quam omnino ac simpliciter imperio Summarum Potestatum non subjacere, cum plurimi maximique actus Imperii circa eadem illa versentur, qui actus in Sacris literis vocantur, *præcepta Regis ex Verbo DEI* (*b*). Primum enim a Summis Potestatibus ἀμέσως *immediate* fluit, quod ea quæ DEUS imperat, libere imo & commode facimus amotis impedimentis, datis adminiculis. Ita Cyrus & Darius Judæis permiserunt Templum restaurare & sacra ibidem facere, additis etiam pecuniis ad sustinendas impensas. Sic Constantini & Licinii edicto contigit Christianis ἐλευθέρως καὶ ἀπλάστως, *libere & aperte* ea facere quæ Christiana religio desiderat. Secundo, ut & supra attigimus, lex humana non tantum permittendo, sed & jubendo quod jubet lex divina, novam superaddit obligationem: quod Augustinus notat, cum ait (*c*): *Nam & apud homines pœnas luit, & apud DEUM frontem non habebit, qui hoc facere noluit quod ei per cor Regis ipsa veritas jussit.* Item; *Hoc jubent Imperatores quod jubet & Christus, quia cum bonum jubent, per illos non jubet nisi Christus.* Tertio Summa Potestas humana circumstantias quasdam loci, temporis, modi actionibus a DEO imperatis præscribit, ut fiant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν *decenter atque ordine*. Huc spectant leges quæ Baptismi ac Sacræ communionis Canonem elata voce pronuntiari jubent ut a populo exaudiantur (*d*); Quæ vetant sacra Mysteria in privatis Domibus peragi (*e*); Quæ a laicis Litanias hoc est publicas supplicationes nisi præsentibus Clericis fieri prohibent (*f*); Quæ Episcopum non permittunt ordinari nisi qui annos triginta quinque habeat; Quæ Episcopum vetant ab Ecclesia abesse nisi Summæ Potestatis consensu, & ne sic quidem anno amplius (*g*). Quarto per humanum imperium vetitis a DEO actionibus materia & occasiones subtrahuntur. Sic Ezechias amovet excelsa, frangit statuas, excidit lucum, ipsum etiam æneum serpentem a Mose factum quod ei adoleretur, comminuit (*h*). Josias comburi jubet Idolis conse-

(a) *L. cum salutar. C. de sum. Trin.* (b) 2. *Chron.* 29. 15. & 3?. 12. (c) *Epist.* 66. (d) *Novel.* 137. *c.* 6. (e) *Nov.* 58. & 131. *c.* 8. (f) *Nov.* 123. *c.* 32. (g) *Nov.* 123. *c.* 13. & 9. (h) 2. *Reg.* 18.

crata, abolet idolorum sacerdotes, lucum incendit, excelsa & altaria idololatrica destruit (a). Sic paganica templa ac delubra claudi voluere Imperatores (b). Quinto Summæ Potestatis est pœnis propositis homines ad ea adigere quæ DEUS jubet, & a vetitis absterrere. Ita Rex Nabuchodonozor membratim jubet eum discerpi qui DEO Hebræorum maledixerit (c). Qui Diis gentium sacra fecerit, eum gladio sterni jussere Imperatores (d). Atque in his, ni fallor, capitibus consistit illud officium Summarum Potestatum quod θειων νομων παραφυλακην *divinarum legum custodiam*, egregie vocavit Justinianus (e), talem intelligens custodiam quæ & ipsa sit νομοθετικη *legifera*, quemadmodum Augustinus dixit, *Serviant Reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo* (f). Horum autem omnium nihil est quod non locum habeat etiam in actionibus non sacris, quæ itidem divina lege in alteram partem definitæ sunt, illa scilicet lege quam το δικαιωμα τȣ Θεȣ *justitiam Dei* vocat Apostolus (g). Nam ideo jus Civile partim ex civilibus institutis, partim ex naturalibus præceptis constare dicitur (h). Quid autem agit jus Civile circa præcepta ista naturalia, nimirum jus libertatemque externam dat agendi, quod natura præcipit remotis obstaculis, imo idem præcipit quod natura, circumstantias determinat, peccandi occasiones subducit aut coarctat, sanctionem denique pœnis addit constitutis: quod omnes partes juris evolventi erit manifestum, ita ut in eo demonstrando tempus consumi nihil sit necesse.

12. Ad ea veniamus quæ lege divina, tum illâ quæ in mentibus hominum, tum alterâ quæ in Sacris Codicibus præscripta est, determinata non sunt; hæc ergo sive sacra sive profana sint, determinare in alteram partem jus est Summæ Potestatis. De profanis res notissima. Ita David (i) de præda dividunda; de solemnitatibus atque effectu contractuum ac testamentorum, deque rebus innumeris Imperatores Romani constitutiones fecere. De sacris res non minus clara, si quis Sacram Historiam, si quis Codices Theodosii & Justiniani, si quis Novellas, si quis Capitulare Caroli Magni non dicam diligenter legerit, sed inspexerit tantum. Adeo ubique exempla sunt obvia. Huc pertinet munera instituere, utilia magis aut decora quam necessaria, quod fecit David (k): templa struere aut ornare, quod Salomon (l) & Joas (m), aut struendis legem modumque imponere, quod Justinianus, modum præscribere electioni Pastorum, habendis Synodis, ordini inter Pastores servando, alienationi rerum sacris usibus dicatarum, quod Christiani Imperatores plurimi fecere.

13. Illud vero maxime miror a nonnullis defendi, scilicet, qui aliquid lege divina definitum neget, ei probationem incumbere. Nam constitit hactenus non negantibus, sed affirmantibus probationes injungi, & quæ prohibita non docentur, eo ipso permissa censeri, quippe cum peccatum non sit, nisi ubi lex aliqua violatur. Quod vero ajunt, *Essentialia omnia DEI verbo contineri*, recte ajunt, sed id ad rem non facit. Non enim quia essentialia sunt, ideo a DEO præscripta, sed quia a DEO præscripta, ideo essentialia, hoc est, perpetua atque immutabilia: cetera accidentalia, id est, temporaria, mutabilia, arbitraria. Cur autem DEUS alia lege sua definierit, in aliis reliquerit libertatem, indagare non est humanæ industriæ.

Ex

(a) 2. *Reg.* 23. (b) *L.* 1 *C. de Pag.* (c) *Dan.* 3. 29. (d) *L.* 1. §. 2. *C. de Pag.* (e) *Nov.* 138. (f) *Epist.* 48. *ad Vinc.* (g) *Rom.* 1. 32. (h) §. 4. *Inst. de Just. & Jur.* (i) 1. *Sam.* 30. 25. (k) 1. *Chron.* 23. (l) 1. *Reg.* 6. (m) 2. *Reg.* 12.

Ex his quæ diximus apparet veram illorum esse sententiam, qui docent tam in Ecclesiasticis quam in ceteris rebus supremam gubernationem sive Imperium Summæ Potestati competere: ita tamen ut ei fas non sit aut in Ecclesiasticis contra fidei ac religionis regulas a DEO traditas, aut in ceteris contra perpetuam æquitatis normam quidquam decernere, quod Tertullianus dixit (a): *in omni obsequio subditos nos esse debere potestatibus intra limites disciplinæ*. Et Augustana confessio breviter ac vere (b): *Christiani necessario debent obedire præsentibus Magistratibus ac legibus, nisi cum jubent peccare*. Et Bohemica (c): *Verbo DEI præcipitur ut omnes sublimioribus Potestatibus per omnia subdantur, in his tamen quæ DEO ejusque verbo non adversantur*. Nec aliter Belgica (d): *Cuncti homines, cujuscunque sint vel dignitatis vel conditionis ac status, legitimis Magistratibus subjici debent, & eis in omnibus obsequi & obedire quæ Verbo DEI non repugnant.*

14. Quod si tamen hos limites Summa Potestas excesserit (ut in utroque genere interdum evenit) rursus in eo sacra & profana conveniunt quod non potest quidem obligari homo ut homini magis quam DEO pareat, attamen si qua vis eo nomine ingruat, restat patientiæ gloria, vim contra parare Jus non est. Ita nimirum Petrum Christus (e), ita nos Petrus (f) instituit, non debere, si quid mali patiamur ut Christiani; fugere licet, grave nobis esse? fugit Elias, fugit Urias, Propheta uterque: fugere ex urbe in urbem alteram Apostolis permittit Christus (g), fugit Cyprianus, fugit Athanasius, precari licet; Christianorum lachrymæ: *aliud*, inquit Nazianzenus (h), *contra Julianum effusæ erat remedium*: dolere ultra nefas procedere: *Coactus repugnare non novi*, inquit Ambrosius (i). *Optime potero, flere potero, gemere potero, aliter nec debeo nec possum resistere*. (k) etiam Eleusius & Sylvanus Episcopi minitanti Constantio responderunt, αὐτον ... ἐξουσιαν ἐχειν της τιμωριας, και σφας αυτους της ευσεβειας, ἡ δυσσεβειας, posse eum, *si liberet, punire, sui arbitrii tamen esse pii ne an impii esse velint*. Sanctissimum nobis hujus præscriptæ a DEO patientiæ exemplum præbuerunt Christiani illi veteres, qui sub durissimo infidelium Imperatorum dominatu vixere, metuenda plane multitudo, si alienum quam suum sanguinem fundere maluissent. Nam ut Tertullianus ait (l), *Urbes, Insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum impleverant*. Et tamen nulli inter illos, ut idem Tertullianus ait, *Albiniani, nulli Nigriniani, nulli Cassiani* (1): sub Juliano defectore, sub Valente Catholicos crudeliter vexante, multi Provinciarum Præsides, multi legionum duces cum ipsis legionibus sinceram fidem amplectebantur atque ... provinciis ...

(a) *Apol.* (b) *Art.* 15. (c) *Art.* 16. (d) *Art.* 36. (e) *Matt.* 26. 52. (f) 1. *Pet.* 2. 16. (g) *Matt.* 10. (h) *Orat.* 2 *in Julian.* (i) *Advers. Auxent.* (k) *Theod.* II. 27. (l) *Apol.*

(1) *Dionysium Alexandrinum impetu in* [illegible] *abducentes infideles facto periculo eripuerunt fideles A. D.* 253. *Armenii Maximinum bellum ob fidem inferentem anno circiter* 310. *prælio fuderunt eo nomine laudati. Paulum Constantinopolitani armati defenderunt A. D.* 342. *Athanasium Alexandrini A. D.* 356. *Socrat. l.* 2. *c.* 38. [illegible] *A. D.* 360. *Novatiani Mantinienses milites in se missos fere delevere A. D.* 354. 370. *Basilium Cæsarienses Nazianz. or.* 20. *A. D.* 387. *Ambrosium Mediolanenses epist.* 32.

ſtebantur. Sed qui ipſorum ſævitiæ arma opponeret, inventus eſt nemo. *Milites Chriſtiani*, inquit Auguſtinus, *ſervierunt Imperatori infideli, quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant ei DEUM, diſtinguebant Dominum æternum a Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam temporali* (a). Euſebius Pius Samoſatæ urbis Epiſcopus pulſus Valentis Imperio, populum retinere ſe volentem ex præceptis Apoſtolicis edocuit, quanta præceptis Imperialibus reverentia deberetur, atque ita imminentem jam ſeditionem compeſcuit: *Nec ego me vallabo*, inquit, *circumfuſione populorum*. Quid nunc de illa dicam Legione (1) Thebana, quæ toties hoſtium (2) victrix ad juſſum Imperatoris pro fide Chriſtiana ſe paſſa eſt (3) decimari? Imo nec injunctum ſibi exilium fas eſſe egredi Chriſtiani veteres exiſtimarunt (4), quoties in certos homines, non in totam cauſam, ſævitia diſtinguebatur, exemplo Apoſtoli Joannis edocti, qui ita ut imperatum in Patmo inſulâ ſe continuit. Aliter agentes graviter objurgat Cyprianus (b): *Alias in eam patriam, unde extorris factus eſt, regreditur, ut deprehenſus non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat*. Illud quoque memoriâ non indignum, quod cum Nicomediæ propoſitum eſſet edictum crudele Maximiani & Diocletiani contra Chriſtianos, quo Scripturæ codices comburi, Baſilicæ deſtrui, ipſi autem Chriſtiani cruciari jubebantur, unus tantum Chriſtianus inventus eſt qui edictum diſcerperet; in quem cum eô nomine extremò ſuppliciò animadverſum eſſet, Chriſtiani cæteri jure cæſum pronunciarunt (c) (5). Hæc oſtendunt quam alte Chriſtianorum animis hæſerit vox illa Domini, quæ *gladium vetat arripere*. *Arripit* autem qui non a DEO accipit. Dedit autem DEUS ſoli Summæ Poteſtati, *aliis* non niſi per illam. Neque ulla Veteris Teſtamenti exempla contrarium evincunt. Nam quod a quibuſdam Regibus populi aut civitates quædam defeciſſe narrantur, & cauſa ad Regum refertur impietatem, in eo divinum Judicium deſcribitur, *non* hominum facta laudantur. Quod ſi ipſa Poteſtas Summa mandatam ſibi veræ religionis tutelam exerceat, eoque nomine ab hoſte internô aut externô armis oppugnetur, optimo jure Imperium ſuum vitamque & fortunas civium armis defendet. Perinde quippe eſt Religionis, an alio obtentu vim patiatur & injuriam: neque enim magis tenetur, ſui Juris cum ſit, ad alterius arbitrium Religionis uſum, quam finium poſſeſſionem, dimittere. *Non enim fruſtra gladium gerit, ſed DEI Miniſtra eſt & vindex conſtituta in male agentes* (d). Oſtenſum ſatis arbitror, quomodo in ſacras ac profanas actiones, externas ſcilicet primario, internas non niſi propter externas, æquum ſit jus Imperii, ſive cum jubentur a DEO juſſa, vetantur vetita, ſive cum definiuntur relicta in medio & humanæ permiſſa libertati, ſive cum Juris ſpecie vis graſſatur.

15. Et in his ſane omnibus nihil apparet diſcriminis, ſi ſumma eorum quæ imperantur genera ſpectemus. Ut enim Binius quoque agnoſcit homo Romanæ religionis,

(a) *Theodor. l. 4. 14.* (b) *Ep. 7.* (c) *Euſeb. l. 7. cap. 6.* (d) *Rom. 13.*

(1) *Melius Thebæa a Thebaide quam Thebana a Thebis ſive Græcis ſive Ægyptiacis.* (2) *Quis ejus victorias memoravit?* (3) *Non modo decimata ſed etiam tota cæſa eſt.* (4) *Euſebium Samoſatenum exilio egreſſum laudat Theodoretus.* (5) *Nemo qui jure cæſum dixerit ab Euſebio memoratur Martyrem laudante: vide locum.*

gionis, Imperatores sacra & saecularia ex aequo curant. Sin ad singula veniatur, hic vero fatendum est, angustius esse jus Imperii circa sacra, quam circa profana, hac una ratione, quod lex divina de sacris plura constituat & libertati eximat quam de caeteris rebus. Nam profana negotia (cum forensibus Hebraeorum institutis nos non obligari satis constet) solis prope naturalibus regulis circumscribuntur, nisi quod de connubialibus quibusdam legibus ambigi potest, naturales ne sint an ex arbitratu Divino. At de sacris complura in ipso Evangelio nobis praescripta sunt, quae ex voluntate Divina primitus proficiscuntur. Quo uno excepto non video quid ultra interfit, ad hanc quidem Juris Imperandi quaestionem quod attinet. Nam quod diligentior inquisitio, majorque sollicitudo circa sacra requiritur, tum quia Jura naturalia notiora sunt positivis, tum quia in sacris perniciosius erratur, id cum ad modum recte utendi Juris pertineat, de Jure ipso nihil immutat.

CAP. IV.

SOLVUNTUR QUAE CONTRA IMPERIUM SUMMARUM POTESTATUM CIRCA SACRA OBJICI SOLENT.

SUMMARIUM.

1. Solvitur objectio inde sumpta quod CHRISTUS Pastorale munus instituerit, eique regulas praescripserit. 2. Solvitur objectio inde sumpta quod Magistratus non sit de essentia Ecclesiae. 3. Solvitur objectio ex Esaia cap. XLIX. 24. & ostenditur Reges esse supra, non infra populum fidelem. 4. Solvitur objectio inde petita, quod circa Regem versatur Pastorum functio. 5. Solvitur objectio sumpta ex CHRISTI regno: explicantur Regis CHRISTI actiones, & ostenditur quatenus vicarios habeat. 6. Ad solvendam objectionem inde petitam quod Ecclesiis & Pastoribus regimen aliquod tribuitur, regimen ipsum distinguitur in suasorium, declarativum, constitutivum ex vi consensus, & constitutivum vi Imperii, tum summum, tum summo inferius, sive per emanationem, sive per solam subjectionem: obiter hic ostenditur, quae Ecclesiae tantum competere, sive id obligativum sit tantum, sive insuper coactivum, in ea communitate, quatenus placita majoris partis minorem obligent. 7. Pastoribus nec obligativum nec coactivum Imperium competere ostenditur ex sacris literis & Patrum auctoritatibus. 8. Pastorum regimen esse suasorium & declarativum cum solutione ad locum Actor. XV. 9. Ecclesiae Imperium jure divino non competere ostenditur ratione & exemplis sacrae Scripturae. 10. Ecclesiae regimen competere ostenditur interdum summum aut summo inferius. 11. Ecclesiae competisse ostenditur etiam summum. 12. Demonstratur Pastoribus vero inferius tantum dumtaxat, non Summarum Potestatum Imperium non tolli per regimen directivum & declarativum. Imperium non tolli per regimen Pastorum, Ecclesiae, Imperium circa sacra. 13. Demonstratur idem.

clesiæ constitutivum. 14. Demonstratur item Imperium non tolli per illud Imperium quod Pastoribus quandoque conceditur jure positivo.

Recte intellectis quæ a nobis dicta sunt hactenus, facile per se quivis ea dissolvet, quæ contra Summarum Potestatum Imperium in ea, quæ Sacra sive Ecclesiastica dicuntur, afferri solent. Nam primum quod non Summæ Potestates, sed ipse Christus Pastorale munus instituit, quod functionis suæ regulas, quantum quidem ad ipsam muneris quasi substantiam attinet, a Christo accipiunt, non a Summis Potestatibus, & quod eatenus, ut ipsi quoque diximus, Pastores non sunt Summarum Potestatum Vicarii. Hæc omnia de Jure Imperii nihil diminuere aliarum rerum exemplis apparebit. Potestas Parentum in liberos, maritorum in conjuges, non ab ullo humano instituto primitus, sed ab ipso Deo originem & jus suum accepit. Et tamen Summis Imperiis hanc quoque subjici, quanquam illis ipsis Imperiis antiquiorem, quis negaverit? Medica quoque functio a Deo est auctore naturæ, ut pastoralis a Deo auctore gratiæ, & regulas exsequendi muneris sui præcipuas a natura atque experientia accipit Medicus, non a Summis Potestatibus, neque vice Summæ Potestatis fungitur, cum medicinam facit: Et tamen non impediunt hæc omnia, quo minus medica functio subsit Summarum Potestatum Imperio. De Agricultura, de mercatura, de cæteris artificiis atque opificiis eadem est ratio. Quin & is qui pro Tribunali jus dicit, quamquam a Summa Potestate munus suum acceperit, ejusque vices obeat, non tamen omnes judicandi regulas a Summa Potestate accipit. Nam Deus ei præcipit abstinere a donis capiendis, nihil per gratiam, nihil odio facere, sublevare pupillos, & reliquam alienæ opis egentium turbam, multaque alia ejusmodi: Ita ut vel hinc cuivis appareat, quam sit contra vim Imperii imbecille argumentum, quod a divina mandatorum præscriptione ducitur. Quod vero Pastores non tenentur parere Summis Potestatibus vetantibus a Deo jussa, aut vetita jubentibus, in eo quoque nihil est singulare. Nam privato cuivis tantumdem est juris, non in Sacris modo, sed in aliis quoque rebus. Quin & Judex qui judicandi partes a Summa Potestate mandatas accepit, ab eadem jussus contra æquum & bonum judicare, non tenetur obedire, imo tenetur non obedire. Quæ manifestum est non eo evenire, quod aut privatus aut Judex subjectus non sit Summis Potestatibus (id enim nisi amens nemo dixerit) sed quia & Summæ Potestates & ipsi Judices atque privati Deo subjacent: Pugnantibus autem Imperiis necesse est ejus Imperium præferre qui superior sit altero. Errant igitur graviter qui ut hic paria discriminant, discriminata confundunt, actiones scilicet atque perpessiones; agere contra legem Dei, aut quæ ex lege DEI agenda sunt omittere, nec Pastori, nec Judici, nec privato licet, neque in Sacris neque in profanis rebus. Pati vero illata mala, sacræ sive profanæ legis obtentu, licet & privato & Judici & Pastori; imo eatenus etiam necesse est pati, ut non liceat aut per vim resistere, aut quicquam extra ea quæ DEUS diserte imperat, contra humanum Imperium facere.

2. Jam vero quod alii adferunt non esse de essentia, ut loqui amant, Ecclesiæ Magistratum, hoc est, Ecclesiam esse posse, etiamsi aut nulla sit Potestas Summa, aut certe non amica Ecclesiæ, quam abs re alienum sit, quis non videt? cum nec (ut ipsorum genus loquendi imitemur) de singulorum hominum essentia sit Magistratus

ſtratus, nec de eſſentia mercatoris, nec de eſſentia agricolæ, nec de eſſentia Medici, quos tamen omnes ſubditos eſſe Poteſtati ſupereminenti & ratio docet & Apoſtoli auctoritas.

3. Illud ſpecioſius objici ſolet, quod Eccleſiæ apud Prophetam promittitur, fore ut *Reges demiſſo in terram vultu ipſam adorent, pedumque ipſius pulverem lingant* (a). Quæ verba Reges potius Eccleſiæ & quidem adſpectabili, quam Regibus Eccleſiam videntur ſubjicere, quod familiare argumentum eſt juris Pontificii aſſertoribus. Sed profecto ſi ut olim Eſdras ſociique ejus (b), ita & nos Scripturam per Scripturam interpretemur, componentes inter ſe quæ ab eodem dictata ſunt ſpiritu, facile reperiemus, honorem eum de quo agit Propheta, Chriſti eſſe proprium & peculiarem, quod Pſalmus LXXII. ℣. 9. iiſdem prope verbis exprimit: Eccleſiæ autem tribui ob Chriſtum in Eccleſia ſpiritualiter præſentem, ſicut in veteri Teſtamento Arcam adoratam legimus. Tropus ergo eſt in illa vaticinii parte: neque poteſt το ῥητον *dictum* rigide urgeri, niſi majeſtatem eam quæ Soli Chriſto convenit (is enim Princeps eſt Regum terræ, Apoc. 1. 5.) ad Eccleſiam transferamus. Illud vero non ex Scripturis, ſed aliunde πολυθρυλλητον *in triviis decantatum* & a Pontificibus toties jactatum, *Imperatorem eſſe intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam*, de Eccleſia Catholica veriſſimum eſt, quæ ſub uno Rege terreno nunquam fuit, nunquam erit; De unius Regni Eccleſia eâque adſpectabili caute accipiendum, ita ut ea, quæ Imperii eſt ſuperioritas, non abnegetur. Eſt enim Rex proprie Regis nomen obtinens non tantum ſingulis de populo, ſed & toto populo univerſo ſuperior; neque tantum populo infideli, quales illi erant de quibus Horatius,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos Imperium eſt Jovis.

Et Chriſtus ipſe, *Reges gentium ipſis dominantur* (c), ſed & populo fideli qualis erat Iſraeliticus, quem Deus ita alloquitur, *ubi terram ingreſſus fueris quam tibi dabit Dominus Deus tuus, eamque poſſederis, in ea habitaveris, & dixeris, conſtituam ſuper me Regem, qualem habent gentes vicinæ*. Et ipſe populus, *Rex*, inquiunt, *erit ſuper nos* (d). Ita paſſim in ſacra Hiſtoria Saul, David, Salomon Reges dicuntur conſtituti *ſuper omnem Iſraelem, ſuper populum DEI, ſuper hæreditatem Domini*. Quid autem eſt Eccleſia adſpectabilis, niſi populus Chriſtianorum? Talis erat ille populus in quem jus ſibi traditum Juſtinianus aſſerebat, cujus verba Theophilus explicans, datam ait βασιλει κατα τε δημε την εξεσιαν, *Regi in ſubditos poteſtatem*. Romanæ certe Eccleſiæ ſcripſit Paulus (e), *omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto*. Cretenſem Eccleſiam jubetur inſtituere Titus *de ſubjectione & obedientia* poteſtatibus debita: ad Eccleſias Ponti, Galatiæ aliaſque exſtat Petri epiſtola, eandem monitionem continens (f). Quibus addendum illud Chryſoſtomi (g), *Si hæc præcepta ſunt ſub Paganis Regibus, quanto magis fieri debent ſub fidelibus?* Neque illud ad cauſam facit, quod apud pios auctores invenitur, interdum *ſervire Reges Eccleſiæ*. Nam *ſervire* ibi eſt *utilitatibus* Eccleſiæ con-

(a) *Eſa.* 49. 24. (b) *Neh.* 8. 9. (c) *Luc.* 22. 25. (d) 1. *Sam.* 8. 19. &c. (e) *Rom.* 13. 1. (f) 1. *Pet.* 2. 13. (g) *Ad* 13. *cap. ad Rom.*

consulere. Quomodo etiam Pagani veteres Regnum *servitutem* dixere. Ita pecuarius *pecori*, tutor *pupillo*, dux *legionibus* inservit, neque tamen supra pastorem grex est, supra tutorem infans, supra Imperatorem exercitus. Serviunt enim qui imperant, ut Augustinus inquit, *officio consulendi & providendi misericordia*. *Servire* igitur Reges *Ecclesiæ* recte quis dixerit, *servos Ecclesiæ* non recte, ne eo quidem sensu quo servitus subjectionem significat. Non enim Saul *servus Israelis*, sed Israeliticus populus *servi Saulis* (*a*): & speciatim *servus Saulis* non minus Abimelec inter Sacerdotes (*b*), quam inter Proceres David, & Davidis ac Salomonis servus Pontifex Sadocus (*c*). Quare & Synodi maximæ, in quibus Ecclesiæ sub Romano Imperio viventis quasi quoddam erat compendium, Imperatores *Dominos suos* salutant. Sane quemadmodum pater æque familiæ suæ imperat sive illa fidelis, sive a fide sit aliena; ita populi recta religio de Summæ Potestatis jure nihil imminuit.

4. Sunt qui aliud argumentum contra Imperii jus, quod Potestatibus Summis asserimus, validissimum putant, quod scilicet sacra Pastorum functio circa ipsos etiam Reges versetur, non tantum quatenus inter cæteros ipsis quoque generali prædicatione Evangelium proponitur, verum etiam qua clavium ministerio singulis applicatur. Sed hujus quoque argumenti imbecillitas similibus exemplis convincitur. Nam quotaquæque est functio quæ non circa Regem versetur? Sume agricolas, mercatores, pastores, coquos, vestitores: horum omnium opera Rex indiget; ut propiora attingam, Medicus Regem non minus sanat quam equisonem, & quæ valetudini curandæ conducunt; pariter utrique præscribit: Chirurgus, si necesse sit, uret quoque Regem & secabit: Philosophiæ civilis Doctor aut Consiliarius aliquis circa Regem occupatur, hoc etiam amplius, non qua homo est, sed qua Rex. Horum tamen omnium personas aut functiones nemo tam imprudens fuit, qui Summis Imperiis legumque humanarum vinculis exsolveret.

5. Nunc ad eos veniendum est nobis, qui totum circa sacra Imperium ita Christo soli tribuendum existimant, ut in nullam ejus partem venire possint Reges, quippe cum vicariam nullius operam desideret is, qui regno administrando sufficiat solus. His, ut satisfiat, distinguendæ sunt Christi actiones: Sunt igitur aliæ terminales, ut ita dicam, aliæ sunt mediæ. Terminales voco eas quæ ad principium finemque regii muneris pertinent. Ad principium referenda est legislatio sub spe præmii æterni & comminatione pœnæ itidem æternæ; Ad finem definitiva jurisdictio: Illam Christus per se expedivit, hanc per se expediturus est. Legislatione comprehenditur non sola legis divinæ perpetuæ apertior promulgatio, rejectis pravis interpretamentis, & patefacto discrimine eorum quæ a DEO semper probata, & quæ dissimulata vel condonata ad tempus; sed constitutio quoque Evangelici ministerii & sacramentorum cum abrogatione legis Hebræorum ritualis. Jurisdictio quorundam condemnationem, aliorum vero absolutionem, & præmii exhibitionem continet. Quibus peractis Christus administratione regni deposita Majestatem regiam in æternum retinebit. Has igitur actiones cum per se Christus obierit, vitaque ipsa & mors æterna, ac proinde earumdem rerum promissio, comminatio atque adjudicatio non sint in eorum potestate, qui meri sunt homines, indubitatum est in iisdem

(a) 1. *Sam.* 17. 8. (b) 22. 12. (c) 1. *Reg.* 1. 32.

iisdem neminem esse Christi aut Socium aut Vicarium. Ad interjectas actiones quod attinet, sciendum est, has partim περι τον εσω circa internum, partim περι τον εξω ανθρωπον circa externum hominem versari: περι τον εσω circa internum quæ versantur, aliæ sunt in homine, aliæ de homine. In homine agit Christus cum vi spiritus sui alios illuminat, alios non illuminando occæcat, aliis cor aperit, aliis non aperiendo obdurat, contra tentationes modo majora, modo minora auxilia suggerit: De homine cum peccata remittit aut retinet; quanquam harum quoque actionum signa quædam plerumque intus homini divina efficacia imprimuntur. Hæ quoque actiones cum meri hominis potentiam excedant, ita Christo sunt peculiares, ut in his quoque nec Socium nec Vicarium admittant; cum interim harum actionum ministros habeat Pastores, Privatos, Reges quoque, singulos suo modo. Distant autem Vicarius & Minister merus, quod Vicarii est producere actiones congeneres illius actionibus, cujus vices gerit, etsi minus perfecte. Ac meri Ministri est actiones producere non congeneres, sed tales quæ principalis causæ actionibus inserviant. Unde apparet ejusdem actionis nomen proprie quidem sed proportionaliter tribui Principi & Vicario. Rex enim vere imperat jusque dicit: vere quoque imperat jusque dicit Præses, etsi non pari jure: at principali causæ & mero ministro actionis ejusdem vocabula non nisi per tropum accommodari: quo modo Pastores dicuntur servare homines, remittere ac retinere peccata. Quæ restant regiæ Christi actiones περι τον εξω ανθρωπον circa externum hominem, præcipue consistunt in tuenda ac liberanda ab hostibus, ordinanda quoque & ornanda Ecclesia, & ad providentiam recte referuntur. Sicut autem DEI universalis providentia quæ cunctis rebus invigilat, quanquam ipsa per se cunctis disponendis & exsequendis sufficiat, tamen ad demonstrationem multiformis sapientiæ Summis Potestatibus utitur tanquam Vicariis ad conservandam illam communem hominum societatem; unde & iisdem Potestatibus Deorum tribuitur appellatio; ita & specialis illa Christi providentia pro Ecclesia excubans Vicarias sibi adsciscit easdem Potestates veræ fidei patronas, Christum osculantes, quibus ipsis Christus suum quoque nomen impertit. Hi sunt Reges & Proceres quos Nazianzenus ait Χριστῳ συναρχειν, Χριστῳ συνδιοικειν una cum Christo regnare, cum Christo administrare, non æquali consortio potestatis (absit tam impia cogitatio) sed Vicario jure. Quomodo & illud sumendum Bohemicæ Confessionis, Magistratuum communem esse cum Agno potestatem. Quare cum non pugnent τα υπαλληλα subalterna, neque Majestatem Christi dedeceat, præcipua (sicut per se αμεσως immediate cætera partim per se, partim per alios exsequi regni & Angelorum opera eum uti certissimum est) sequitur terrestre imperium etiam qua sacra curat, nihil cœlesti ac divino Christi Imperio obstare. Hic autem monendi sunt παραλογισαι paralogistæ ne pro Christo Rege Regum & Domino dominantium (a) presbyteria nobis & Synodos supponant; & quod Christi unius est proprium αρχειν των βασιλεων Regibus imperare, id ad eos transferant quos & ordinis necessitas & divini juris auctoritas Regibus subjicit.

6. Sed quoniam in Sacris Literis & historia vetere partim pastoribus, partim Ecclesiis, regimen tribuitur quoddam, videamus quomodo hoc regimine non evertatur Summarum Potestatum regimen. Hæc res ut recte intelligatur, distinctionibus ...

(a) Apoc. 19.

quibusdam uti necesse est, ne vocum similitudo in re dissimili nobis imponat. Regimen omne aut tale est, quo dato maneat in eo qui regitur, juris libertas, aut quo dato ea libertas non consistat: Prius regimen iis competit, qui præsunt, ut Tacitus loquitur, *auctoritate suadendi, non jubendi potestate*, ut Medici, Jurisconsulti, Consiliarii in rebus haud omnino necessariis. Regimen, quo posito tollitur libertas juris, est aut declarativum, aut constitutivum: & constitutivum aut *jure consensus*, aut *vi Imperii*. Hæc distinctio ex modo oritur introducendæ obligationis. Qui declarative regunt, non obligant proprie, sed obligationi occasionem præbent quatenus notitiam alicui imprimunt quæ obligationem parit aut auget. Ita medicus ægrotum regit ostendendo quid ipsi exitiale sit, quid ad sanitatem consequendam aut retinendam necessarium: quo intellecto, ægrotus hoc amplecti, illud fugere tenetur, non ex jure quod in ipsum medicus habeat, sed ex lege naturæ, quæ unicuique curam vitæ atque incolumitatis suæ imperat. Sic moralem ac civilem vitam regunt Philosophi, ostendendo quid honestum sit, quid salus populi requirat. Eodem recte referas annuntiationes quas legati aut præcones a Summis Potestatibus missi subditis faciunt. Tam vero suasorium quod diximus, quam istud declarativum sub uno *directivi regiminis* nomine solent comprehendi: a quo differt *constitutivum*, quod *ex consensu* aut *Imperio* nascitur. Constitutivum quod ex consensu oritur regimen, ad eos qui consenserunt quod attinet, vim obligandi habet ex lege naturali, quæ pacta vult servari, de iis scilicet rebus quæ in jure ac potestate erant paciscentium. Qui vero non consenserunt, hi directe non obligantur: indirecte interdum si tria concurrant: Primum, ut ipsi quoque pars sint alicujus universitatis: alterum, ut major pars universitatis consenserit: tertium, ut aliquid constitui ad universitatis conservationem, aut certe ad statum ejus meliorem sit necessarium. Hæc enim si adsint, obligantur singuli, non ex jure quod major pars in ipsos habeat tanquam superior, sed ex illa naturæ lege, quæ vult partem omnem, qua pars est, ordinari ad bonum totius: quod bonum sæpe sine aliqua speciali determinatione non potest haberi, neque ista determinatio effectum habitura est, si quæ pluribus placuerunt, ea paucis liceat rescindere. Hinc comites itineris, navis unius, negotiationis ejusdem participes, item collegæ, tenentur stare decreto partis majoris, in his duntaxat quæ determinatione aliqua indigent, & ad eam pertinent communitatem, cujus ipsi membra sunt. *Imperativum* vero regimen ex vi intrinseca supereminentiæ suæ obligat. Ejusmodi autem *regimina*, ut ante indicatum est, sunt aut *suprema*, aut *infra supremum* collocata: & hæc iterum aut ex supremo emanantia, aut aliunde ortum habentia. Imperium *sub supremo* collocatum & non *ex supremo ortum habens*, quod quidem ordinarium sit & permanens ac primitivum, est unicum *Patrisfamilias*, unde originem ducunt, regimen *Pædagogi* & *tutoris*. Extraordinaria autem Imperia quosdam in veteri fœdere habuisse certum, quibus hoc ipsum DEUS singulari oraculo concessit. Ea vero quæ a supremo emanant Imperia, aut simul *obligandi agendique* jus accepere, ut Prætura, Proconsulatus, aut *obligandi* tantum, ut *potestas delegati*: Sine *obligandi* autem jure nullum est Imperium. Est enim hic Imperii effectus quasi naturalis. Jam quæ dicta sunt, ad Pastores & Ecclesias applicemus. Vetantur a Christo Apostoli, ab Apostolo Presbyteri sive Pastores (a) κατακυριεύειν τῶν

(a) 1. *Pet.* 5. 3.

των κληρων *dominari in cleris* ; neque tantum κατακυριευειν *dominari* quod Regibus tribuitur Luc. 22. 23., sed & κατεξουσιαζειν *potestatem exercere*, quod distinctum ab altero tribuitur τοις μεγαλοις *magnis* Matth. 20. 25. Marc. 1. 42.. Μεγαλων magnorum ergo nomine Principes intelligendi, quales fuerunt Ethnarchæ Judæorum, quos ευεργετας *beneficos* dictos videre est apud Josephum (a) ; unde lux dicto apud Lucam, οι εξουσιαζοντες αυτων ευεργεται καλουνται. *qui potestatem habent super eos benefici vocantur*. Si ergo & quale Summarum & quale inferiorum Potestatum jus est, adimitur pastoribus, sequitur illis *omne Imperium adimi*.

7. *Coactionis* usum omnem ipsis interdictum, vel illud Pauli satis evincat : quod vult *Episcopum non esse* πληκτην *percussorem* (b). Hinc Chrysostomus ; *homo si a side fuerit abductus, multa imminet Sacerdoti patientia industriæ adhortationis, quia non potest errantem vi reducere, sed persuadere conabitur, ut ad fidem rectam revertatur*. Sed nec obligare quemquam per modum *Imperii* Pastoribus datum est divinitus, το νομοθετειν αιτιται τοις βασιλευσιν *ferre leges Regibus concessum est*, inquiunt Græci. Et Chrysostomus dat Regibus, Episcopis adimit, non tantum αναγκη *imposita necessitate*, sed & νομω κρατειν *auctoritate sententiæ imperare*. Christus ipse statum suum servilem respiciens ut erat μορφην δουλου λαβων *assumpta servi forma*, negat *Regnum suum esse de hoc mundo*, negat quod minus est, se judicem constitutum (c); Ad ejus autem status exemplum vocavit Apostolos : unde Chrysostomus, *Non est*, inquit, *nobis data talis potestas, ut auctoritate sententiæ cohibeamus homines a delictis*. Et Bernardus (d), *stetisse ego Apostolos judicandos lego, sed ipsos judicantes non lego*. Ostendunt idem tituli quos Pastoribus Sacra Scriptura tribuit; vocantur enim *legati*, *nuncii*, *præcones*. *Legatorum* autem, *nunciorum* & *præconum* non est suo Imperio quemquam obligare, sed alienum Imperium denunciare. *Ad docendum constituti sunt Pastores*, inquit idem ille Chrysostomus, *Mandati facere*. αρχην ουδε εις αυθεντιαν *non ad imperium, non ad exercitium potestatis*. Imperatoria quoque formula facit huc. Jubentur *loqui quæ audierunt, tradere quæ acceperunt* (e), ultra nihil. Ipse Apostolus *de virginibus* quia *nullum mandatum habebat* aut si quæ rium Domini (f), nihil imperare audet, consulit tantum, simul declarans extraordinaria contra faciat, eam nihil peccaturam. Et Corinthios admonens (g) ut *ex necessitate*. quadam liberalitate Hierosolymitas juvent, addit μη εξ αναγκης *non ex* imperans Cujus causa est in eo quod præcedit, ου κατ' επιταγην λεγω *non quasi* imperans dico.

8. Regimen ergo quod Pastoribus tribuitur, cum dicuntur ηγεισθαι, προιστασθαι, ποιμαινειν *ducere*, *præesse*, *pascere* (h), aut ad *mere suasorium* aut ad declaratitium genus referri debet. Quare sicubi *Apostoli* aut *Pastores* leguntur imperasse, Interpretandum id est per eam figuram, qua *remittere* dicuntur & *retinere* peccata, hoc est *remissa* aut *retenta* declarare. Neque aliter sumendum illud quod Jeremiam DEUS a se constitutum dicit ad *regna exscindenda*, hoc est *ad pronuncianda* regnorum *excidia*. Sic & in illa Apostolorum Seniorum & Fratrum Epistola ad Ecclesias

(a) *Antiq. Jud.* 13. 2. (b) 1. *Tim.* 3. 3. *Tit.* 1. 7. (c) *Luc.* 2. 14. 1. *Cor.* 7. 25. 1. *Tim.* 5. 17.
(d) *De consid. lib.* 1. (e) 1. *Joan.* 1. 1. (f) 1. *Cor.* 11. 23.
(g) 2. *Cor.* 9. 7. 8. (h) *Hebr.* 13. 7. 17. 1. *Thess.* 5. 12.
Joan. 21. 16. *Act.* 20. 28. 1. *Petr.* 5. 2.

sias Syriæ & Ciliciæ (a) verba hæc ἐπιτίθεσθαι βάρος *imponere onus*, simili modo sunt exponenda: non enim novum onus imponitur Christianis, alioqui enim sequeretur *scortari* ante hoc decretum licuisse: cum ejus quoque rei abstinentia iisdem oneribus accenseatur: sed declaratur quod sit Christianorum officium ex lege divina, quæ actiones liberas ad aliorum salutem promovendam vult dirigi, & offendicula anxie vitari. Jam vero Judæi, quanquam proselytos propiore quodam affectu amplexabantur, soliti tamen, ut ex ipsorum libris apparet, ferre etiam alios ex gentibus, dummodo ea instituta servarent, quæ DEUS dederat Noæ filiis; in quibus & hoc erat comprehensum, *ne quis suffocato aut sanguine vesceretur*. Contra vero si quis ea præcepta in commune data humano generi contemneret, eum omnes hostem ducebant publicum, cum quo nihil sibi ne humani quidem juris commune existimabant. Nam Cananæos quoque & vicinos ipsis populos internecioni devotos arbitrabantur non aliam ob causam, quam quod istius generis præcepta violassent. Quare & Apostolorum ævo cum legem ritualem abrogatam a Christo nondum possent intelligere Judæi, aliter existimare non potuerunt, quam gentes illis cæremoniis, quæ toti humano generi præscriptæ erant, non minus quam se Israeliticis legibus obligari: ideoque ab iis institutis recedentes, hostiliter erant aversaturi: quod cum magnum esset futurum impedimentum propagando Evangelio, tenebantur sane gentiles ad tempus ea in re Judæis obsequi: ideoque postquam desperari cœpit de plerisque Judæorum ad Christum adducendis, hoc onus sine ulla abrogatione sponte sua per occidentis Ecclesias evanuit (*b*); quia scilicet vis obligandi non nisi ex illa, quam diximus, divina lege pendebat, quod speciatim in causa Idolothytorum ad Corinthios explicat Paulus (c).

9. De Ecclesia nunc agendum est. Huic quoque *nullum Imperium* divino jure concessum est; *Imperii instrumentum* gladius, quo nomine Paulus Apostolus ut & Jurisconsulti intelligunt illud quod ἀναγκαστικὴν δύναμιν *potestat[illegible] coactivam*, vocat Aristoteles. Ac Ecclesiæ *arma carnalia non sunt* (*d*), neque alium gladium a *DEO* accepit quam *spiritualem*, *Verbum* scilicet *DEI* (*e*). Quin ejus πολίτευμα *municipatus* non est *in terris*, sed *in Cœlo* (*f*). Agit ergo in terris Ecclesia non ut *municeps*, sed ut *inquilina*: Inquilinis autem *Imperium* non debetur. Quandoquidem Ecclesia cœtus est divina lege non permissus tantum, sed & institutus (de adspectabili cœtu loquor) sequitur ea omnia quæ cœtibus legitimis naturaliter competunt, etiam Ecclesiæ competere, quatenus adempta non probantur.

10. In his autem est etiam *regimen constitutivum*, quod ex consensu appellavimus. Exempla duo afferemus. Abrogata Sabbathi lege in libertate erat Christianorum quam vellent temporis sui partem, dum ne infra justam proportionem, divino cultui segregare (*g*). At cum is cultus ex Christi præcepto quandam piorum congregationem requireret, non poterat ea temporis pars nisi communi placito determinari. Ita præeuntibus Apostolis, consentiente Ecclesia, dicata est sacris conventi-

(a) *Act.* 15. 23. (b) *Post annum* 180. (c) 1. *Cor.* 10. 23. 24.
(d) 2. *Cor.* 10. 4. (e) *Eph.* 6. 17. (f) *Phil.* 3. 20. (g) *Col.* 2. 16.

ventibus *prima Sabbatorum* (a), quæ & in memoriam resurrectionis Dominicæ dies dicitur. Alterum hoc est; cum Apostoli pares non essent inspectioni pauperum, Ecclesia suadentibus Apostolis instituit munus Diaconorum, simulque elegit personas quæ id muneris obirent (b). Utrobique *definitum* ac *constitutum* aliquid videmus communi placito, cui refragari sine gravi culpa nemo potuit. Nam & constitui certum aliquid debebat, & *constitui* nihil poterat, uno forte aut altero dissentiente; nisi aut minor pars majori, aut major minori cederet. Quorum cum hoc sit manifeste iniquum, sequitur illud fuisse necessarium. Hoc igitur jus constituendi, Ecclesiæ naturale est. Data enim universitate, hoc ipsum jus ex natura universitatis continuo sequitur. *Imperativum* vero *regimen* non itidem Ecclesiam sequi, supra ostendimus.

11. Neque tamen id impedit, quo minus Ecclesiæ competere possit Imperium aut Summum aut Summo inferius. Summum si fideles aliis impermixti & liberi ab omni subjectione peculiarem constituant Rempublicam, quod Judæis accidisse videtur, Machabaicis temporibus (c). Nam in plerisque eorum temporum actis non *Ethnarchæ* tantum & *Senatus*, sed & populi nomen reperitur; tum in profanis, puta fœderibus, tum in sacris, ut cum Encænia instituuntur. *Constituit*, ait historia, *Judas & fratres ejus & omnis Ecclesia Israel* (d). Hic ergo Ecclesia Summum Imperium habuit non proprie qua fidelis populus, sed qua populus liber, quod hodie dici posset de Helvetiorum quibusdam civitatibus, quæ populari Imperio tenentur. Inferius Summo Imperium, quod αὐτονομίας *juris utendi suis legibus* nomine appellabatur, iidem Judæi non domi tantum, sed & Alexandriæ, Damasci, atque alibi sæpius habuerunt cum coactione nonnulla, sed quæ modo latius, modo angustius patebat. Interdum enim sub eo Imperio comprehensum erat jus pœnarum *capitalium*, interdum *flagra* tantum, nonnunquam ultima coactio erat *relegatio* e Synagoga, prout Regibus Chaldæis, Persis, Syris, Ægyptiis, aut Romanis Cæsaribus, sub quorum ditione erant, visum fuit habenas ipsis laxare aut adducere. Hoc jure concessi Imperii Assueri temporibus suadente Mardochæo Judæi dies, *Sortium* qui dicuntur, Festos esse jusserunt. Eodem jure concessi Imperii nituntur ea omnia quæ ductu Esdræ ac Nehemiæ tam in sacris quam in profanis rebus fuere constituta. Quod moneo, ne quis ad jus Ecclesiæ perpetuum atque immutabile perperam trahat. Sacrorum autem Ministros quod attinet, his Imperium divino jure, hoc est, ex ipsa Ministerii istius sive institutione, sive natura nullum deberi, satis ostensum est. Ut & illud, Summum Imperium cum tali Ministerio esse ἀσυγκλωστον *insociabile*.

12. Cæterum inferius Imperium a Pastorali munere perpetuo segregatum esse debere numquam sensit vetus Ecclesia. Sed id quod pastoribus tribuitur, nihil derogare Summo in Sacra Imperio Summarum Potestatum. Nam *directivum regimen*, quod in dando consilio, & declaratione divini Imperii consistit, omnino alterius est generis. Diverso autem plane regendi genere non mirum est eundem regere & regi; nam Regem suadendo regit Consiliarius; Juris naturalis peritus legem divinam decla-

(a) *Act.* 20. 7. 1. *Cor.* 16. 2. *Apoc.* 1. 20. (b) *Act.* 6. (c) 1. *Mach.* 12. 6, 14. 20, 28. *Jos. Antiq. Jud.* 13. 11. (d) 1. *Mach.* 4. 59.

declarando: Medicus & Pastor Ecclesiæ, modo utroque: sed hos omnes Rex Imperio regit, & quidem summo. Unde mirum non est apud Patres sæpe reperiri Regem præesse Episcopo, & Episcopum Regi, cum agatur de modis προστασιας *præsidentiæ* immensum differentibus.

13. At quod ex consensu est regimen, quanquam constitutivam vim habet, plane tamen subest regimini Imperanti Summarum Potestatum, quod eo evincitur, quia nemo consentiendo *plus juris in alterum*, aut in totam universitatem *transferre potuit, quam ipse habuit*. Obligatio enim hæc ex singulorum libertate ortum quum habeat, latius quam ipsa libertas patere non potest. At singuli libertatem non habent quicquam faciendi contra Imperium Summarum Potestatum, quibus *omnis anima subjecta esse debet* (a); his scilicet exceptis, quæ divino Imperio diserte comprehenduntur. Ergo nec jus habent eousque semet obligandi. Adde quod duo regimina constitutiva esse non possunt, nisi ὑπάλληλα *subalterna*, cum alioqui futurum sit, ut quispiam obligetur ad ἀσύστατα *contradictoria*, quemadmodum supra ostendimus. Quæ causa fuit, cur paternum & sacerdotale veteris Testamenti (numquam enim Aaronici Pontifices sine Imperio fuere) Regio Imperio DEUS subjecerit.

14. Illud vero regimen quod ex publico jure Pastoribus datur, cum non tantum subsit Potestatibus Summis, sed ab ipsarum quoque Imperio quantum est emanet, Jus Summarum Potestatum non evertit, sed comprobat. Per effectus enim causa cognoscitur, & per quod res quæque talis est, id ipsum est maxime tale.

CAP. V.

DE JUDICIO SUMMARUM POTESTATUM CIRCA SACRA.

SUMMARIUM.

1. *Judicii vox explicatur*. 2. *Distinguitur in directivum & Imperativum*. 3. *Judicium de sacris competere Summis Potestatibus*. 4. *Non obstare quod falli possunt Summæ Potestates* 5. *Non obstare quod CHRISTUS est Judex summus*. 6. *Nec quod Scriptura tropice Judex dicatur*. 7. *Nec quod Pastoribus & Ecclesiæ suum competat Judicium*. 8. *Ut recte exerceatur Judicium, requiri intelligentiam*. 9. *De ea sufficienter consequenda, non desperandum Summis Potestatibus*. 10. *Requiri item pietatem*. 11. *Distinctio inter rectitudinem actus & validitatem: idque ad sacra applicatur*. 12. *Judicium infidelium de rebus sacris exemplis declaratur & Sacræ Scripturæ testimoniis*. 13. *Catechumenos non posse omnino a Judicio excludi*. 14. *Similitudine ostenditur aliud esse de aptitudine quærere, aliud de jure*. 15. *Non*

(a) Rom. 13. 1.

15. Non deferri Judicium Prophetis Novi Testamenti privative cum explicat... loci 1. ad Corinth. XIV. ℣. 32. 16. Regum veteris Testamenti facta circa sa... quatenus ut Regibus, quatenus ut Prophetis attribuenda; idque applicatur ad te... pus Novi Testamenti.

ADSTRUCTO Summis Potestatibus Jure Imperii circa sacra, ea veniunt quæ ad rectum Juris hujus exercitium pertinent. Proxime autem ipsum Imperii actum præcedit Judicium. Est enim imperare voluntatis. Omnis autem actio voluntaria ut recta sit, duplicem habere debet congruentiam; alteram voluntatis cum intellectu; alteram intellectus cum re ipsa. Quorum prius indicans Apostolus, *peccatum* esse dixit *quicquid non ex fide fiat* (a), ubi *fides* est *judicium approbans*; quod opponitur *conscientiæ* condemnanti actionem, aut hæsitanti. Judicium primitiva ac genuina sua significatione denotat actum superioris, quo inter duas partes id quod justum est definit. Est enim *Judicium* a judice; Judex autem *jus dicens*. Cœpit deinde proferri ad definitionem qualemcunque etiam internam in omnibus quæ contemplamur, aut agimus.

2. Circa agenda *Judicium* ita universaliter sumptum duplex est: aut enim propriis actionibus præit, aut per actiones proprias refertur ad alienas: idque rursus dupliciter; nam actiones nostræ ad alienas referuntur, aut per modum intellectus, aut per modum voluntatis. Hinc fit ut judicium ad actiones alienas tendens, sit aut Directivum, sive per declarationem, sive per suasionem, aut Imperativum: Imperativum judicium distinxit Aristoteles (b) in νομοθετικον και δικαστικον legislationem, & *sententiæ dictionem*, quorum illud esse ait περι τα καθολα de *universalibus*, hoc vero των αφωρισμενων και κατα μερος de *definitis*, & *singularibus*.

3. In hoc Imperativo genere *summum* absolute *judicium* est *summi* absolute Imperatoris, qui est DEUS. Restricte, hoc est, inter homines itidem *summum* sit Judicium necesse est ejus qui *summum Imperium* habet, quem Summam Potestatem dicimus. Hujus enim leges rescindere aut sententias retractare superiore Judicio nemini licet: etsi obedientia talibus legibus ac sententiis non absolute debeatur, sed quatenus obediri potest sine Imperii divini violatione. Sicut autem ipsum Imperium ad sacra non minus quam ad profana extenditur, ita & Judicium hoc, ex quo & secundum quod imperatur. Neque obstat quod nonnulli Reges aut Imperatores de Religione judicium videntur a se rejecisse. Nam partim quod ineptos se agnoscerent, rejecerunt a se quod alioqui erat officii sui; partim loquuntur de Judicio quod sit αναμαρτητον *falli nescium*, quale sibi arrogat Pontifex Romanus. Atque hoc postremo modo tum sua, tum Imperatorum veterum dicta explicat magnus Britanniæ Rex, cum negat *Reges esse doctrinæ judices falli nescios*. Tantumdem autem de aliis negotiis non minus recte dixerit. Constantinus sane a se judicium non removit, qui cognoscere voluit ea, quæ ab Episcopis Tyri essent acta, recte ne an secus se haberent; nec Martianus (*), qui suum esse dixit negotium rectam & veram fidem omnibus declarare; nec Carolus Magnus (**), qui se controversiæ Feliciaux arbi-

(a) Rom. 14. 23. (b) 1. Rhet. 1. (*) A. D. 451. (**) A. D. 794.

arbitrum vocat; additque, *decernimus & DEO donante decrevimus, quid esset de hac inquisitione firmiter tenendum*.

4. Falluntur ergo qui fingunt hæc inter se adversis frontibus pugnare: *posse labi* & tamen *hominibus non subjici*, Imperii subjectione: neque vident qui hæc asseverant uno se commento Judicia omnia, etiam Humanis de rebus, tollere. Nam quid est in quo non possint errare homines; aut quod omnino potest esse judicium, quod non aut summum sit, aut aliud supra se habeat? Cum ergo progressus in infinitum non detur, necesse est alicubi sisti, & proinde quorundam errores non *humano sed divino reservari Judicio* (ut loquitur Ivo Episcopus Carnutensis) ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii. Neque vero hoc summo judicio imperativo scilicet & humano posito, sequetur fas esse pastoribus & Christianis singulis necessaria pietatis ac charitatis officia deserere, si ita faciendum Summa Potestas judicet. Non magis sane quam abstinendum ab alendo parente, si Rex impius jubeat. Ut enim supra explicatum est tum in sacris tum in profanis rebus, neque jubentia, neque vetantia præcepta obligant ad agendum omittendumve aliquid contra legem DEI sive naturalem sive positivam, sed dumtaxat ad patiendum, idque tum demum ubi pœna evitari nisi vi opposita non potest. Longe autem aliud est injuriam pati, aliud omittere actionem a DEO imperatam, quod a viris alioquin sagacibus confundi mirarer, nisi viderem id instituto ipsorum servire. Cætera quæ opponi solent de periculo mutandæ corrumpendæve Religionis, alio loco commodius solventur.

5. Summum Christi judicium huic, de quo agimus, judicio, non magis repugnat, quam ejusdem Imperium Summarum Potestatum Imperio: quod supra ostendisse satis est. Legislatio præmium pœnamque æternam vi sua secum ferens, & ex ea lege ultima judicatio solius est Christi. Medio tempore interfatur Christus per spiritum suum judicio divino: neque tamen sequitur id judicium actio humana, nisi intercedente judicio humano: quod judicium, ut ad actiones privatas Christiani cujusque, ita ad publicas actiones & privatas quæ publico Imperio reguntur, publicarum est Potestatum, & quidem Summarum in summo gradu. Vidit hoc jam pridem Brentius, cujus hæc verba sunt (a): *ut privatus privatam, ita Princeps publicam habet de doctrina Religionis potestatem judicandi & decidendi*. Et ita; *Judicio opus est præsertim Principum, ut sciant quam doctrinam & privatim ad suam salutem æternam, & publice in populo DEI tueri debeant*.

6. Scripturam *Judicem* qui faciunt, recte sentiunt: sed figurate loquuntur. Nam exactam verborum rationem si sequimur, Scriptura est *norma judicandi*; nunquam autem *Idem est sui regula*. Similis est figura cum *Lex* dicitur *neminem judicare inauditum* (b): & cum Christus dicit fore ut *sermo*, quem loquebatur, incredulos die ultimo *judicet* (c).

7. Pastoribus & aliis, qui *sensus* in Scriptura *exercitatos habent*, Ecclesiarum quoque cœtibus, sed imprimis augustissimo quodam modo Ecclesiæ Catholicæ judicium de sacris competit. *Unusquisque* enim, teste Aristotele, *recte judicat ea quæ cognoscit*; eorumque est optimus Judex. Sed hoc *Judicium* alterius est generis ab eo de

(a) *Prolog.* (b) *Joan.* 7. 51. (c) 12. 48.

eo de quo agimus: aut enim propriis dumtaxat actionibus præit, aut alienis quoque, sed dirigendo, ut diximus, non imperando. Diverso autem ut regendi, ita & judicandi genere possunt iidem sibi mutuo præesse & subesse, ut Rex medico, & medicus Regi: atque ita absurdum non est dari duo *Judicia Summa*, sed generum diversorum, quale est in sacris *Judicium Directivum* Ecclesiæ Catholicæ, & Imperativum Summarum Potestatum. Nam nec illo Judicio inter humana ullum est majus *auctoritate*, neque hoc ullum majus *potestate*.

8. Cum vero Judicio duæ res obesse soleant, ignorantia & pravi affectus, sequitur ut judicium sibi competens recte exerceat is qui Summo Imperio fungitur, opus illi esse & intellectu rerum sacrarum, & animo vere religioso: quæ duo ita inter se devincta sunt, ut & religio sapientiam adaugeat, & religionem sapientia, quod a Lactantio demonstratur. Extat apud Tacitum egregia voti formula pro Imperatore concepti, ut *DEUS ipsi intelligentem humani divinique Juris mentem daret*. Quanto autem divina præstant humanis, tanto Summæ Potestati gloriosior, utilior atque etiam magis necessaria est divinarum quam humanarum rerum cognitio. Ideo tam sollicite Regi imperatur (a); *ut exemplum legis sibi ipsi describat, idque penes se adservet, & in eo legat omnibus diebus vitæ suæ*. Et Josuæ edicit DEUS (b), *Ne discedat liber iste legis ab ore tuo, sed meditare in eo noctu & interdiu*. Et in Psalmo 2. vers. 10. qui Christiana tempora aperte respicit, *Intelligite Reges, erudimini Judices terræ*. Paruerunt his monitis Pii Reges Hebræi olim, postea Christiani: Hinc Theodosius & Valentinianus (c): *Inter ceteras sollicitudines quas amor publicus pervigili nobis cogitatione indixit, præcipuam Imperatoriæ Majestatis curam esse prospicimus Religionis indaginem, cujus si cultum retinere potuerimus, iter prosperitatis humanis aperitur inceptis*. Theodosius ad Hormisdam, *Inquisitio veræ Religionis præcipua est sollicitudo Imperialis majestatis*. Et Justinianus ad Epiphanium (d), *Nos maximam habemus sollicitudinem circa vera Dei dogmata & circa Sacerdotum honestatem*. Et Ricaredus Hispaniæ Rex, *At nunc, beatissimi Sacerdotes, non in iis tantummodo rebus diffundimus solertiam nostram, quibus populi sub nostro regimine positi pacatissime gubernentur & vivant, sed etiam in adjutorio Christi extendimus nos ad ea quæ sunt cælestia excogitare, & quæ populos fideles efficiunt, satagimus non nescire*. Arnulphus Lexoviensis Episcopus in Synodo ita loquitur, *Justitia Regiæ Majestatis per discretionem scientiæ dirigit & informat; informat ad virtutem, dirigit ad salutem*. Ostendunt ista tum præcepta, tum exempla rerum sacrarum cognitionem in Regem cadere.

9. Sunt tamen qui objiciant fieri non posse ut, qui tanta negotiorum mole distringitur, uni alicui parti vacet. Nos vero respondemus, quasi naturaliter inter se cohærere cognitionem universalium & nobilissimæ partis. Ita Metaphysicus omne id quod est considerat, & speciatim insuper mentes incorporeas. Ita physicus omne id quod movetur, præcipue vero celum. Eodem igitur modo Reipublicæ Architectus omnia quidem Reipublicæ studia generatim, speciali autem sollicitudine res sacras debet intueri. Neque vero sacrorum cognitio res tam intricata est, quam eam qui-

(a) *Deut.* 17. 8. (b) *Jos.* 1. 8. (c) *Nov. de Judæis. A. D.* 439. *Jan.* 31. (d) *A. D.* 515. *a Theodosii morte* 65. *Nov.* 6. *A. D.* 535. *A. D.* 589.

quidam videri volunt, *Theologia*, inquit Nazianzenus, *& Religio res est simplex & nuda, sine magno artificio divinis constans testimoniis, quam tamen prave quidam convertunt in artem difficillimam*. De iis loquor quæ ad corpus ipsum fidei & Religionisque pertinent. Nam sunt & alia partim Metaphysica, partim Historica, partim etiam Grammatica, quæ a Theologis solent magnis contentionibus & clamoribus agitari: quibus implicari Regis animum minime necesse est, non magis sane quam Juris apicibus, cum tamen τα πρωτα Juris omnino Regi cognitu sint necessaria. Tenere ille debet, quod, ut prudentissimus ait historicorum, difficillimum est, ex sapientia modum. Est quædam etiam sciendi intemperantia.

Ο' χρησιμ' ειδως ουχ' ο πολλ' ειδως, σοφος,
Non multa qui scit, sed quod est ex re, sapit.

Quod omnibus dicit Apostolus, debere eos φρονειν εις το σωφρονειν *sapere ad sobrietatem* (a) præcipue sibi dictum putent Summæ Potestates. Nam quæ ut idem ait Apostolus (b), *controversias magis præbent, quam ædificationem Dei, quæ per fidem*, tuto & decore seponent. *Nec enim quicquam*, ut olim Seneca dixit, *minus convenit quam subdola ista calliditas animis conantibus magna*. Ceterum in his, quæ scire Summam Potestatem expedit, quæque scire satis est, non deerit ipsi auxilium divinum, quo supplebitur facillime etiam quod alioqui per temporis angustias esset defuturum. Veterum quidam dixit, *plura se precando quam legendo didicisse*. Non est surdus DEUS ad has Ecclesiæ preces; *DEUS judicia tua Regi da, & Justitiam tuam filio Regis* (c). *Sapientiam tuam absconsam scire me fecisti*, inquit David (d). Adolescens erat Salomon, nescire se fatebatur *quomodo gressus suos regeret* (e), perculerat ipsum populi multitudo, negotiorum moles: *Quis*, inquit, *judicare poterit populum istum tantum?* DEUM igitur orat, largiatur sibi *cor intelligens ad judicandum populum; ad discernendum inter bonum & malum*. Quid Deus? *Quando*, inquit, *non longævitatem, non opes, non animam inimicorum postulasti, sed intelligentiam ad audiendum judicium, ecce feci juxta verba tua: Ecce dedi tibi cor sapiens & intelligens*. Deus & natura, ut dici solet, non desunt in necessariis. Quare cum a DEO Imperia sint ordinata & quidem præcipue ad veræ religionis tutelam, quid tam convenit divinæ bonitati, quam ut pie orantibus ea suppeditet, quæ ad functionem recte obeundam sunt necessaria? Neque enim credibile ea, sine quibus recte imperari nequit, cuipiam oranti negaturum, qui in veteri fœdere sæpe etiam peculiari prophetiæ dono Potestates instruxerit. Salomon in parabolis (f): *Vaticinatio insidet labiis Regis, in judicio non prævaricatur os ejus*. Cum Moses Dux summus, idemque summus Propheta Synedrion instituisset LXX. virûm, dicitur DEUS *de Mosis spiritu sepofuisse* quod illis inderet: factumque ut *residente super ipsos Spiritu* prophetas agerent singuli (g). Mosi in Ducatu successit Jesus Nuni Filius, *plenus & ipse spiritu sapientiæ* ex quo manus ipsi impositæ fuere (h). Saul in Regem unctus impletur prophetico spiritu, & *mutatur in*

(a) *Rom.* 12. 3. (b) 1. *Tim.* 1. 4. (c) *Psal.* 72. 1. (d) 51. 8.
(e) 1. *Reg.* 3. 7. (f) *Proverb.* 16. 10. (g) *Num.* 11. 17. & 25.
(h) *Deut.* 34 9.

in virum alium: ita enim loquitur Scriptura. David ex quo Rex, semper propheta: nec minus Salomon: plane ut qui historiam veteris Testamenti diligenter evolverit, plures sit reperturus Principes Prophetas, quam Prophetas Sacerdotes. Sed hæc illo nimirum tempore, quum *DEUS multifariam* multisque modis locutus est patribus per Prophetas (a); Illis indens & patefaciens per illos voluntatis suæ arcana. *Ultimis vero diebus per Filium locutus est*, in quo DEUS Pater omne suum de salute humana consilium aperuit. Post hunc non jam plures Magistri, sed unus Magister Christus (b), *ex cujus plenitudine omnes accepimus*. Non igitur ulla jam (ut olim) nova requiritur patefactio, sed patefactæ voluntatis perpetua promulgatio; Nec est quod de obscuritate aut subtilitate quisquam queratur; *prope nos verbum est in ore nostro, in corde nostro* (c). Neque cuiquam tecta est hæc doctrina, nisi cui Satanas *mentem excæcaverit* (d). Ideoque *omnes*, ut modo attigimus, dicuntur *a DEO edocti, omnes DEUM cognoscentes*, impleto scilicet eatenus per Christum voto Mosis, qui optaverat *ut populus omnis prophetæ essent* (e). Quod si Christianis omnibus, in quibus tot sunt rudes & occupati, qui manuum perpetuo labore victum sibi quæritant, facilis & parata est Evangelicæ doctrinæ intelligentia, quid est quod a tam generali beneficio Reges possit excludere; præsertim cum Apostolus universale enunciatum *velle ut omnes ad agnitionem veritatis veniant* (f), specialiter applicet Regibus? Hac fiducia incensus Theodosius Imperator, cum inter plurimas sectas in fidei causa Judicium proferre deberet, in arcano divinam opem imploravit, quæ imploranti non defuit. Non defuit eadem Justiniano, qui talem edidit fidei confessionem, ut vere dixerit Contius, *a nullo Patrum Episcoporumve editam aut pleniorem aut luculentiorem*. Et sane tum quæ ad salutem creditu factuque sunt necessaria, tum quæ etsi necessaria non sunt, magnum tamen in Ecclesia momentum habent, ea & pauca sunt numero, & obvia se cuique præbent, clare nempe emicantia, primum quidem in sacris literis, deinde vero in perpetuo purioris Ecclesiæ consensu. Cætera vix est ut Summæ Potestati negotium facessant. Et tamen, si quid inopinum minusque præmeditatum emerserit, quod in profanis sæpius quam in sacris accidit, sumat tempus & fida consilia. Illud Hesiodi meminisse debemus,

Οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει,
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ille quidem ante omnes per se ipse quid utile, quid non
Qui videt . . . — —
Qui bene consultis didicit parere, secundus.

10. De cognitione hactenus. Pars altera quam in Summa Potestate requirimus, est pietas. Nulla sane virtus magis regia. Hinc Hebræorum Regi præcipitur, ut *discat timere DEUM, & observare verba Legis* (g). Josue, *ne ab eo præscripto discedat dextrorsum aut sinistrorsum* (h): nec aliud Regibus toties inculcant sancti Vates. Duo ergo vitia fugienda Summæ Potestati: Primum & ante omnia μεγίστη

(a) Hebr. 1. (b) Matth. 23. 8. (c) Rom. 10. 8. (d) 2. Cor. 4. 3. 4. (e) Num. 11. 29. (f) 1. Tim. 2. 4. (g) Deut. 17. 19. (h) Jos. 1. 7. 8.

νοσῶν ἀθεότης *maximum vitiorum impietas*; deinde vero *Superstitio*, quæ animum effœminat & generosa consilia evertit. Optime sibi ab utroque abrupto cavebit, si illud Apostolicum sæpe cogitet (a), *Finis mandati est charitas ex mundo corde & conscientia bona & fide non simulata: a quibus nonnulli, ut a scopo aberrantes divertunt ad vaniloquentiam, volentes esse legis doctores, cum non intelligant ea quæ loquuntur, nec ea de quibus adseverant*.

11. Diximus quæ ad recte exercendum Imperium in Summa Potestate requiruntur. Cæterum diligenter notandum est requiri ista, ut tota actio Imperantis sit recta, non ut actus sit ratus, quæ duo diligenter distinguenda sunt. Exempli gratia, Judex aliquis juris imperitus sententiam protulit, peccavit ille, neque tamen nulla est sententia, sed nisi appellatio subsequatur, transit in rem judicatam. Privatus cui bonis interdictum non est, temeraria largitione rem suam donavit alteri, vitiosa est actio; valet tamen alienatio. Si æquo duriores sint parentes in liberos, Domini in servos, culpa non carent; neque eo minus tamen ipsorum Imperiis obtemperandum est. Et mille sunt alia ejusmodi. Causa hæc est, quod ut ratus sit actus pauciora requiruntur quam ut recta sit actio. Nam ut recta sit actio, *necesse est* ut procedat ex intellectu bene informato, & honesto animi proposito; *deinde ut* adsit modus & circumstantiæ debitæ; Ut actus sit ratus nihil aliud requiritur nisi ut sit in jure agentis. Jus hic vocamus facultatem moralem, quam justitia specialis considerat, quale est *Dominium*, *Imperium*, *Jus habendæ servitutis*, *Jus activæ obligationis*. Est autem actus aliquis extra *jus agentis* aut absolute aut relate: Absolute extra jus agentis sunt omnia quorum effectus sunt illiciti per se, aut ex lege jam existente: Relate, quorum effectus, etsi liciti sunt, non tamen subsunt potestati agentis. Quare naturaliter & seclusa lege positiva nullus actus esse potest irritus nisi cujus effectus aut vitium habeat inseparabile, aut extra jus sit agentis. Priori modo irritum est Imperium Patris, Domini, Regis, quo quis jubetur mentiri, aut Idolum adorare. Posteriori modo irritum est Imperium Domini in servum alienum, Regis in non subditum; Item cujuscumque hominis in actiones mere internas, & quæ ad externas nullo modo referuntur. Concludimus ergo vitium, quod in intellectu sit aut in animo, imperandi actum non reddere irritum; ac proinde cum constet per ignorantiam veræ Religionis, aut etiam affectum veræ Religioni contrarium, nec patrem paterno, nec maritum maritali, nec Dominum Dominico, nec Regem Regio jure excidere.

12. Sequitur rata esse etiam de Sacris Imperia Summarum Potestatum, quæ de rebus divinis non recte sentiunt, aut DEUM non recte colunt, modo cum lege DEI non pugnent: quod exempla quoque evincunt. Impius erat Pharao, non ausus tamen Hebræorum populus ad sacrificandum fines Ægyptios egredi, nisi ejus permissu. Quia scilicet ipsum quidem sacrificium erat a DEO imperatum, ac proinde extra jus Regis, sed locus divina lege indefinitus, ac proinde non exemptus obedientiæ quæ Regi debebatur. Nabuchodonosorem veræ Religionis sensu penitus imbutum fuisse nemo, arbitror, adseveraverit. Hujus lex ut de colendo idolo irrita, ita de probris non afficiendo DEO Israelis proba ac rata. Cyrum & qui post eum Persis

(a) 1. Tim. 1. 6. 7.

Persis imperarunt, falso Deorum cultu implicitos fuisse, loquuntur historiæ: tamen horum sine venia nefas Hebræis Templum DEO vero reponere. Quamquam vero Pii ortas inter se occasione sacrorum controversias alio quovis modo componendas potius censuerunt, quam ut alienis a vera fide cognitio earum deferretur, tamen & vocati ab aliis Judices eos agnoverunt, & temporum necessitate eo sæpe adducti sunt, ut ipsi eorum judicia implorarent, gnari scilicet jus Judicandi illis etiam competere posse, qui aptitudinem ad recte judicandum requisitam non habeant. Controversia de Templo Hierosolymitano & Garizitano a Judæis & Samaritania Ptolomæo Rege Ægypti Judice disceptata est, & quidem ex lege Mosaicâ (a). Quanquam enim Rex ipse Mosaicis institutis non adhærebat, judicare tamen poterat, recteque judicavit utrum Templum, uter cultus, utrum sacerdotium ei legi congrueret, ex qua faciendum judicium inter partes constabat. Impia erat pars Judaici Synedrii Apostolorum tempore: non tuentur se fori exceptione Petrus & Joannes: imo aperte Judices agnoscunt. *Judicamur*, inquiunt, *de beneficio in hominem infirmum collato* (b). Status controversiæ erat, *An liceret sanare quemquam in nomine JESU*; probat licere Petrus, quia JESUS a DEO constitutus esset caput Ecclesiæ, *auctor salutis*, idque ipsum resurrectione ipsius & antegressis oraculis confirmat. Cum vetaretur ab ipsis *docere in nomine JESU*; *ipsi*, inquit, *judicate an DEO magis parendum quam hominibus*. Non deerat ergo ipsis Judicandi potestas de re gravissima, *an JESUS esset MESSIAS*. Et si ex vero Judicarent, rata fuisset, quamquam impiorum, sententia. Impius erat Felix, sed Romani Imperatoris vicem gerens: accusatur apud eum Paulus a Tertullo; plura illi objiciuntur crimina, inter cætera quod *Princeps esset sectæ Nazaræorum* (c). Negat alia, hoc fatetur, nempe a se *DEUM coli secundum eam viam, quæ secta diceretur*. Quæritur ergo, an hoc crimen sit? & hoc unum est των κρινομενων eorum de quibus quæritur, *Judicor*, inquit, *de resurrectione mortuorum*, hoc est, de capite præcipuo fidei. Eadem mox controversia apud Festum agitata, in quo Jus judicandi Paulus agnoscit, *hic*, inquit, *oportet me judicari*. Rursus injuriam Judicis metuens, *Cæsarem appellat*, summum scilicet ex jure Judicem, apud quem causam egit non suam tantum, sed & Evangelii. Quærebatur enim an crimen esset docere Evangelium. Negabat Paulus hoc argumento, quod Evangelium vera ac salutaris esset doctrina; hac de causa judicem cum Imperio agnoscit optimus Apostolus Principem pessimum: qui si Paulum, ut debuit, absolvisset (quod in prima actione fecisse a multis creditur (d).) rata fuisset ejus sententia, & omnino jus fecisset contra Judæos: At cum illum & in illo Evangelium condemnavit, irrita fuit sententia, nempe, ut Paulus ita docere desisteret: rata vero ne pœnam expetenti resisteret (e). Justinus Martyr, aliique Christianorum doctissimi, libellos Imperatoribus non Christianis obtulerunt, nimirum ut Christianæ fidei veritatem illis Judicibus approbarent. Cum Paulus Samosatenus ab Apostolica doctrina immensum desciceret, & tamen possessionem Episcopatus Antiocheni vellet retinere, res ad Aurelianum Imperatorem delata est, alienum a Christiana fide, qui (re cognita) decrevit Paulum Epi-

(a) *Jos. Antiq. lib.* 13. *c.* 6. (b) *Act.* 4. (c) *Act.* 24.
(d) 2. *Tim.* 4. 16. 17. 18. (e) *Euseb. Hist.* 7. 22.

Episcopatus possessione dimovendum (a). Quæstio hic erat, an Paulus Samosatenus congruentia legi doceret. Facile enim constat non pió quidem sed æquo Gentis Imperatori, non esse in Episcopatu Christiano tuendum qui Christianæ religioni contraria doceret; neque obscurum esse poterat, quid Apostoli, quid Apostolorum successores Ecclesias omnes edocuissent de Mundo per Christum Condito, de Verbo quod *ab initio erat*, & quod *postremis temporibus* in carne humana Mundo apparuerat. Archelaus Episcopus contra Manetem hæreticum (unde Manichæis nomen) disputavit (*), Marcello viro illustri Judice, qui assessores sibi illius Judicii legerat Philosophum, Medicum, Grammaticum & Rhetorem, omnes paganos. Athanasius (1) Laodiceæ contra Arrium (2) fidem Catholicam defendit, Probo gentili Judice, vice Imperatoris præsidente, qui & causam Athanasio adjudicavit. Nimirum cum inter partes constaret ex Evangelica fide faciendum de ipsorum doctrina Judicium, prolatis libris facile constitit ea lege nec multitudinem Deorum, nec bynionem admitti. Idem Athanasius, aliique Pii Antistites apud Constantium, apud Jovinianum (3) aversiores a vera fide Principes, causam τῦ ὁμοουσίου *ejusdem essentiæ* agere dubitarunt. Idem postea sæpissime fecerunt recte sentientes Episcopi. Cum Vandali non Africam obtinerent, paratus fuit Eugenius Catholicæ fidei Episcopus, *Hunnerico* Rege, Arriano Judice, contra ipsos Arrianos disputare, sed ab illis conditio repudiata est. Etiam orto Romæ certamine, Episcopi res delata est ad Judicium Regis Theodorici, ut Anastasius loquitur; is autem erat Arrianus. Insignis est locus Confessionis Basileensis: *Quilibet Christianus Magistratus omnes vires eo dirigit, ut apud suæ fidei commissos nomen DEI sanctificetur; regnum ipsius propagetur; ipsiusque voluntati cum seria exstirpatione scelerum vivatur; hoc officium gentili Magistratui injunctum fuit, quanto magis Cristiano Magistratui commendatum esse debet, ut vero DEI Vicario?* Quid Ecclesiæ Belgii reformatæ hac de re senserint, quantumque ab earum sententia nonnulli hodie abeant, qui se ut unicos Ecclesiarum patronos venditant, ex libello apparet, qui Philippo Hispaniarum Regi, tunc cum maxime in Ecclesias sævienti, oblatus est: *Tuum est*, inquiunt Ecclesiæ, *judicare. Tuum erroribus te, quantumvis adultis, opponere. Tuum, quamquam a veritate adhuc alienus, Tuum, quamquam veritati infestus es. Jus hoc tibi DEUS dedit: & si jure tuo utaris, potest te DEUS magis magisque aptum huic officio reddere.* Similia videre est in Calvini Epistola ad Franciscum Regem, ubi de religionis causa integram ab ipso cognitionem postulat, rem clamans dignam ipsius tribunali. Et quidni ita loquerentur Ecclesiæ piique Doctores, qui scirent Sergium Paulum Proprætorem virum fuisse intelligentem, Christianum non fuisse, cum inter Paulum Apostolum & Elyman Magum Judex sederet, sed inter judicandum factum esse ut crederet (b): quod & Regi Agrippæ pro tribunali juxta Romanum Præsidem sedenti, paulo minus

---

(a) *Domus Episcopalis possessionem post damnationem doctrinæ, & exauctorationem a Synodo factam retinebat. Vide Euseb. lib. 7. cap. 30.* (*) *Anno circiter.* 275. (b) *Act.* 13.

(1) *Finxit id Virgilius Taps. anno ab Athanasii obitu circiter* 122.

(2) *Non solum contra Arrium, sed etiam contra Sabellium antequam nasceretur Athanasius mortuum.* (3) *Jovinianus inter eversos non fuit.*

nus evenerat; *Propemodum*, inquit, *mihi persuades ut Christianus evadam* (a). Et cum narratur Proconsul Achaïæ Gallio judicium de legis Judaîcæ quæstionibus a se rejecisse, apparet non in laude id, sed in vitio poni; inde enim factum ut illatas Sostheni injurias vindicare negligeret (b). Quamquam ergo homo spiritu divino regenitus aptissimus sit rerum spiritualium Judex, & omne rectum de rebus divinis judicium divinitus homini contingat: tamen illuminationis donum, quod intellectum spectat (in quo est judicium) multis etiam non regenitis dari, nemo hactenus negavit. Neque a quoquam reprehensus antehac est Augustinus, cujus hæc exstat & quidem in libro (c) in quo gratiam operose defendit, sententia: *Apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Et sane quî potest dici nullis nisi vere credentibus de sacris rebus verum judicium competere, cum ad ipsam fidem non veniatur nisi judicio? Itaque omnibus dictum est, *Scrutamini scripturas* (d), & laudantur Beroenses, quod audita Pauli & Silæ prædicatione ανεκρινον τας γραφας *scrutati sunt scripturas* (e), an res ita se haberet. Non est autem ανακρινειν *scrutari*: cui non adsit το κρινειν *judicium*: ideoque Syrus interpres sensum recte expresfit: *Dijudicantes ex Scriptura.*

13. Si ergo nondum credentibus jus de sacris judicandi aliquod competit, privatis quidem ad actus privatos, Potestatibus autem ad actus publicos; quanto minus a judicio par est eos excludi, qui veræ doctrinæ adsentientes, animi quadam infirmitate a participatione Sacramentorum adhuc abstinent, præsertim cum Constantinus Imperator, probantibus & laudantibus Episcopis, leges de sacris tulerit, Synodos convocaverit, in Synodo & post Synodum judicaverit, inter Catholicos quoque & Donatistas Judex sederit, nondum baptizatus? Quod & Valentiniano accidit, qui, cum de sacris plurimas tulisset leges, sine baptismo hac vita excessit. Multo autem minus ferendum est Summis Potestatibus Judicium hoc obtentu eripi, quod non sint satis peritæ omnium earum rerum quæ a Theologis solent disputari: quæ ratio si valet, quis non videt, quam multi Pastores etiam boni & fideles omni judicio priventur? Potest enim Pastoris partes satis recte aliquis explere, qui tamen doctoris muneri par non sit.

14. Deinde si id argumentum admittitur, eodem jure Legum-periti in partes civilium Judicum involabunt: sunt enim ad judicandum aptiores. At contra videmus de testamentis & contractibus, rebusque aliis Judices sedere in Urbibus, multoque magis in agro, bonos magis quam jurisperitos. Quid quod in quæstione de homicidio judicandum est sæpe ei qui medicinam non didicerit: quod vulnus sit lethale, quod non, posfintne in mensem undecimum partus differri, multaque alia ejusmodi. E quibus apparet non esse *aptitudinem judicandi* cum *jure judicii* publici sive imperativi confundendam. Neque enim aut aptissimus jus istud habet, aut qui per se aptus non est, jus ipsum amittit. Felices fore dixit Civitates Plato, si aut Philosophi regnarent, aut Reges Philosophi fierent. Neque tamen Philosopho licet Regium Solium invadere, neque Rex ideo regni jure excidit, qui sapientiæ operam non dedit.

15.Vi-

(a) Act. 26. 28. (b) Act. 18. 14. (c) *De Bon. persev. cap.* 14. (d) Jon. 5. 30. (e) Act. 17. 11.

15. Video illud objici, *Spiritus Prophetarum Prophetis subjectos esse* (a): Veteres multi tum Græci tum Latini eum locum ita sunt interpretati, quasi diceret Paulus, non debere eos qui prophetiæ afflatum sentiunt, omnes simul eodemque momento ad populum loqui; sed exspectandum alteri dum alter qui loqui cœperit sermonem absolverit: neque esse quod quisquam dicat, non posse a se dona spiritus impediri, cum neutiquam arreptitiis sint similes, quos afflat DEI spiritus, sed istorum donorum usus a DEO hactenus subjectus sit eorum arbitrio quibus conferuntur, ut ordinis & ædificationis causa, aut exseri possit aut ad tempus inhiberi, alioquin enim *DEUM* causam fore *confusionis*, cui tamen certum sit pacem & ordinem maxime placere. Hanc interpretationem cum series verborum Apostoli minime repudiet, cur rejicere debeamus non video. Neque tamen interpretatio altera, quæ tradit Prophetas pati debere, ut alii itidem Prophetæ de ipsorum prophetiis judicent, ad hanc rem quicquam facit. Nam primum, cum illud donum singulare prophetiæ, ut & sanationum & linguarum, inchoandæ Ecclesiæ mirifica DEI virtute concessum fuerit, non potest a re quæ dudum desiit ad nostra tempora argumentum recte produci. Et ut maxime isti admirabili dono, quod ex futurorum quoque prædictione certo cognosci poterat (b), conferre liceat qualemcumque Theologicarum rerum peritiam humano labore acquisitam, non tamen obtinebunt, quod volunt, qui ad Pastores omnes & solos hoc trahunt. Nam & pastores multi sunt rerum Theologicarum non nimium periti, & quidam extra Pastores earundem rerum periti reperiuntur. Postremo, cum diversa sint, ut supra diximus, Judiciorum genera, uno posito cætera non tolluntur. Judicat de morbo aut vulnere Medicus, judicat & Judex, si res in forum deducta sit, judicat æger ipse. Etiam cum Prophetæ in Apostolica Ecclesia judicarent, dictum est singulis Christianis, δοκιμαζετε τα πνευματα *probate spiritus*: quin & regulam addit Joannes (c), ex qua fideles singuli Spiritum DEI a spiritu Antichristi internoscerent. Cui respondet illud Pauli ad Thessalonicenses: *Spiritum ne exstinguite, Prophetias ne pro nihilo habete, omnia explorate, quod bonum est, retinete* (d). Explorare autem hoc & internoscere procul dubio judicii actus est. Et in illo Apostoli loco (e), *Duo aut tres Prophetæ loquantur*, οἱ αλλοι διακρινετωσαν *ceteri dijudicent*; Patres antiquissimi exterorum vocabulo non Prophetas alios, sed omnes e populo intelligunt: non sine magna ratione, cum alibi (f) quoque διακρισιν πνευματων *discretionem spirituum*, ab ipso dono prophetiæ distinguat idem Apostolus; unde apparet aut donum quoddam Christianis commune ab ipso intelligi (nam & fidem distinctam a dono miraculorum donis annumerat) aut eximiam quandam facultatem judicandi de Prophetiis quæ quibusdam non prophetis contingeret. Ipse Apostolus Paulus Corinthios de eo, quod loquitur, jubet *judicare* (g). Sancti quoque Patres ad populi totius judicium sæpe provocant, ut Ambrosius (h), *Iste populus judicet cujus in corde lex est divina*. Hæc eo attulimus, ut pateat nullo unquam tempore judicium de rebus sacris & doctrina penes solos Prophetas fuisse.

16. Ex antedictis intelligi potest, quale sit illorum effugium qui ad deprompta de ve-

(a) 1. Cor. 14. 32. (b) *Deut.* 18. 22. (c) 1. *Epist.* 4. 1. (d) 1. *Thess.* 5. 18. 19. 20. 21. (e) 1. Cor. 14. 29. (f) 1. Cor. 12. 5. (g) 1. Cor. 11. (h) *Ep.* 33.

de veteri fœdere argumenta ita excipiunt, ut dicant quæ a Regibus facta sunt, facta non ut a Regibus, sed ut a Prophetis. Nam si prophetiæ nomine mandatum DEI speciale ipsis insinuatum intelligunt, hoc quidem de factis, in quibus hoc non exprimit Scriptura, mera est ariolatio, non firmitate tantum carens, sed & probabilitate destituta. Quid enim speciali mandato opus, ubi lex communis exstat, nisi forte apud officii sui negligentes? Sin prophetiæ nomine clariorem quandam voluntatis divinæ obscurius illis temporibus propositæ intelligentiam significatam volunt, libenter fatebimur illos ut Prophetas (quando ita loqui jubemur) certius scisse quid esset imperandum; imperasse autem ut Reges: Ideoque Scriptura sacra in rerum istarum narratione, nomine proprio non contenta, nomen addit *Regis*: ut significaret Jus agendi a Regio Imperio proficisci: Ideoque Regibus imitandum proponi. Quare nos quoque dicamus, si quid de Sacris imperant Reges Christiani, jus imperandi habere ut *Reges*, peritiam ut *Christianos*, hoc est, ut edoctos a DEO, quorum mentibus inscripta est Lex divina, multo clarius quam olim Regibus & Prophetis: *Multa enim Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ Christi discipuli viderunt, nec viderunt: & audire quæ audierunt, nec audierunt* (a).

CAP. VI.

DE MODO IMPERII CIRCA SACRA RECTE EXERCENDI.

SUMMARIUM.

1. Distinctio inter jus & modum Juris recte exercendi. 2. Audiendos Summæ Potestati pios & doctos Pastores. 3. Principia in quibus fundatur fides intrinseca aut extrinseca: extrinseca divina aut humana. 4. De divina auctoritate per homines proposita, ubi status controversiæ inter Pontificios & Evangelicos explicatur. 5. Humanæ auctoritati acquiescere quando oporteat. 6. In causa fidei salutaris, neminem tuto acquiescere alienæ auctoritati probatur ex S. Literis & ratione. 7. Solvitur objectio ex Deuter. vers. 17. & similibus. 8. Solvitur objectio ex loco Num. 27. 21. 9. Concordiæ Ecclesiæ studendum & quomodo id fieri possit in dogmatibus & præceptis divinis. 10. Legibus de sacris addendam persuasionem. 11. In ritibus quomodo concordia Ecclesiæ retineri possit. 12. Summæ Potestati in sacris opus aliorum Ministerio. 13. Regulas Prudentiæ habere suas exceptiones, & unde. 14. Summa Potestas suis legibus an obligetur & quatenus.

QUÆNAM in ipso Imperante requirantur ut circa Sacra recte omnino imperet, diximus. Supereſt videamus, quid ab ipso Imperante eundem in finem requi

(a) Luc. 10. 24.

quiratur, qui locus est de optimo modo juris exercendi. Minime enim sequendi sunt nobis qui juris quæstionem cum hac quæstione de modo utendi juris passim confundunt. Jus enim agendi præeat necesse est in eo cui recte agendi modos præscribas; quos invenire prudentiæ est, cum jus ipsum ad specialem Justitiam pertineat. Longeque est aliud alienum invadere, aliud suo minus provide uti. Hæc autem de modo agendi tractatio patet longe lateque: neque tanta rerum, temporum, locorum, personarum varietas paucis præceptis comprehendi potest. Nos, quantum instituto satis sit, summa quædam delibabimus.

2. Primum ergo monendus est qui Summo Imperio fungitur, ut tum in inquisitione earum rerum, quæ lege divina ut credenda, aut agenda definiuntur; tum in consultatione super his quæ prodesse possunt Ecclesiæ, libenter audiat sententias Pastorum pietate atque eruditione insignium. Faciendum hoc in rebus ambiguis docet ratio & notitia communis. Non omnia enim unus videt, non audit. Ideo multi Regis oculi, multæ aures esse debent ex vetere Persarum instituto; sapiunt enim Principes sapientum commercio. Quæ si in profanis negotiis vera sunt, quanto magis in Sacris, ubi periculosissime erratur? Exempla huic rei probandæ congerere nihil necesse est. Illud magis operæ pretium videre, quousque judicium Summi Imperantis directivo Pastorum judicio acquiescere posit & debeat.

3. Sciendum ergo judicium omne humanum fundari aut in principiis quæ rei insunt, aut ex principiis extrinsecis. Principia quæ rei insunt, aut sensui objiciuntur aut intellectui. Ex principiis objectis sensui judicamus nivem esse albam; ex principiis intellectui objectis, judicamus veras esse propositiones Mathematicas, quia ad communes notitias reducuntur. Extrinsecum principium *auctoritas* dicitur, estque divina aut humana: Divinæ in rebus omnibus simpliciter acquiescendum nemo dubitat; Ita Abrahamus judicare debuit immolandum a se filium. Noe futurum diluvium debuit credere. Humanæ vero auctoritati nemo tenetur acquiescere, nisi qui neque ex Divina auctoritate, neque ex principiis rei internis, judicii exitum potest reperire. Licet tamen acquiescere in rebus omnibus quarum indago nobis mandata non est. Ita æger recte facit si pharmacum sumat a bonæ famæ medico præscriptum, imo periclitante valetudine tenetur etiam sequi medicorum consilia, si ipse non sit ejus ingenii atque artis, ut ex naturalibus principiis certi aliquid posit assequi.

4. Divinam auctoritatem quod attinet, Deus quædam & aperit & proponit ipse, alia aperit ipse & per alios hominibus proponit, ut per Angelos, Prophetas, Apostolos. Quoties per alios res proponitur, hic ut certo acquiescat animus, necesse est nobis constet eum qui proponit in eo ipso quod proponit, nec falli posse nec fallere. Hanc autem certitudinem adipiscimur aut alia divina patefactione; ut de Petro Cornelius, de Anania Paulus; aut per signa divinæ virtutis indubitatum veracitati proponentis testimonium præbentia. Per hos modos factæ propositioni omnino acquiescendum nemo Christianus ambigit. Sed inter Romanensium subtiliores & Evangelicos hic est verus controversiæ status: *An post Apostolorum ætatem aut persona aut cœtus sit aliquis adspectabilis, de qua quove certi esse possimus ac debeamus, quæcumque ab ipsis proponuntur, esse indubitatæ veritatis*. Negant enim hoc Evangelici: ajunt Romanenses. Huc ergo præcipua hæc quoque de Imperio circa sacra lis recidit. Non negant enim Romanenses *debere Reges imperare de Sacris*, quod Hartus Renoldo concessit: non negant etiam omne Imperium procedere a Judicio Impe-

perantis, quod Suarezius diserte affirmat. Vicissim non negant Evangelici, si quod
sit inter homines divinum oraculum, si qui Prophetæ ἀναμάρτητοι falli nescii, tam
Regum quam privatorum judicium ad eam regulam dirigendum; ita ut contra nec
Regibus Imperare, nec privatis aut agere fas sit. Omne enim humanum Imperium,
omnis item actio Imperio divino subjacet: *sed an post Apostolos tale aliquod oracu-*
lum existat, hoc est, de quo quæritur. Et hæc quoque quæstio tandem in unum
Pontificem Romanum contrahitur. Nam pastores singulos, Reges quoque, & priva-
tos, Synodos Provinciales, nationales, Patriarchales, illas etiam quæ ex toto or-
be Romano collectæ sunt, falli posse ac solere, nemo est qui inficiari audeat.

5. Posito ergo quod verissimum est, & quidam Romanensium de ipso Pontifice
concedunt, *nullum esse hominem qui falli non possit*, aut de quo id nobis constet,
nullam quoque congregationem adspectabilem; videamus quatenus unusquisque alienum
judicium quod falli possit, sequi teneatur. Primum ergo universaliter alienum *Judi-*
cium directivum nemo sequi tenetur. Et hoc est quod olim dixit Chrysostomus hac
de re agens (*a*): *Quomodo aliorum sententiam simpliciter sequi non absurdum?* Fieri
enim potest, ut aut ex extrinsecis rei principiis, aut ex Divina auctoritate certo nobis
constet, tale judicium falli. Agnoscunt Panormitanus & Gerson privato alicui sententiam
suam in Evangelio fundanti plus esse credendum quam Romano Pontifici. Ita Synodi
Ariminensis judicio cedere non debuerunt Pii Antistites ex Evangelio edocti, *Verbum*
esse DEUM, & DEUM non esse nisi Unum. Deinde, etiam cum animus non
aperte contrarium testatur, nemo tamen præcise obligatus est sequi alienum judicium
directivum: quia scilicet ipsi licet quoque inquirere & tentare, an ad certam veri
cognitionem possit pervenire. Tunc ergo demum sequi tenetur, cum ingenii vitio,
aut temporum angustiis, aut occupationibus aliis ab inquisitione avertitur. Ita Ju-
risperiti nos docent *Judicem non alligari* omnino judicio medici in vulneris quæstio-
ne, aut agrimensoris in finibus regendis, aut calculatoris in exigendis rationibus:
sed ipsum re diligentius expensa id statuere posse quod verum æquumque esse intel-
ligat.

6. Jam vero, quod est amplius, in causa fidei salutaris nemo potest tuto acquie-
scere alieno judicio directivo. Causa est non tantum, quia res fidei plane & aperte
omnibus sunt propositæ (*ita ut Clemens Alexandrinus* (*b*) inanem vocet prætextum,
sumptum ex diversis interpretationibus, *volentibus enim*, inquit, *licebit invenire verita-*
tem); sed imprimis quod fides illa non sit fides, nisi in divina auctoritate acquiescat;
quod ipsi quoque Romanenses fatentur. *Credidit Abraham DEO ac imputatum est*
illi in justitiam (c): item *fides ex auditu; auditus autem per Verbum* DEI (d).
Possunt ergo ad fidem aliqui duci per alios, ut per mulierem Samaritani: sed tum
demum vere sunt credentes, *cum non propter alienam loquelam credunt, sed quia ipsi*
audiverunt & sciunt quod JESUS est Servator Mundi (*e*). Hinc illud apud Pro-
phetam (*f*): *Justus fide sua vivet*, sua, non aliena. Hinc fidei πληροφορία plena
persuasio tribuitur. Reprehendendus ergo non fuit Serenissimus Britanniæ Rex, quod
dixerit, *Unumquemque super scientia propria fidei fundamentum collocare debere*. Ut
nec

(a) 2. Cor. Homil. 13. (b) 7. Stromat. (c) Rom. 4. 3. (d) 10. 17.
(e) Joan. 4. 28. (f) Hab. 2. 4.

nec Zanchius, cujus sunt hæc verba ad nostram controversiam præcipue pertinentia (a): *Pii Magistratus officium est, primum quidem cognoscere ex Verbo DEI in genere & ad summam Capitum fidei, quæ sit vera & Christiana religio, quæve Apostolica doctrina, ad quam referendæ sunt Ecclesiæ: ut nihil ex solo aliorum judicio, sed ex certa sua scientia in re præsertim tanti momenti agat, agereve audeat.* Et alibi (b): *Scientia Principi necessaria est, quia quod agere instituit, illud intelligat, idque non alieno intellectu, sed suo, suisque oculis videat, non alienis; nihil enim perniciosius est aut Reipublicæ aut Ecclesiæ, quam si Princeps omnia agat ex aliorum duntaxat judicio: atque hinc profecta est tota Ecclesiæ Romanæ ruina.* Et hoc ipsum est quod Eliensis Episcopus dixit, non frustra Regi præceptum, *ut Legem sedulo meditetur: nec hoc illi dictum ut totus ab alieno ore pendeat, ipseque a se nihil dijudicet.* Quod de fide, idem de cultu divino dici verissime potest. *Frustra* enim, inquit DEUS (c): *me colunt docentes doctrinas* ενταλματα ανθρωπων *mandata hominum.* Hinc Paulus Thessalonicenses laudat (d), quod *sermonem* suum *acceperint, non ut sermonem suum, sed ut sermonem DEI, qualis erat re vera.* In his ergo quæ per legem divinam definita sunt, in partem alteram *judicio* alterius *declarativo* (quam *directivi* speciem diximus) nemo tenetur, neque recte conscientia potest acquiescere. In altera specie *directivi Judicii*, quod *suasorium* appellavimus, cum circa ea versetur quæ lege divina definita non sunt, plusculum tribui potest alienæ auctoritati, nec nimium tamen. Nam ut non laudantur ιδιογνωμονες *qui propriæ pertinaciter inhærent opinioni*; ita nec illi, qui ut ligna quædam alienis ducuntur nervis. Et proprie hæc consilii atque Imperii est differentia; quod Imperia legi divinæ non pugnantia omnino obligant; at consilia non item. *Ubi consilium datur,* inquit Hieronymus, *offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis.* Chrysostomus, ὁ συμβουλευων λεγει τα περι ἑαυτου ουκ αναγκαζων ακροατην αλλ' αυτον αφιησι της των λεγομενων αιρεσεως κυριον, *qui consilium dat quod sibi videtur dicit, nec cogit auditorem, sed liberum ei relinquit, ut quod ex usu putet, eligat.* Præcipue vero judicium suum interponere debet Potestas Summa, quoties consiliantium sententiæ discrepant, quas ponderare tutius quam numerare. Et in scientia quidem juris privati, medicina, mercatura rebusque aliis, non excusabilis tantum, sed sæpe laudanda quoque est Summæ Potestatis ignorantia, ob majores melioresque occupationes. At cognitionem regendæ Ecclesiæ negligere illi non licet, cum nihil sit hoc uno præstantius, nihil ad incolumitatem Reipublicæ momenti majoris: Ita ut doceant nos Historiæ eos omnes, qui hoc munus plane in alios rejecerunt, ab hominibus circumventos, a DEO quoque punitos, aut regno excidisse, aut regio retento nomine mancipia factos alienæ libidinis.

7. Quæ contra opponi solent ex veteri Testamento ut probetur, omnino sequenda de sacris Regibus Pastorum judicia, nihil minus evincunt. Primus est locus Deuter. 17., ubi Israelitæ jubentur *facere juxta Verbum Judicii, quod ipsis annuntiabant sacerdotes.* Sed manifestum est ibi idem dici de Judice: neque agi de negotiis sacris peculiariter, sed agi de quavis lite capitali sive pecuniaria, *si latuerit aliquid*

(a) *Cap.* 26. *de Mag. sect.* 5. (b) *Ad* 4. *prel. loc.* 5. *q.* 2. (c) *Matth.* 15. 9. (d) 1. *Thess.* 2. 13.

inquit lex (a), in judicio inter sanguinem & sanguinem,
quid te, plagam & plagam, quæcumque res contentiosa in portis tuis. inter causam &
causam, pl minores lex affatur, eosque si quid in lege minus intelligant, Non Regem,
sed judices consulendum mittit, in quo Senatu Sacerdotes erant aliique judices summi, ad Se-
natum consultissimi. Neque horum auctoritati alligantur minores illi judices, sed
omnes jurisconsultissimi. Neque horum auctoritati alligantur minores illi judices, sed
legi per ipsos explicandæ, Juxta os legis, quam docebunt te, & juxta Judicium
quod dicent tibi, facies; neque diclinabis a Verbo, quod annunciabunt tibi, dextror-
sum aut sinistrorsum. Perinde hoc est, quasi Rex hodie judicibus præcipiat, ne con-
tra ea judicent quæ jurisconsulti ipsis ostenderint juri esse congrua. Cum alioqui ju-
dicem jurisconsultorum responsis non alligari, ipsi Jurisconsulti sæpe responderint.
Simile est illud in Evangelio (b), sedent super cathedram Mosis, omnia ergo quæ
vobis dixerint observanda, observate. Quod ipsi Romanenses, Stella puta & Maldo-
natus recte explicant: quatenus docent quæ Moses in Cathedra sedens docuit, au-
diendi sunt. Ut & ad locum Malachiæ: (c) Labia Sacerdotis custodient scientiam &
legem ex ore ejus requirent, quia Angelus est Domini exercituum. Espensæus: Eate-
nus audiendi, quatenus legem Mosis docent. Alioqui non audiendi, ubi, ut apud Ma-
lachiam continuo sequitur, recedunt de via. Tunc enim si ipsis auscultetur, offendi-
culum fierent multis in lege; quod quia fieri potest, ideo falsi a Jeremia convinci-
tur illa jactatio (d); Non peribit lex a sacerdote, & consilium a sapiente, & verbum
a Propheta. Quod enim illi negabant fieri posse, id tum alias, tum Exechielis tem-
poribus evenit, cum sacerdotes non intellexerunt inter pollutum & mundum. (e) Ca-
vendum ergo ne cæci fiant cæcorum duces, & ambo in caveam cadant. (f) Neque
enim sublevat credulum nimis discipulum culpa temerarii doctoris. Ipse, inquit
DEUS (g), in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.
Nec tantum contra legem, sed & extra legem docentibus sacerdotibus credere nemo
tenebatur. Dictum enim etiam Sacerdotibus, imo illis præcipue; ne addite ad ver-
bum quod præcepi vobis. (h) Et singulis de plebe, ad legem & ad testimonium. (i)
Quod vero in Deuteronomio sequitur de pœna ejus qui sacerdoti non obtemperasset,
ostedit non tantum de jure respondisse sacerdotes, sed & partem Imperii penes ipsos
fuisse; quod verissimum esse alibi demonstravimus. Hoc ergo Sacerdotes veteris Te-
stamenti spectat qua Magistratus erant, ideoque ad Evangelii ministros extendi non
potest.

8. Alter est locus, in quo mire quidam triumphant, Num. 27. 21. ubi de Jo-
sua ita loquitur DEUS: Coram Eleazare sacerdote stabit & poscet ab illo judicium
Vrim coram DEO: juxta os ejus egredientur, & super os ejus ingredientur ipse &
omnes filii Israel cum eo & omnis cœtus. Sed hic quoque si recte intelligatur, ab
instituto est alienissimus: Vrim, quod alias plenius, Vrim & Thummim vocatur,
certum est fuisse in Ephod, hoc est pectorali Pontificis Maximi Hebræorum, E-
xod. 28. 30. Levit. 8. 8. Ælianus scribit (k) Ægypti sacerdotem eundem fuisse
sum-

(a) Deut. 17. 8. (b) Matth. 23. 2. (c) Cap. 2. 7. (d) Cap. 18. 18.
(e) Ezech. 22. 26. Esai. 59. 10. Jerem. 6. 13. 14. 14. Ose. 9. 8. (f) Matt.
15. 14. (g) Ezech. 3. 18. (h) Deut. 4. 2. 12. 32. (i) Esai. 8. 20. (k) L.
14. c. 34.

summum Judicem, ex cujus collo pependerit *αγαλμα simulacrum* ex *σαπφειρυ sapphiro*, quod vocatum sit *αληθεια veritas*. Simile quid Diodorus Siculus lib. I. narrat de summo Judice Ægyptiorum, hunc nempe ex aurea torque de collo suspensum habuisse *ζωδιον*, hoc est, *sigillum* e gemmis pretiosissimis, quod vocaverint *αληθειαν veritatem*. Cœpisse autem disputari postquam summus Judex illud simulacrum της *αληθειας veritatis* sibi apposuisset: addit debuisse apponi *sigillum* της *αληθειας veritatis* alteri parti quæstionis. Omnino ex his duobus locis apparet Gentes vicinas imitatas morem Hebræorum, ut solet diabolus esse DEI simia. Nam & Judicum Hebræorum temporibus Idolorum sacerdotes Ephod habuisse, & ex eo quasi responsa dedisse ostendit sacra Historia Judic. 8. 27. 33. & 18. 5. 14. Ἀ'λήθειαν sive *veritatem* vocant hoc gemmeum sigillum Ælianus & Diodorus, quomodo & septuaginta interpretes *Thummim* verterunt: vocant enim *Vrim & Thummim* δηλωσιν και *αληθειαν manifestationem & veritatem*; ut & Philo. Modum responsi per *Urim & Thummim* hunc fuisse Judæi referunt, quod re aliqua gravi in consilium missa, si ea res salutaris ac fausta esset eventura populo Hæbreo, gemmæ fulgore quodam cœlesti micarent. Sin ea res infeliciter esset casura, tum gemmæ nativum colorem retinerent. Egregia hujus consultationis descriptio 1. Sam. 30. 7. *Dixit David Abiathari sacerdoti filio Abimelechi; fac mihi accedere Ephod: & fecit Abiathar Ephod accedere ad David: & interrogavit Dominum dicendo; persequarne exercitum istum; attingamne ipsum? & dixit ei* (DEUS scilicet per Urim) *persequere: omnino enim assequeris eos & erues*. Locus illi Numerorum plane geminus; ibi Josua dux belli, hic David dux itidem: jubetur ibi Josua adstare sacerdoti summo, quorsum? nimirum ut eo sit propior ipsi pectorali & τῳ *Vrim* quod erat in pectorali: sicut *pectorale admotum* Davidi dicitur. Notandumque obiter, quod ex Maimonide a viris doctis est observatum, Pontificem maximum solitum *stare coram Rege* venerationis causa: at Regem coram Pontifice *non stetisse*, nisi cum *Vrim* consuleretur, ut appareat honorem non Pontifici exhibitum, sed oraculo: ibi Josua jubetur interrogare;
hic interrogat David: respondit Davidi non Abimelech, sed Dominus qui interrogabatur per *Vrim*. Ita ibi *juxta os ejus*, nempe ipsius judicii *Vrim*, quod proxime
præcessit. *Os* enim τῳ *Vrim* tribuitur, eadem metaphora, qua legi in Deuterono-
mio, sicut & Latini ab ore *omcn* dixere. Malo ad *Vrim* referre quam ad DEUM
ipsum; quod fecere multi, tum Evangelici, tum e Romanensibus: quamquam sensus
eodem recidit. Certe Deum respondisse, non sacerdotem, alia quoque historia evin-
cit. Nam cum David Ceilam venisset, & oppidanorum suspectam haberet fidem, A-
biathari edicit, *Fac accedere Ephod* (a): hoc est, *mihi Ephod* admove, ut ex al-
tero, quem citavimus, loco apparet. Consulit deinde David DEUM: cui dicitur
respondisse non Abiathar sed *DEUS*, fore ut ipsum oppidani Sauli dederent. Qui-
bus autem de rebus *Vrim* consulit David? de itineris eventu. Nec Josuæ aliud præ-
cipitur. Nam illud *ingredientur & egredientur*, quid hoc loco sit, ex eo apparet
quod præcedit. Rogat enim Moses Deum, *ut populo Virum præficiat, qui educat
eos & reducat*. De expeditionum ergo successibus, & si quod est simile, consuli so-
lebat τo *Vrim*, cum aliis rebus alia paterent oracula, ut *responsum ex propitiatorio*,
affla-

(a) 1. Sam. 23. 11.

afflatus, visio, somnium. Quod cum observasset Josephus, recte tradidit (a), fulgore pectoralis significatas fuisse bellicas victorias, nihil ultra addens, sicut & Maimonides ait per *Urim* & *Thummim* responsa nulla data privatis negotiis, neque vero alio sciscitante, quam qui publico cum Imperio esset. Pastores ergo qui illud e Numeris pro se citant, causam suam nihil promovent, & impudenter suspectos se reddunt affectati Imperii civilis. Nam si is locus ad rem facit, nulla acies educi poterit nisi ex Pastorum præscripto. Et sane si illorum ministerio sciri certo possint consiliorum eventus, ut olim ministerio Sacerdotum potuerunt, rem æquam postularent. Quamquam tunc quoque non ipsorum judicio, sed certo divinæ præscientiæ testimonio staretur. Neque enim clam Regem τὸ *Urim* consulit Sacerdos, sed ipse Rex, aut belli Dux spectator miraculi adstitit, ideoque τὸ *Urim* ad se jussit accedere. Quis ergo non videt quam hoc sit ουδεν προς επος *nihil ad rem*? si tamen licet αλληγορειν *sensus abditos inquirere*, sit sane Evangelium Urim nostrum. Nam si recte dixit Syrachides (b), πιστος ὁ νομος ως ερωτημα δηλων, *fida lex ut consultatio Urim* (nam *Urim* alibi δηλωσιν *manifestationem*, alibi δηλα *manifesta* vertunt Hellenistæ) idque de lege veteri, quam id verius de lege Christiana? Hanc ergo sacerdos *accedere ad Regem faciat*, ut in ea conspiciat divinas pollicitationes & minas. Tum demum merito fidem exigat non sibi, sed luci per se monstratæ debitam: sed meminerit simul hoc *Urim* nostrum non in solo pastorum, sed & in Christianorum omnium pectore esse positum, *Gratiam* scilicet illam *salutarem quæ cunctis hominibus illuxit*. Sed de audiendis examinandisque Summæ Potestati pastorum judiciis, satis, arbitror, dictum est.

9. Altera generalis admonitio ad modum exercendi Juris pertinens, hæc est, *Imperanti circa sacra habendam imprimis concordiæ Ecclesiasticæ rationem*. Hæc enim quasi anima est Ecclesiæ: *Ex eo*, inquit Christus, *cognoscent vos esse Discipulos meos, si dilexeritis alter alterum* (c). Hinc ille divinus primitivæ Ecclesiæ character; *Multitudinis credentium erat cor & anima una* (d). Nec sane alia cura Constantinum, & qui post eum Christiani fuere Imperatores, magis exercuit quam ista, ut dissensiones aut præverterent aut sanarent. Contra Julianus suscepto in Christianos inexpiabili odio, non invenit quomodo gravius iis noceret quam si latam scissuris viam aperiret, quod ita Ammianus narrat (e): *Utque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum Antistites cum plebe discissa in Palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis, suæ quisque religioni serviret intrepidus, quod agebat ideo obstinate, ut dissensiones augente licentia non timeret unanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus*. Idem Juliani propositum ita explicat Augustinus (f): *Eo modo putabat*, inquit, *Christianorum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiæ, de qua lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret*. Miserere pios omnes debet hujus seculi, quo non aliud eo morbi genere gravius ac pertinacius laboravit, Pastorum magis culpa quam Regum, aut Principum; ut recte notavit Illustrissimus *Elector Palatinus in suis ad liberos codicillis*, quos operæ pretium est ab omnibus Ecclesiæ amantibus legi atque adeo edisci. Quod si vetera sanari desperatum est (sed cur

(a) *Antiq.* l. 3. cap. 9. (b) *Cap.* 30. (c) *Joan.* 13. 35. (d) *Act.* 4. 32. (e) Lib. 22. (f) *Epist.* 66.

cur desperemus quando sæpissime των ακορητων πορον ευρε Θεος *Deus insperatis*
viam aperuit?) certe ne ex vulneribus nova nascantur vulnera, sedulo anniti de-
bent Summæ Potestates. Vere Augustinus (*a*): *Pertinet ad Reges sæculi Christianos,*
ut temporibus suis pacatam velint habere matrem suam Ecclesiam. Cautiones, quæ
servandæ unitati conducant, hæ sunt potissimæ. Prima, ut a definiendo abstineatur
quantum fieri potest: hoc est salvis dogmatibus ad salutem necessariis, aut valde eo
facientibus. Omnem in jure definitionem periculosam esse tradunt Juris auctores. De
Theologicis idem quis merito dixerit; Vetus enim est sententia; *de DEO etiam ve-*
ra dicere periculosum est. Huc illud Nazianzeni spectat monitum, το ὅπως μη πολυ-
πραγμονει, *de modo cujusque rei noli sollicite inquirere*, multoque magis illud Augu-
stini: *Sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catho-*
licæ defensores salva fidei compage non consonant. Et Vincentii Lirinensis (*b*): *Antiqua*
Sanctorum Patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis; sed solum
(certe præcipue) in fidei regula magno nobis studio & investiganda est & sequenda.
Hanc definiendi modestiam secuti sunt Patres in Nicæna & Constantinopolitana pri-
ma Synodo, & qui has Synodos moderati sunt Imperatores. Hac enim confessione
posita, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum distinctos esse inter se, & hos unum
esse DEUM, ac proinde ὁμοουσιους *essentia æquales*, in explicando modo discriminis
inter *essentiam* & *hypostasin* non putarunt anxie laborandum. Itidem Episcopi qui
Ephesi & Chalcedone convenerunt, & Imperatores eorundem temporum, cum defi-
niissent *unam esse personam, duas autem naturas* JESU CHRISTI, modum hypo-
staticæ unionis subtiliter indagandum non existimarunt. In Diospolitana (1), Car-
thaginensi (2), Milevitana (3), posteaque Arausionensi (4) Synodo solliciti Patres
& qui Procerum adfuere, ne gratia DEI vilesceret, aperte quidem contra Pelagium
ejusque reliquias pronunciarunt, *nihil quod spiritualiter bonum sit ab homine sine di-*
vina gratia inchoari, continuari aut perfici. Sed quæ de ordine Prædestinationis de-
que modo conciliandæ cum gratia liberæ voluntatis humanæ argute disputari solent;
pleraque prudenti silentio transmisere. In Sanctissimo Cœnæ Dominicæ Sacramento
visibilia signa CHRISTI invisibiliter præsentis exhiberi omnes veteris Ecclesiæ Pa-
tres fatentur. De modo præsentiæ non eadem loquuntur: neque tamen unitas pro-
pter hoc scissa est. Dogmata ergo definienda sunt paucissima & necessaria quidem
sub anathemate; alia vero sine anathemate; quod discrimen in Arausionensi Synodo
servatum videmus. Et in vetere Concilio Carthaginensi (5) legimus; *Superest ut de*
hac ipsa re quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communio-
nis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Plurimum vero ad retinendam Eccle-
siæ Catholicæ concordiam primis istis sæculis valuit, quod dogmaticæ definitiones
nullæ fieri solebant nisi in Conciliis œcumenicis; aut si quæ factæ essent in minori-
bus Synodis, eæ non erant ratæ antequam ad alias Ecclesias missæ, atque ita com-
muni judicio approbatæ forent: quem morem si reducendum curarent, qui nunc in
Christiano orbe Imperium habent, nullum sane posset ab illis beneficium majus ex-
spectari. Nam in illis remediis, quæ τοπικα *loco affecto applicanda* medici vocant
parum

(a) *Tract. 2. in Joa.* (b) *Cap. 39. Contr. hæres.*
(1) *A. D.* 414. (2) *A. D.* 418. (3) *A. D.* 416. (4) *A. D.* 529.
(5) *A. D.* 256.

parum est auxilii, neque potest partium unitas nisi a corporis unitate spectari. Non possum non laudare praeclarum Angliae Canonem Anni CIↃIↃLXXI. *Imprimis vero videbunt concionatores, ne quid umquam doceant pro concione, quod a populo religiose teneri & credi velint, nisi quod consentaneum sit doctrinae Veteris aut Novi Testamenti, quodque ex illa ipsa doctrina Catholici Patres ac veteres Episcopi collegerint.* Quod de credendis dictum est, idem de his etiam quae omnino facienda Lex divina praescribit, accipi velim. Quamquam de his minus crebrae sunt controversiae: ut recte olim Chrysostomus dixerit, τα των δογματων αμφιβαλλεται, τα δε των εργων ου κεκρυπται, *quid sentiendum sit in obscuro est saepe, qua ratione vita sit instituenda, nulli non patet.* In utroque genere ad concordiam retinendam omnino necesse est operam dari, ut intelligat populus quae imperantur Divinae legi esse consentanea. Seneca prooemia legum improbans, *lex jubeat*, inquit, *non disputet.* Et potest hoc quidem locum habere in mere arbitrariis, quamquam harum quoque legum causas liberaliter reddi videmus a Justiniano aliisque in Codice & Novellis constitutionibus.

10. At in his quae religiose fieri velis, edictorum severitati persuasio addenda est; quod & a Platone monitum, & a Charonda, aliisque Legum Latoribus praestitum videmus (a). Hinc commonefaciendi vocabulo hac in re usi Imperatores, ut Theodosius & Valentinianus (b) A. D. 449., *Decere arbitramur nostrum Imperium, subditos nostros de Religione commonefacere.* Et docendi ut Justinianus; *Illos festinavimus, quae sit recta Christianorum fides, edocere* (c). Et sane cum omnibus in rebus firmissima sint Imperia quibus sponte paretur, tum in negotio Religionis id unice valet: *Nihil enim*, ut olim Lactantius (d), *tam voluntarium quam Religio, in qua si animus est sacrificantis adversus, jam sublata, jam nulla est.* Alioqui, ut olim dicebat Themistius; *purpurae cultores efficies, non DEI.* Huc igitur summo studio allaborandum est, ut divinorum testimoniorum auctoritate convicta pars major populi intelligat verum ac pium esse quod imperatur. Ut enim omnes unum consentiant, res voti magis quam spei est: Sed ob paucorum aut ignorantiam aut malitiam non est deserenda cum veritatis, tum unitatis cura. Suspenso tamen pede hic incedendum, ut illi ipsi qui *Divinae humanaeque ordinationi resistunt*, non tam cogantur benefacere, quam malefacere prohibeantur. Quae duo in hoc ipso argumento Augustinus (e) olim provide distinxit.

11. Ad ea ut veniamus de quibus certi nihil constituit Lex Divina, qualia sunt pleraque regiminis & rituum. In his, si materia sit recens & ductilis, nihil esset tutius quam ea restituere quae primis post Apostolos saeculis magno populorum consensu, magnoque fructu observata apparet. Nusquam enim verius illud; *Super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum, & quae convertuntur, in deterius mutari.* (f) Habenda tamen temporum aliqua, habenda & locorum ratio. Sapienter Hieronymus: *Quae nec contra fidem, nec mores fuerint, in his consuetudines patriae, tanquam Canones sint Apostolici* (1). Et Augustinus Epist. 118. *Quod neque contra fidem,*

(a) *Lib.* 4. *apud Stobaeum.* (b) *L.* 3. *C. de Sum. Trin.* (c) L. *cum Salvat. C. eodem tit.* (d) Lib. 5. (e) *L.* 2. *c.* 83. *Cont. Petil.* (f) *Tac. Ann.* 14.

(1) *Alia Hieronymi verba sunt, haec nimirum ex epist.* 18., *Unaquaeque Provincia abundet*

fidem, neque contra bonos mores injungitur, *indifferenter est habendum, & pro eo-*
rum inter quos vivitur, societate servandum est. Et ipsa in his rebus varietas non
inutiliter testimonium præbet Christianæ libertati, neque lædere debet Ecclesiasticam
unitatem, ut recte ad Victorem Episcopum Rom. scribit Irenæus (a) η διαφωνια
της νηστειας την ὁμονοιαν της πιστεως συνιστησι, *Differentia jejunandi Fidei concordiam*
commendat. A quo non dissentiens Cyprianus: *Multa*, inquit, *pro locorum & ho-*
minum diversitate variantur; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque
unitate aliquando discessum est. Et Augustinus (b); *Sit ergo fides universæ quæ u-*
bique dilatatur Ecclesiæ tamquam intus in membris, etiamsi ipsa fidei unitas quibus-
peditur; omnis enim pulchritudo filiæ Regis intrinsecus (c): Illæ autem observatio-
nes, quæ varie celebrantur, in ejus veste intelliguntur. Unde illi dicitur; in fim-
briis aureis circumcincta varietate. Sed ea quoque vestis ita diversis observationibus
varietur, ut non adversis contentionibus dissipetur. Multa præclara in eandem sen-
tentiam videre est in Historia Socratis lib. 5. cap. 22. Sane si quid in isto genere
non optimum, tolerabile tamen, ævo radices egit, id nisi bella occasione, multo-
que assensu non mutare, prudentiæ est: τα γαρ εν ταυτῳ μενοντα κ' αν χειρω ᾐ
συμφορωτερα των ανακαινοτομουμενων, *quæ enim eodem in statu manent, etiam cum*
pejora sunt noviter inductis, sunt tamen utiliora, post Aristotelem & Thucydidem
docuit Augustus apud Dionem: post hunc Augustinus (d), *Consuetudinis mutatio*
quantum utilitate adjuvat, tantum novitate perturbat. In hoc autem rerum genere
quippe per legem divinam indefinito recte fecerit Summa Potestas, si imperia sua
nonnihil subditorum affectibus attemperaverit. Sicut in profanis quoque videmus aut
civitatibus aut collegiis, etiam quæ jurisdictionem habent nullam, concedi ut statu-
ta quædam concipiant, quæ deinde Summa Potestas examinata probet & auctoritate
sua muniat.

12. Ne illud quidem omiserim, quod ad modum juris utendi plurimum pertinet,
non tantum consilio, sed & ministerio aliorum uti debere. Summam Potestatem, ac
proinde singularia negotia, ne mole sua obruant animum, rejicienda ad cœtus qui-
busdam gradibus constitutos, ubi si finem accipere nequierint, tum demum ad ipsius
arbitrium referantur: Ita in vetere Ecclesia sub Christianis Imperatoribus erant Pre-
sbyteria in Urbibus, erant Synodi Metropolitanæ & Exarchicæ, ac postremo Im-
periales. Sed hac de re infra iterum agendi erit locus.

13. Sed quæcunque hic diximus de expetendo consilio, danda opera ut volentibus
imperetur, servando cognoscendi gradu, quæque alia his addi possent, non debent
perpetua semperque utilia censeri. Nulla enim prudentiæ præcepta sunt plane uni-
versalia: quia των καθ' εκαστα εστιν ἡ φρονησις, *particularium est prudentia*. Tem-
pora, loca, homines plurimum hic immutant. Neque aut consilium petere expedit
in re certissima, neque, flagrantibus dissidiis subito speranda consensio, neque per
gradus iri patitur imminens ex cunctatione periculum, aut suspecta inferiorum sub-
selliorum fides ob odium, gratiam, aliaque bonæ mentis impedimenta. Faciendum
hic

det in sensu suo, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur.

(a) *Epist.* 75. (b) *Epist.* 86. (c) *Psal.* 44. (d) *Epist.* 118.

hic quod in navigatione, ubi rectum iter instituere nequeas, obliquandi sinus. N
tandus hic obiter eorum error, qui duplicem faciunt potestatem, absolutam & or
nariam: confundunt enim potestatem & agendi modum. Sicut autem in DEO u
eademque potentia est, sive agat secundum ordinem a se constitutum, sive ext
eundem ordinem: ita potestas quoque sive jus Summi Imperantis idem est, siv
agat secundum ordinem a se positum, sive aliter. Sed prudentis est secundum ordi
nem & leges positivas agere in rebus communiter accidentibus. Feruntur enim le
ges (a) επι το πλειστον, de eo quod plerumque fit. Agere autem extra ordinem de
bet Summa Potestas εν τοις εκ παραλογου, in iis quae praeter exspectationem eveniunt,
quibus ordo aptari nequit. Casus sunt infiniti, ordo autem sive lex positiva finita.
Non potest autem finitum quid infiniti adaequata esse regula.

14. Quamquam vero officio Summae Potestatis convenit in rebus frequentioribus
ordinario uti agendi modo; tamen aliter si faciat, potest quidem dici non recte fa-
cere, sed non tamen extra id quod facere ipsi jus fuit, quia, ut supra diximus,
latius patent officiorum regulae per omnia virtutum genera diffusae, quam jus me-
rum. *Vani est capitis*, inquiunt Iurisconsulti, *existimare superiorem* (intellige pote-
statem vere supremam) *non posse evocare sine causae cognitione* (b). Hinc illa trita
in scholis, *neminem sibi imperare posse*, *neminem sibi legem posse dicere*, *a qua mu-
tata voluntate nequeat recedere*. *Summum ejus esse Imperium qui ordinario juri de-
rogare valeat*. E quibus evincitur Ius Summae Potestatis non limitari per legem po-
sitivam. Ius enim alicujus limitare non est nisi superioris, at nemo se superior.
Hinc & Augustinus dixit; *Imperatorem non esse subjectum legibus suis, ut qui in
potestate habeat alias leges ferre*. Et Justinianus (c); *omnibus a nobis dictis, Impe-
ratoris excipiatur fortuna, cui & ipsas DEUS leges subjecit*. Si ergo quaeratur, an
liceat Summae Potestati in communiter accidentibus legis fines egredi, respondendum
est cum Paulo Apostolo (d), εξεστιν αλλ' ου συμφερει, ουκ οικοδομει, *licet, sed non
expedit, non aedificat*; aut cum Paulo Iurisconsulto (e), *Licet, sed honestum non est*.
Vestri Consilii, vestrae prudentiae est, inquit Cicero (f), *spectare quid deceat vos,
non quantum liceat*. Et passim apud auctores bonos ei quod *licet*, opponitur id quod
decet, quod *oportet*, quod *honestum*, quod *optimum factu est*: praesertim ubi agitur
de Summis Potestatibus. Quod autem supra diximus; *Ratum esse actum, etiamsi
actio non habeat plenam rectitudinem, dum jus non desit*, hic quoque valere debet.
Fac enim improvide, fac perturbato ordine juberi aliquid a Summa Potestate, quod
tamen sine peccato possit impleri, valere semper illud Apostolicum debet: αναγκη
υποτασσεσθαι, *necesse est subjici*. Illi summum arbitrium DEUS dedit, nobis obse-
quii gloria relicta est:

Αρχοντες εισιν οις υπεικτεον τιμη, *Nam Principes sunt, obsequendum*: quid ni?
inquit Sophocles (g); & in talibus etiam, τας των κρατουντων αμαθιας χρεων φερε,
Sed & Potentum perferenda inscitia est.

(a) L. 3. ff. de Legib. (b) *Innoc. in c. ad aures de Temp. ord.* (c) Nov
105. (d) 1. Cor. 6. 12. 23. (e) L. *Non omnes ff. de Reg. Juris*.
(f) Pro Rabirio. (g) *Ajac.*

JOANNIS FRANCISCI CONFORTII

IN GROTIANI LIBRI CAPITA

EXERCITATIONES

TOTIDEM CRITICAE.

AD CAPUT I.

EXERCITATIO CRITICA.

I. Enarratur concertatio, quæ de imperio summarum Potestatum circa sacra inter Calvinianos & Arminianos commissa fuerat. Grotius Arminianorum partibus studet, & quidquid illi de Principibus existimant, is pluribus argumentis persequitur.

II. Diluitur primum argumentum.

III. Secundum.

IV. Tertium.

V. Quartum.

VI. Quintum.

VII. Postremum.

I. IN operis hoc exordio Hugo Grotius constituit quid & quale erat illud, de quo Calviniani sive Gomaristæ & Arminiani maximis animorum studiis disputabant, non quod ignorare id ipsum Hollandos arbitretur, sed ut via & ratione procedat oratio. Tota illorum concertatio erat, an summis Potestatibus (Regi in Monarchia, & Senatui aut Ordinibus in Aristocratica vel Democratica Republica) principatus esset datus, qui tanquam in politicis, ita in rebus Religionis versaretur. Rem eam affirmabant Arminiani, quorum partibus patronus & adjutor nunc Grotius accedit. Is igitur summos Principes in eo esse imperio contendit, ut non modo Christianæ Ecclesiæ tutelam gerant, sed de publica Religione deliberare & decernere possint in synodis, aut sine ullo ecclesiasticorum virorum senatu, item judicium de dogmaticis quæstionibus ferre, ac quemvis divinum cultum legibus jubere, eosque, qui non parent, politicis pœnis afficere. Istud omne, quod universæ causæ caput est, pluribus ille persequitur argumentis, quæ ducuntur cum ex Religionis ingenio, tum ex natura & fine summi Principatus, itemque ex ea, quæ de eodem veteribus Philosophis & Calvinianis Theologis hærebat opinio. Atque uberrimum quidem locum ille ita pertractat, ut eum, quasi ruat in dicendo, nec dividat nec partiatur: quod non sine caussa neglectum præterit, ratus fortasse, eo facilius se perventurum, quo instituerat, Arminianis præsidium suis laturus. Pleraque enim ab ipso prolata sunt, ex quibus argumentum capi potest illius dominatus, quem Gentium jure summæ Potestates in sacris habent, non autem ex lege religionis, quam Christus condidit, & Orbi Terrarum ab Apostolis propagandam curavit. Nanque quicquid ex Gentium sententia conclusum sit de sacris ditione & numine Principum administrandis, non statim idem ipsum perfici poterit de perlata divinitus Religione. Hæc breviter exposita sint, quæ copiose explicantur in Prolusione. Nunc in singulis, quæ afferuntur, argumentis insistamus, quo facilius adpareat, ea nullius esse ponderis, hoc est illud omnino non valere quod ad probandum Grotius aggreditur.

II. Primum argumentum eo recidit. Principes ultores sunt omnium criminum, quæ in Civitate admittuntur: quin & iis in universo rerum genere obtemperandum est, quod testimonia Prophetarum, Apostolorum, tum etiam Politicorum declarant. Ergo summis Potestatibus idem imperium est in sacris, atque in profanis. Ita Grotius disputat. Sed vide, quæso Arminiane, quam ea, quæ sumis, accommodata sint ad concludendum quod voles. Nam nobis iisque omnibus, qui dialecticis præceptis animum imbuerunt, ista hujusmodi habere vim non videntur. Omnia concedimus equidem, ne hebetes & rudes dicamur, sed nihilosecius illud non efficitur, quod fidenter concluditur. Quod enim Principes omnia crimina gladio coercere debeant, hinc solum ducitur, eosdem in tali esse officio, ut eos ulcisci possint, qui in Religionem peccant.

Hoc

Hoc illis quis negaverit, dum negotium sic agant, ut Religioni & Reipublicæ provideant. Sequitur porro, in universis rebus morem esse Principibus gerendum. Quæ quum ita sint, ex iis solum docemur, Principum etiam legibus esse parendum, quibus religionis dogmata jubentur, nisi forte Dei jussis contraria perferantur. Quoniam autem in christiana Ecclesia Sacerdotes a Christo Religionis interpretes & judices sunt constituti, quod pluribus quæsitum & disputatum est in Prolusione, res usque adeo redit, ut Principes iis non auscultare nequeant in negotiis, quæ ad divinum cultum spectant. Ex quo intelligi par est, Principum quidem esse partes, gladium in hæreticos distringere, sed in eos, quos eo elogio Sacerdotum Ordo affecerit, item dogmata sciscere, sed quæ Catholica Ecclesia decidit & præcipit. Hactenus procedit qualecumque istud, quod primo loco Grotius promit.

III. Alterum argumentum Grotius attexuit sic. Imperium sive penes unum, sive penes complures resideat, summum sit oportet, ut ad illud omnia referantur. Quicquid enim ab Imperio eximes, si nullis id legibus constitui dicas, anarchiam quandam invehere videris, cujus Deus auctor non est, sin aliis, atque iis, qui publico præfecti sunt Imperio, hoc ipsum subjectum voles, de Imperio derogas, quod tale sit necesse est, ut omnia jussis regantur suis. Plures enim esse non possunt in Civitate Potestates, quarum altera alteri non paret. Quum enim hujusmodi in Imperio vis insit, ut quicquid jubeatur, prorsus faciendum sit, si unus & item alter iisdem Civibus eidemque Civitati, quamvis in diversis rebus, seorsum præfuerint, uterque contrarias condere leges poterit, ex quo illud sequetur, *omnes præcipiunt, nemo exequitur*. Optime ille, Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, *imperitare malum plures*. At enim si duo Principes, pari omnes potestate præditi, sed in gerenda provincia quisque sua, Civitatem administrent, timenda non est ulla rerum perturbatio, quod eorum unus Deus communis existat moderator. Hoc quidem Grotius sibi objecit, sed ita expedivit. Nimirum quum Deus de universis & singulis rebus non edicat, profecto necesse est, unum esse aspectabilem Principatum, qui Dei sacra vice fungitur, itaque summum, ut omnia & singula complexu suo continent. Id autem, quoniam inter omnes rerum publicarum consultos convenit ad depellendam confusionem, illud efficitur plane cum ratione pugnare, si pari dominatu, licet in diversis rebus, duo imperitaverint. Eam ob rem politicus Principatus dicitur virtus ἀντεπιτακτικὴ καὶ ἐπιστατικὴ *constitutrix* & ἀρχιτεκτονικὴ *architectonica*. Sic enim Grotius, cujus argumentationem paucis expressit *in Disp.* XVII. *de jure Magistratus circa sacra* Simon Episcopius, *Collaterales*, inquit, *Potestates, quarum altera alteri subjecta non est, nec sana ratio, ordinis qui sine unitate salvus atque incolumis esse nequit, magistra, nec imperii natura ferre possunt, quippe cujus effecta propria sunt obligare & cogere, quæ sine dependentia ab uno Summo consistere nullo modo possunt. Si enim contingeret imperata vel contraria esse, vel saltem diversa, sequeretur unum eundemque hominem uno & eodem tempore ad duo vel contraria vel diversa exequenda obligari, quod* ἀσύστατον & ἀδύνατον *est*. Hæc Episcopius.

Dispiciendum est modo illud, quod quum Arminiani non animadvertissent, isto modo edisserunt. Scilicet illi fingunt sibi hostem, quem adoriantur. Nanque in animum induxerunt, Religionem rem esse, quæ imperio procuranda sit, atque Episcopis in Catholica Romana Ecclesia vulgo ita esse commissam, ut quasi Præsides politica gladii potestate instructi eandem gerant. At non ea est christianæ religionis ratio, nec hujusmodi sacrorum Præsulum munus, quod presse conficietur. Christiana pietas, quum in mente residere debeat, ab omni imperio libera est: Mens enim nec metu nec ullo coercitionum genere ad illius cognitionem institui potest, sed argumentis & potissimum accedentibus auxiliis, quibus plurimis beneficentissimus Deus mortales impertit: *Arma militiæ nostræ*, inquit Apostolus 2. *Corinth.* X. 4., *non sunt carnalia*, sed δυνατὰ τῷ θεῷ *robur habent a Deo*. Quod si Dominus in Fabula apud Lucam *cap.* XIV. 23. servo mandavit, ut convivas *compelleret intrare*, his profecto eam vim fieri voluit, quæ per obsecrationes inferri solet. Nanque in divinorum scriptorum more positum est, ut ver-

bum *compellere* (græce ἀναγκάζειν) in eundem significatum accipiant, atque sonant voces, *prece cogere*. Dicitur Jesus in Evangelio Matth. XIV. 22. *coegisse discipulos ut navem intrarent*, at quidem nec trudendo, nec trahendo, sed muneris sui auctoritate. Sic & Gentes II. *Tim.* IV. 2. Christo nomen dederunt quasi *coactæ*, quoniam scilicet apostolorum concionibus, mirificis portentis, & beneficiis Dei auxiliis ad Christum colendum accesserunt. Eam ob rem Tertullianus *adverſ. Jud. cap.* 3., *Vetus*, inquit, *lex, ultione gladii se vindicabat . . . nova autem lex clementiam designat*: Quod idem dixerunt Justinus, Athenagoras, Arnobius, Minutius aliique complures. Inter eos Lactantius *in lib.* 5. *Divinarum Institutionum*, *Non est*, inquit, *opus vi & injuria, quia Religio cogi non potest* . . . *defendenda est non occidendo, sed moriendo, non sævitia, sed sapientia, non scelere, sed fide*: Et Athanasius in epistola *ad solit. Tom.* I. addit, *Dominus non cogens, sed libertatem suam voluntati permittens dicebat quidem vulgo omnibus: si quis vult venire post me: Apostolis vero nunquid & vos abire vultis*. Procopius enimvero in *Arcana Historia* docet, id crimini datum esse Justiniano, quod Samaritas vi & minis ad Christianorum sacra compulerit. Sed ea christianæ Religionis natura pluribus explicata est ab ipsis Protestantibus, a Grotio *de jure belli & pacis lib.* 2. *cap.* 2., a Samuele Pufendorfio in libro *de habitu Religionis christianæ ad statum civilem*, & a Joanne Francisco Buddeo *in diss. de expedit. cruciat.*, aliisque, in quibus enumerari posset Petrus Bælius auctor *Commentarii philosophici super* hæc verba, *compelle eos intrare*, nisi temerariis ingenii sui ausis auscultans complura absurda protulisset.

Atque ista ita se habent. Quocirca christianæ Religioni præfectus fuit Pastorum & Episcoporum ordo, qui sine ulla vi & sine ullo publico imperio eam regerent, sed dicendo & miraculis vitæque innocentissimæ exemplis propugnarent. Præditi quidem illi sunt amplissima dignitate & jurisdictione, ea tamen, quæ politici nihil contineat, sed tota, quantacunque est, ad obstringendos animos pertineat. Gerunt enim sacrum quendam eximiumque magistratum, & ab eo, qui publicus est, maxime discrepantem, quod in alia exercitatione dicetur. Apostoli hujusmodi ob caussam non Reges, non Imperantes, sed Christi *administri & servi* appellantur 1. Cor. IV. 1. Rom. I. 1. Tim. I. 1. Paulus dicebat 2. Cor. v. 20., *Legatione nomine Christi fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliamini Deo*. Petrus autem omnes, qui ad apostolicum munus ei adjutores erant, bene commonefecit, ne in cleris sive in Christianorum Ecclesiis sibi principatum arriperent. Eodem respexit Divinus Scriptor *Act.* I. 17. 25., qui Episcoporum officium non Imperium, sed διακονίαν sive administrationem procurationemque vocavit. Bene Germani (sic enim legimus apud Petrum Suavem in *Hist. Conc. Trid. lib.* VIII.) Tridentinam synodum rogarunt, ne iis præconiis Ecclesia afficeretur, quæ eam tanquam politicam societatem significare possent, idque ad Christi Apostolorumque sententiam interdiceretur. Pluribus hoc, quod agitur, persequutus est Dupinius in ea, quæ inter Dissertationes suas septima dinumeratur.

Ergo satis perspicuum est, nec Religionem esse reponendam in earum rerum numero, quæ cum civili potestate geruntur, neque sacros Pastores, qui ad illius gubernacula sunt admoti, imperatoriam sibi ditionem adscribere, quamquam iidem eximia & singulari jurisdictione valent, quæ in regendis pertrahendisque animis solum versatur. Quæ quum ita sint, ex iis omnes intelligunt, eam, quæ sacris Pastoribus delata est, auctoritatem summo & politico Principatui non esse adversam, quasi cum eodem aut dimicantem, aut certamen instituentem. Quinimo sacrorum Pastorum munus & Principum imperium hac societate & amicitia continentur, ut alterum alteri vicissim plurimam opem afferat. Pastores enim præfecti sunt accurandæ Religioni, quæ non modo ad æternam beatamque vitam, sed ad civium incolumitatem publicamque salutem est condita. Justinus in Apologetico pag. 44. edit. Sylburg. Imperatores ita affatur, Ἀρωγοὶ δ' ὑμῖν καὶ σύμμαχοι πρὸς εἰρήνην κ. λ., Nos vobis ad Imperii tranquillitatem maxime adjutores & collaboratores sumus ut qui doceamus fieri non posse, ut Deum quis lateat, sive sit maleficus, raptor, insidiator, sive æqui amans, tum vero ad æternam aut sa-

salutem aut pœnam quemque mitti pro factorum suorum dignitate. Contra ab iis, qui Imperio præsunt, si in officio manere velint, ea opera danda est, ut Religionem in fidem recipiant suam, eamque fortiter tueantur, ab hæreticis itidem, quos Ecclesia declarabit, pœnas prudenter repetant, sacros ministros muneris sui in loco commonefaciant, eamque Imperii provinciam perlatis etiam legibus guberbent. Hanc Ecclesiæ & Reipublicæ consensionem accurate explicavit Theodosius, cujus oratio legitur *Part.* 1. *Conc. Ephes. cap.* 32., Ἠρτηται δ' εις θεον ευσεβειας ἡμετερας πολιτειας καταστασις κ. λ. *Reipublicæ nostræ constitutio in ea, quæ in Deum est, pietate præcipue nititur, multaque inter hanc & illam cognatio ac familiaritas intercedit. Nam & ex se invicem pendent, & utraque prosperis alterius successibus incrementa sumit: quandoquidem ut vera religio justa actione perficitur, ita Respublica utriusque ope nixa florescit*. Horum similia dixere Patres in epistola Synodica ad Tarasium, quæ evolvi potest in Actis septimæ synodi, Ἱερωσυνη γαρ βασιλειας ἁγιασμος εστι και ἀναστηριγμος, και βασιλεια ἱερωσυνης ισχυς και κρατωμα, *Sacerdotium Regno sanctimoniam & stabilitatem conciliat, Regnum vero Sacerdotii est robur & munimentum*. Concinuit iis Gregorius II. in græca epistola ad Leonem Isaurum, Συμβουλια, inquit, δε των φιλοχριστων, και των ευσεβων ἀρχιερεων μια δυναμις εστιν, ὁταν μετ' ειρηνης και ἀγαπης τα πραγματα διοικωνται, *Consensus Christi amantium Imperatorum, & piorum Pontificum est vis una, quando cum pace & caritate res administrantur*. Quæ quum probe Leo Augustus intellexisset in Ecloga, quam Anno DCCCXXXVIII. apud Græcos edidit, hæc reliquit scripta *Tit.* 111., Διο και ἡ κατα ψυχην και σωμα των ὑπηκοων ειρηνη και ευδαιμονια βασιλειας εστι και ἀρχιερωσυνης εν πασιν ὁμοφροσυνη και συμφωνια, *Quapropter & civium quies ac felicitas cum animæ tum corporis reponuntur in consensione Imperii cum summo Sacerdotio*.

Revertamur ad Grotium. Nobis cum eo convenit, Imperium ita summum esse, ut ad ipsum omnia referantur. Ergo sacra non eximuntur, inquit ille. At enim duo seponenda sunt, hoc est publica sacrorum tutela, atque eorundem procuratio, quæ complectitur cum omnes sacerdotii partes, tum doctrinæ cognitionem & de divino cultu, qui ex ea constituitur, judicium. His positis censeamus necesse est, tutelam sacrorum a politico Christiano Principatu non esse disjungendam. Nam si contra saxis, Religioni præsidium, quo nititur, audacter eripies & Rempublicam in discrimen adduces. Sed Religionis procuratio iis, quos Christus delegit, Sacerdotibus credita est. Hoc si placeat, Grotius addit, Civitas erit in Civitate. Ecquis vero id pertimescat? Sacerdotum enim cœtus nullo politico imperio, sed legatione fungitur, in eoque officio est, ut Principes adjuvet, quorum in fidem traditus est. Tertullianus in *Apol.*, *Illuc* (idest in Cœlum) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocui, capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, Orbem quietum & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt*: & Dionysius apud Eusebium de Imperatoribus dixit, Και τουτο διηνεκῶς ὑπὲρ τῆς βασιλειας αὐτων, ὅπως ἀσάλευτος διαμείνη, προσευχόμεθα, *ideoque jugiter pro ipsorum imperio ut inconcussum permaneat, precamur*. Neque enim verendum est, quod Arminianus obiicit, ne ex diversis contrariisque imperatis oriatur Civitatis perturbatio & confusio: Nanque sapientior nusquam ordo reperiri potest, quam in Christiana Republica, dum Sacerdotium & Imperium amice conjurant, hoc est qui sacerdotio præfecti sunt, ad politica jubenda animum non adiiciant, quique imperium regunt, ab iis agendis abstineant, quæ Religionem spectant.

IV. Veniamus ad tertium Grotianum argumentum, quod ducitur ex eo, qui summo Principatui propositus est finis. Respicit eo omnis scilicet Principum potestas, ut Civibus vitam omnium bonorum genere cumulatam beatamque exigere per eos liceat: sed in iis rebus, quæ ad beate vivendum maxime conducunt, præcipua est pietas adversus Deum; Sic Apostolus *ad Rom. cap.* 13. 4. cum dixisset, principatum εις τὸ ἀγαθὸν *ad bonum* spectare, deinde *in epist. ad Tim. cap.* 2. 2. docuit, eundem adeo per-

pertinere, ut cives beate vivant non modo *in honestate*, sed *in omni pietate*. Ad eand
sententiam faciunt plura testimonia piorum Imperatorum & excellentium Patrum. Con-
sentiunt Philosophi, quorum doctissimus Aristoteles in postremo Eudemiorum libro,
cap. XV. virtutem eam optimam existimavit, quæ ποιήσει τὴν τοῦ θεοῦ μάλιστα θεωρίαν, *in*
Dei cognitionem nos potissimum ducit, illam vero pessimam, quæ κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν
καὶ θεωρεῖν, *a colendo cognoscendoque Deo animum prohibet*. Igitur Religio summus est fi-
nis, quem politici Civitatum Rectores sequantur: ex quo palam est, iisdem imperium
datum esse ad omnia constituenda, decernenda, & jubenda, quæ in sacrorum numero
continentur. Hæc Grotius differit, iisque negotium confectum putat, quibus tamen con-
cessis illud nihilo magis concludi potest, quod agit. Sumit ille, Principes in id consilium
ab optimo Deo esse cooptatos, ut Populis non modo publicam salutem, sed omnem bea-
titatem afferant, quam maxime Religio parit. Hoc cum pro certo habendum sit, in
tamen non pervenit, quo usque evadere parat. Quis enim dabit, ex illo Christianorum
Præsidum officio hoc sequi, eosdem Religionis esse cognitores, arbitros & moderatores,
item de sacris perinde atque de rebus politicis consulere, judicare & arbitratu suo leges
condere? Negant omnes ad unum, qui constitutam a Christo rationem gubernandæ Reli-
gionis intellexerunt. Hæc enim si bene perspecta sit, illud potius ex ea veluti rite conclu-
sum quisque existimat, Principes nihil habere, quod ei curæ prævertant, quæ posita est
in Religione fortiter defendenda, quam Catholica amplectitur Ecclesia, & in consiliis ca-
piendis ne ab eadem cives animum avocent aut deficiant. Hoc unum docuit Apostolus ad
Rom. cum Imperatorem dixit θεοῦ διάκονον εἰς τὸ ἀγαθὸν *Dei ministrum ad bonum*; quod
ipsum is declaravit in litteris ad *Timoth.*, in quibus jussit preces ad Deum pro Regibus esse
adhibendas, ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, *ut quie-
tam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & sanctitate*. Ad hæc Apostolica ver-
ba respexit Lactantius *in fine Institutionum*, cum Imperatorem sic affatur, *Erat con-
gruens, ut in firmando humani generis statu, te auctore ac ministro Divinitas uteretur,
cui nos quotidianis precibus supplicamus, ut te imprimis, quem rerum custodem voluit
esse, custodiat, deinde inspiret tibi voluntatem, quæ semper in amore divini Numinis per-
severet: quod est omnibus salutare, tibi ad felicitatem, & cæteris ad quietem*. Optime
vir doctus Lactantius ab ea pietate, qua Cæsares Deum colunt, sive ab eo studio,
quo iidem religionem defendunt, omnino proficisci affirmat suam ipsorum pacem &
civium omnium tranquillitatem. In eundem sensum Augustinus *de Civ. Dei lib.* V. *cap.*
XIV. *felices* vocavit Reges, *si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum Ma-
jestati ejus famulam faciant*. Sic imperatores Theodosius & Honorius in Epistola ad
Marcellinum de fide loquuti sunt, in quam Religionem susceperant, *Neque enim*, in-
quiunt, *aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut verum
Dei cultum Orbis nostri plebs devota custodiat*. Mittimus cætera testimonia a Grotio
prolata, quæ eodem modo intelligantur oportet.

V. Quartum argumentum Grotius contexuit divinorum scriptorum sententiis & Pa-
trum periochis, quibus Calvinianorum & Lutheranorum testimonia adstruxit. Hoc
enim modo ille caussæ suæ auctoritatem conciliare conatus est. Atque nobis equidem
non sine summa impudentia objici potest quidquid Calviniani & Lutherani de Princi-
pibus pronuntiant. Quid enim cum iis commune sit, quorum nomen Catholica rejicit
Ecclesia? Si animus autem ad cætera omnia attendatur, perspicuum est, ex iis non
illud effici, quod Arminiani sentiunt, sed id potius, quod Orthodoxi existimant,
Principum imperio contineri Religionis custodiam. Non aliud enim Scriptura & Patres
eam explicantes declarant, cum Reges Ecclesiæ *nutricios* appellant, eorumque exi-
mium hoc esse munus docent, ut Ecclesiæ deserviant, de illius salute laborent, Chri-
stum deosculentur, bona jubeant, mala prohibeant & omnia peragant, quæ maximum
afferre possint Christianæ præsidium Religioni. Hoc officium quum Imperatores & Re-
ges obivissent, eo loco habebantur, quasi res Ecclesiæ eorum nutu constituerentur:
quod Socrates *in lib.* V. *Hist. Eccl. in Præf.* dixit, & sæpe Religionis & Fidei auctores D

Dei vicarii, Ecclesiæ gubernatores, & veræ religionis Rectores vocabantur.

Non injucundum autem erit monumenta percurrere, quæ Grotius respexit his in verbis, *Constantinus in antiqua inscriptione Religionis & Fidei auctor dicitur.... circumfertur & nomine Eleutherii romani Episcopi vetus epistolium, quo Regem Brittanniæ Vicarium Dei vocat in Regno suo, agens de negotio religionis. Concilium Moguntiacense I. Carolum magnum vocat veræ Religionis Rectorem.*

Vetus illa, quæ primum nominatur, de Constantino inscriptio legitur apud Gruterum pag. CLIX. 4. In ea appellatus est Imperator, *Pacis & Justitiæ cultor, publicæ quietis fundator, Religionis & Fidei auctor*. Num vero titulus hujusmodi γνησιως genuinus sit, facile quisque verebitur, quum eum Schottus exprompserit.

Accedamus ad Epistolium Eleutheri romani Pontificis, quod ex priscis exemplaribus exscripsit Jacobus Usserius in *Brittannicarum Ecclesiarum antiquitatibus cap.* VI. Sic enim conceptum est,

ELEUTERI P. Rescriptum ad LUCIUM
Britanniæ REGEM.

Petiistis a nobis leges Romanas & Cæsaris vobis transmitti, quibus in Regno Britanniæ uti voluistis: Leges romanas & Cæsaris semper reprobare possumus, legem Dei nequaquam. Suscepistis enim nuper miseratione divina in regno Britanniæ legem & Fidem Christi. Habetis penes vos in regno utramque paginam: ex illis Dei gratia per consilium regni vestri sume legem, & per illam Dei patientia vestrum rege Britanniæ regnum. Vicarius vero Dei estis in regno juxta Prophetam Regem, Domini est terra & plenitudo ejus, Orbis Terrarum & universi qui habitant in eo: *& rursus juxta prophetam Regem*, Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus. Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: *& rursus juxta prophetam Regem*, Deus judicium tuum.... *Non enim dixit judicium neque justitiam Cæsaris.*

Filii enim Regis Gentes Christianæ & populi regni sunt, qui sub vestra protectione & pace in regno degunt & consistunt juxta Evangelium, Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis. *Gentes vero regni Britanniæ & populi vestri sunt, quos divisos debetis in unum ad concordiam, & pacem & ad Fidem & ad legem Christi & ad sanctam Ecclesiam congregare, revocare, fovere, manutenere, protegere, regere & ab injuriosis & maliciosis & ab inimicis semper defendere.* Væ Regno cujus Rex puer est & cujus principes mane comedunt. *Non voco regem (puerum) propter parvam & minimam ætatem, sed propter stultitiam & iniquitatem & insanitatem juxta prophetam Regem*, Viri sanguinum & doli non dimidiabunt dies suos... *Per comestionem intelligimus gulam, per gulam luxuriam, per luxuriam omnia turpia & perversa & mala juxta Salomonem Regem*, In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

Rex dicitur a regendo, non a regno: Rex eris dum bene regis: quod nisi feceris, nomen Regis non in te constabit, & nomen perdis quod absit. Det vobis omnipotens Deus regnum Britanniæ sic regere ut possitis cum eo regnare in æternum, cujus Vicarius estis in regno prædicto.

Narrat Beda *in Hist. Angl. lib. I. cap. IV.*, Lucium Britanniæ Regem, Marco Aurelio Imperatore, litteras ad Eleutherum Papam misisse, in quibus scribebat, sese consilium asciscendæ Christianæ religionis inivisse, idque quum fecisset, statim a Pontifice doctores impetravisse, qui eum Christi doctrina imbuerent. Dicunt autem cæteri rerum Britannicarum scriptores, Romam deinde eos rediisse, qui christiana Sacra in Anglia constituerant, & diligenter egisse, ut quæ gesserant, Pontifex omnia confirmaret. Hœc Galfridus Monemuthensis *in lib. 2. cap. 1. Hist. Britannic.*, Rogerus Wendoverius ad an. CLXXXIV., Matthæus Parisiensis, Matthæus Westmonasteriensis, & Roffensis historiæ collector ad an. CLXXXVI. Itaque personatus Gildas sic cecinit,

.... Disposita regione
Doctores Romam repetunt: confirmat eorum

Di-

Dictus Apostolicus factum; sunt inde reversi
Cum sanctis aliis; quorum doctrina fideles
Reddit & informat in Christi lege Britannos.

Addunt nonnulli, eosdem Doctores, quum, Romæ peractis ex sententia rebus omnibus, Angliam iterum petivissent, Regi Lucio a Pontifice eas litteras attulisse, quas modo describendas curavimus. Hanc omnem historiam persequuntur Magdeburgenses *centur.* 2. *cap.* 2. *column.* 8., Cæsar Cardinalis Baronius ad an. 183. Tillemontius *tom.* III. *pag.* 63. *ed. Paris.* Bollandiani *in Catalog. Veter. præfix. tom.* I. M. *April. pag.* XXIII. Seldenus *in Analectis suis Anglobritannicis*, & Jacobus Usserius *Antiqu. Britann. Eccl. cap.* V. Eandem attamen pluribus rejiciunt Fridericus Spanhemius *in lib.* III. *Miscellaneorum, in Appendice seu de traditis Antiquissimis conversionibus Lucii Britonum Regis, Juliæ Mamaeæ Augustæ, & Philippi Imper. Patris & Filii Disquis. tripartita tom.* II. *opp.*, & Samuel Basnagius *in Annal. Polit. & Ecclesiast. ad an.* 181. Quin & epistolam Eleutheri Papæ in suspicionem adducunt ipse Usserius *in cap.* VI., & Herefordiensis Antistes Godwin. *de Convers. Britann. pag.* 34.

Restat Concilium Moguntinum, cujus mentionem Grotius injecit. Nempe illud est, quod Carolus Magnus Anno DCCCXIII. in Basilica Sancti Albani congregavit. Legitur in Tomo XIV. Labbeanæ Conciliorum collectionis quæ Venetiis edita est. In exordio illius synodi Carolo Magno Imperatori tanquam *veræ Religionis Rectori ac defensori sanctæ Dei Ecclesiæ* habitus est honos. In eundem sensum altera Moguntina Synodus, quam in temporibus Leonis IV. & Lotharii Imperatoris Rabanus Archiepiscopus coegit, *Christianissimum Regem Ludovicum veræ Religionis Rectorem ac defensorem sanctæ Dei Ecclesiæ* vocavit.

VI. Dicamus de quinto argumento, quod Grotius concludit hoc modo. In jure omnium Gentium scitum est, ut penes eos, quibus summum est Imperium, administrandæ religionis resideat auctoritas, quod Aristoteles & Plutarchus expressis verbis docuerunt. Prisci omnes conditores legum, quas tulerunt, a constituendis sacris primordia ceperunt. Veteres enimvero Jurisconsulti jus tribuebant in publicum & privatum, & juris publici nomine sacrum intelligebant. Inter eos Ulpianus L. 10. *D. de just. & jure* jurisprudentiam eam dixit, *quæ divinarum & humanarum rerum notitiam continet?* Sequutus est enim Stoicos, quibus id ipsum antea placuerat. Itaque Theodosius, cum leges Principum a Constantino in uno codice complecteretur, in postremo libro eas omnes reposuit, quæ de Sacris edicebant. Hoc exemplum ad imitandum Justinianus sibi proposuit, quamquam ordinem mutavit. Nanque codicem suum ab iis describendis legibus orsus est, quas de Religione Majores sui rogaverant. Præclare Suarezius, auctoribus Aquinate & Cajetano, censuit, apud Gentes, quibus sola naturæ ratio esset summa Regina, eosdem, qui Imperium regebant, de Sacris instituta condidisse, eam nimirum ob rem, quod crederent sui esse muneris, cives ad ea instituere, quæ vitam eis æternam afferrent. Perspicuum est enim, plerosque priscarum nationum Philosophos, Ægyptios, Indos, Germanos, Gallos, Thraces & veteres Italos in eo summa fide consensisse, ut, postquam è mortali vita discederent, immortalitatem sibi despondererent. Accedit, quod pietas adversus Deum id eximium habeat, quod humano generi ad mortalem ipsam felicitatem maxime conducit: idque duplici de causa, primum quod Deus optimus id agit, ut omnia prospera eveniant colentibus Ipsum, adversa spernentibus, quam Dei providentiam Ethnici Philosophi & Poetæ compertam commendarunt. Deinde quod ea est ipsius Religionis natura, ut humano generi omnia pariat, quæ universam vitam ei maximopere fortunent. Religio quidem præcipua res est, in qua Reipublicæ salus, Principum tranquillitas, & Civium beata vita nituntur. Ea enim sublata omnes virtutes, earumque una excellentissima justitia tolluntur, quæ ad conservandas politicas societates pertinent. Ita sentiunt de qualicumque pietate adversus Deum, sive de superstitione ethnica Plato, Xenophon, Aristoteles, Cicero & Plutarchus. Quid nos censeamus de illa Religione, quam optimus

&

& beneficentissimus Deus per prophetas pertulit? Optime Philo de Monarchia, *φίλτρον ἀνυσιμώτατον καὶ δεσμὸς ἄλυτος εὐνοίας ἐρωτικῆς ἡ τοῦ ἑνὸς τιμὴ*, *efficacissimum philtrum* (quod nimirum conciliat amorem) *& vinculum indissolubile benevolae amicitiæ*, *unius Dei cultus*. Respicit ille ad Mosaicam legem. At major Christianæ pietati vis est ad Populos omnibus bonis cumulandos, eosdemque pace perfundendos. Quam sanctissima humanorum officiorum præcepta? Quam gravis divinarum rerum doctrina & ad componendam morum disciplinam accommodata! Nihil esse beatius potest Christiana Republica. Contra verendum est, ne Religio Civitatibus maxime sit fraudi, si illius aut dogmata detorqueantur, aut mutentur. Vel de falsis Saeris Curtius, *Multitudo vana religione capta melius vatibus, quam ducibus paret*. Quinimo Moecenas Augustum ita commonefecit, *οἱ γὰρ περὶ τὰ θεῖα ξενίζοντες, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν*, *qui novas de Diis opiniones invehunt, multos alieniore a legibus animo reddunt*. Hæc copiosius & uberius ab Arminiano Grotio afferuntur, ut Principum arbitrio Religionem esse deferendam evincat.

At enim erudite, nec tamen dialectice. Nobis equidem dubium non est, quia Gentes eos ipsos, qui summum imperium regerent, accurandis & constituendis sacris quasi Præsules & Sacerdotes præfectos voluissent, idque tum ob eas causas, quas Grotius prompsit, tum potissimum quod Religio apud eas alio Antistite caruisset, quem sive natura, sive recta ratio designasset. Hoc enim sæpe Grotium monuimus. Sed ea res nunc non agitur. Quærimus enim de auctoritate Christianorum Principum in gerendis rebus, quæ ad cultum Divinum respiciunt, non ex legibus Gentium, nec porro ex Mosaicis, sed ex iis, quas Christus ad optimam Ecclesiæ suæ administrationem esse jubendas censuit. Illud scilicet in quæstionem venit, an Christus Religionem suam summorum Magistratuum imperio commiserit. Atque hoc pluribus disputatum est in Prolusione, in qua causam omnem perorasse videmur. Nanque pluribus dedimus, christianam Religionem suos habere Antistites, interpretes, & rectores, quos Christus delegit, eadem licet publicæ Principum tutelæ sit credita. Quocirca tribuat hoc sibi vera pietas, quod quidem certum est, ut mortalibus omnia fortunet, & in ipsa tanquam in fundamento Respublicæ locentur. Hæc tamen ratio, cum de Christianis Regibus loquimur, non ita concludenda est, si dialecticis præceptis parendum sit, ut dicamus, Divinum cultum esse decernendum Principum arbitratu. Ea enim solum declarat, Principes esse Religionis tutores & vindices, ut eam fortiter defendentes sibi tranquillitatem, & Civibus salutem quærant, quæ suæ ipsorum potestati mandata est. Neque pii Imperatores unquam commiserunt, ut aliquid aliud imperio suo, quam publicum defendendæ Ecclesiæ studium attribuerint. Ex quo Religioni præsidium sæpe tulerunt, perlatis legibus, quas in utroque Codice Theodosiano & Justinianeo inspicimus.

VII. Ad extremum Grotius nomina protulit Catholicorum scriptorum, quos is elogio ad contemptum ab hæreticis invento *Pontificios* appellavit. Nanque illorum testimoniis cogitavit idem imperium summis Magistratibus in re sacra deferre, atque iisdem Arminiani afferunt. Sed nimis audacter. Nanque Scriptores illi, quos commemoravit, illud solum docuerunt, Christianorum Principum maximum esse munus Rempublicam ab omnibus iis defendere, qui eam perturbare aut in discrimen adducere enituntur. Ex quo effecerunt, ab iis operam esse dandam, ne sacri Pastores Civibus tranquillitatem adimant, si forte sacerdotii nomine fraudem iis facere conentur. Quid si Pastores studeant, sacram suam jurisdictionem, quam a Christo acceperunt, ad intercipiendam civium pacem, aut ad commovendas seditiones, aut ad perdendam Civitatem exserere? Hoc si acciderit, Catholici scriptores edixerunt, tum Sacerdotium in Principum potestatem venire, ut scilicet coerceri possit, quominus publicam salutem labefactet. Nanque Principatus tam summo imperio præditus est, ut quidquid offendiculo sit Civitati, id depellere aut cohibere possit & debeat, quæcunque res illa sit, quæ malum pariat aut portendat. Hoc Catholici sentiunt: Sed nihilosecius non in eo solum versatur ipsa Potestas quam in sacris Hollandiæ Dominis Grotius adscribit.

AD CAPUT II. EXERCITATIO CRITICA.

I. Quid consilii Grotio fuerit in hoc capite, exponitur; & quæ ad rem illustrandam idem disputavit, omnia commemorantur.

II. Quomodo Sacerdotium Imperio subjicitur. Exploditur sententia, in quam Grotius id contendit.

III. Imperium & Sacerdotium conjungebantur apud Ethnicos & Hebræos. Differitur de Sacerdotio Patriarcharum, Primogenitorum & Mosis.

IV. Christus verum Sacerdotium instituit in novi Fœderis Ecclesia.

V. Christianis Sacerdotibus politicus Principatus dari potest sive a liberis Populis, sive a summis Regibus.

VI. Explicantur sacra præconia, quibus Imperatores antiquitas affecit. Cur Constantinus Magnus vocatus sit Episcopus & Apostolus.

VII. Marcianus & Valentinianus sese non dixere inclytos Pontifices in edicto, quod post Calchedonensem Synodum pertulerunt. Nec Marcianus Pontifex ab Ausonio appellatus est. Explicatur quem in sensum Calchedonensis Synodus Marcianum, C. Politana Theodosium Sacerdotem salutaverit.

VIII. An Justinus Pontificis appellatione usus sit? Disputatur de titulo, qui Justino positus esse dicitur Histriæ in Justinopoli.

IX. Quam ob caussam Gregorius Papa in epistola ad Leonem Isaurum Imperatores orthodoxos Pontifices vocavit.

X. Leo IV. eodem elogio Gallicanos Reges prosequutus non est. Tollitur mendum e Gratianeo canone.

XI. Reiicitur hujus capitis Grotiana peroratio.

I. HActenus Grotius Principum Imperium in iis accurandis, quæ ad Divinum cultum pertinent, uberrime persequutus est, quod tale esse duxit, ut ad eorum nutum & arbitrium publicam revocari Religionem juberet. Huc Arminiani omnis spectavit oratio. Atque ne quis suspicaretur, quod facile omnes ex illa oratione efficere poterant, Pontifices sacra Principum vice defungi, & commissum ab iis munus sibi habere, hoc ipsum, quod consilio contrarium esset suo, porro explicare aggreditur. Itaque rerum, quæ Imperio subjiciuntur, duplex constituit genus, alterum earum, quæ ab ipso Imperio initium capiunt & reguntur, qualia sunt omnia Magistratuum munia, alterum autem earum, quæ ab Imperio gubernantur, sed ab eodem non existunt, cujusmodi sunt artium disciplinæ. Hinc Prætores, Præsides cæterique Magistratus Regum vices obeunt iisque parent, sed Medici, Philosophi, & Georgi ab illis leges accipiunt, nec tamen vicarium eorundem munus peragunt. In harum rerum postremo genere Grotius Pontificatum reponit. Nanque docet, sacrorum administrationem ab Imperio in sacris maxime discrepare, sive quod magis perspicuum est, plurimum differre inter officium eorum, qui res divinas administrant, & potestatem eorum, qui illas jubent & injungunt. Ex quo concludit, ut operæ Architecto subesse videntur, sic Sacerdotium solo ordine esse in ditione & Imperio illorum, qui Reipublicæ præsunt. Sic enim ille, sed subtilius, ita ut facere palam conetur, Principes quidem non posse loco administrorum suorum Christianos Pontifices & Sacerdotes existimare, sed eosdem tamen Imperio subjectos suo habere in eo ipso, quod publica sacra conficiunt. Id nimirum Grotius studet, ut evincat, Christianos Reges esse universi Pontificatus rectores, Pontificum licet munus non iis, sed Deo referatur acceptum necesse sit.

Hæc cum breviter dixisset, tum quærit, an qui Sacerdos est, idem Rempublicam

cam gerere poſſit ſummo cum Imperio. Locum vero hujuſmodi copioſe exornat, ſed ſine diligenti rerum delectu. Ac primum oſtendit, illud optime cum naturæ jure conſentire, ut penes unum eundemque utraque poteſtas, Imperatoria & Pontificia reſideant, ea de cauſſa, quod Sacerdotum dignitas cæteris rebus eſt excellentior, & ad procurandam Civium ſalutem accommodatior. Percurrit deinde inſtituta Gentium, quæ ſacrorum curationem ab iis, qui Regno præfecti erant, nunquam disjunxerunt. Venit ad Majores Hebræorum, qui hoc ipſum in more receperant. Sed eam rem mutatam a Moſè, & Chriſto docet. Nam Moſes Aaronidas ad gerendum ſacerdotium delegit ſeorſum ab iis, qui Principatum regebant: Et Chriſtus in Eccleſia Pontificatum a Dominatu prorſus ſegregavit. Hoc autem in eum ſenſum ab Arminiano intelligitur, ut putet, ei qui in Sacerdotem cooptatus eſt, non poſſe Imperium mandari ſive Populorum conſenſione, ſive eorum, qui ſummi rerum Domini ſunt, conceſſu: quod tum Scripturarum, tum Patrum ſententiis comprobandum ſuſcipit. Ad hoc de præconiis illis ediſſerit, quibus Imperatores vocati fuerunt Epiſcopi & Pontifices, quæ quidem ſic accipit, ut ſacram quandam poteſtatem Principibus eſſe creditam arbitretur. Poſtquam hæc omnia ediſſeruiſſet, capiti finem facit.

II. Diſpiciamus primum, quorſum illud pertineat, quod Grotius Sacerdotium ſive Pontificum officium Principatui ſubjecit. An forte cenſeat, Sacerdotes ab Imperio Principum non eſſe liberos, ſi confidenter id committant, ut Pontificatus exercendi ſpecie Reipublicæ tranquillitatem perturbent? Hoc ſi ſentiat, profecto omnes eos habet conſentientes, quos ſincera Pietas tenet. Providendum enim eſt ab iis, quos Deus Populorum Dominos & moderatores renunciavit, ne Reſpublica quidquam fraudis capiat. Nihil ipſis deeſt, quo Civitatis res univerſas ſalvas præſtent. Ergo quidquid publicæ paci obeſſe videatur, id malum, cuicuimodi ſit, ab iiſdem eo, quo præditi ſunt, Imperio tolli jure poteſt. An porro exiſtimet, Chriſtianos poſſe Principes cavere, idque Imperio agere ſuo ut Sacerdotium ex iis, quas Catholica Eccleſia dixit, legibus tractetur? Hoc autem cum illi faciunt, profecto Religionis publicam tutelam ſuſcipiunt, quam Deus ipſis credidit. Hæc certa ſunt omnium conſenſu; ſed majus aliquid Arminianus molitur. Is enim ſacrorum curationem in Principum eſſe manu arbitratus eſt ea mente, ut ab ipſis Sacerdotii partes, munia & officia præſcribantur. Nanque Hollandiæ & Weſtfriſiæ Proceres, quibus is favet, illud ditionis ſuæ fecerunt, quod verſabatur in decernenda doctrina, quam ſacri Paſtores edocerent in publicis templis. Igitur neceſſe eſt de hoc loco parumper ediſſerere.

Sacerdotium ſive univerſa Pontificia functio continetur non modo divinis officiis, ſed etiam illis ritibus, quos ad faciliorem ſacrorum procurationem & ordinem Eccleſia recepit. Officiorum divinorum Chriſtus eſt auctor: Ac neminem doctum & pium invenies, qui animum inducat, Principes poſſe de divinis Sacerdotum muniis ita edicere, ut ea conſtituant, aut quibus in rebus conſiſtant, pro libito ſuo deliberent & decernant. Hujuſmodi enim Imperium nulluſdum Chriſtianorum Imperatorum ſibi adſcivit. Nimirum Sacerdotium poſitum eſt præcipue in explicanda Religionis doctrina & in conficiendis ſacris. Quis autem frontem ita perfricuit, ut dicat, Principum decreto eam eſſe ſciſcendam doctrinam, quam Antiſtites Populis tradant, aut illorum juſſu habendum eſſe delectum ſacrorum, quæ ſint facienda, aut certe ab iiſdem leges eſſe fanciendas, quibus rerum ad pietatem ſpectantium nova ratio concinnetur, aut ea derogetur quam veluti a Chriſto præſcriptam Eccleſia ducit? Contemnenda nimirum eſt omnis divini juris auctoritas, quæ iis inceptis Principes interdixit. Quod ſi Arminiani quidem hæc omnia Procerum ſuorum poteſtati adſcribant, iidem quidem ſuperant audacioris oris & deplorati nominis græcos, qui in ſequioribus ſæculis vixerunt. Hi enim ut ut Pontificatus omnia negotia aut certe præcipua Imperatoribus dederint, tamen Religionum arbitratum iis non aſſeruerunt. Theodorus Balſamo *in Med. de Patriarchis*; οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ πατριάρχαι μεγαλυνόνται μὲν καὶ διδασκαλικοῖς ἀξιώμασι, διὰ τὴν τοῦ ἁγίου χρίσματος δύναμιν· ἐντεῦθεν γὰρ οἱ πιστοὶ δεσπο-

δειπνοται και αὐτοκρατορες κατηχητικως ὁμιλουσι τῳ χριστωνυμῳ λαῳ, ἢ θυμιωσιν ὡς ἱερεις, και μετα δικηριου σφραγιζουσιν, quæ sic latine conversa sunt, *Audiant hi, tam ad amplitudinem imperatoriam, quam Patriarchalem officia docendi pertinere propter unctionis sacræ vim & potestatem. Hinc enim usu venit, ut fideles Principes & Imperatores catechetico more cum Christiano populo colloquantur, aut suffitum faciant more Sacerdotum & cum cera duplici obsignent.* Quin etiam Demetrius Chomatenus Principem vocavit κοινον των Ἐκκλησιων Ἐπιστημοναρχην, *communem in universis Ecclesiis doctrinæ Principem.* Sed in Prolusione hæc omnia refellenda curavimus. Audiamus hic Facundum Hermianensem *in libro 12. cap. 13., Christi solius est, regnum cum Sacerdotio simul habere: quoniam, etsi quidam Reges in ejus venturi figuram Sacerdotio functi sunt, tamen, quum manifesta lux veniret in mundum, umbras removens futurorum, nulli alteri dedit, quod sibi singulare servavit, sed in diversos sua dona distribuens, sic quæ propria sunt Sacerdotii, Regibus interdixit.*

Sequitur ut videamus de illis institutis, quæ ad conciliandam Divino cultui Majestatem & ad gerendorum sacrorum ordinem Ecclesia adscivit. Hujusmodi Religionis disciplina in Theocratica Hebræorum Republica sæpe a Regibus perlata est: Hi enim sacrificandi vices & Levitarum studia sanciverunt. Verum satis perspicuum est ex iis, quæ disputavimus, non licere eandem in sacrorum negotio auctoritatem, quam peculii sui Hebræi Reges fecerunt, Christianis Principibus adscribere. In Catholica enimvero Ecclesia nunquam pii Imperatores divini instruendi cultus Provinciam sibi esse commissam crediderunt. Nam eam Episcoporum cœtus, quippe universi Pontificatus rector, semper administravit. Gelasius Anastasium monuit in ea epistola, quam ad ipsum scripsit, Principes debere in iis, quæ Religionis administrationem spectant, Sacerdotum dicto esse audientes. Atque olim singuli Antistites, in Ecclesiis quisque suis, sacrorum disciplinam præcipiebant. Ita Ecclesiæ Cæsariensis, C-Politana, Neocæsariensis in Ponto, Mediolanensis, Romana, Africana aliæque diversas liturgias habuerunt, in doctrina quidem consentientes, sed in ordine & verbis discrepantes: de qua re disputavere Binghamus *In orig. Eccl. lib. 11. cap. VI.*, & Eminentissimus Cardinalis Bona *in Rer. liturg. lib. 1. cap. VII.*, nos vero in altero volumine dogmaticarum Institutionum, in quo de symbolorum in singulis Ecclesiis diversitate dicemus. Postea in more receptum est, ut quem sacrorum ordinem Metropolita servaret, eundem universa Provincia asciceret. Accesserunt Concilia, quæ hoc ipsum institutum sanciverunt. Cæteris Galli optimo exemplo fuerunt, qui rem primum in duobus Conciliis Agathensi & Epaonensi decreverunt. In hoc postremo Concilio Patres inquiunt can. XXVII., *Ad celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, Provinciales eorum observare debebunt.* Sed demum Romano Orbe in complura Regna diviso, omnes uniuscujusque Nationis Provinciæ in unam quandam disciplinam consenserunt, quam seorsum ab aliis Nationibus sibi haberent. Igitur perpetuo Pontificum cœtus de Sacerdotii procuratione pertulit & Pietatis formam adornavit: Nec dubium est, quin idem ipse de universo sacro jure responderet. Valentinianus senior apud Ambrosium in verbis, quæ alias sunt allata, constituit, *In caussa Fidei vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis.* Honorius Arcadium objurgavit, quod Chrysostomum canonici criminis arcessitum urbe exterminasset, *Quum*, inquit, *si quid de caussa Religionis ageretur, Episcopale oportuerit esse judicium. Ad illos enim Divinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium.* Id ipsum declaravit Basilius Imperator in octava Synodo, quæ de disciplina ad creandorum Patriarcharum negotium pertinente judicium tulerat, Λαϊκῳ δε οἱῳδηποτε κατ' οὐδενα τροπον ἐξεστι λεγειν κ. λ. *Laico cuicumque nulla ratione de Ecclesiasticis caussis disputandi aut universam Ecclesiam Œcumenicamque Synodum oppugnandi fas esse dico. Hæc enim excutiendi & in utramque partem agitandi Patriarcharum, Sacerdotum & Doctorum est officium, quibus a Deo ligandi & solvendi potestas est concessa. Nam laicus, etsi omni pietatis & sapientiæ laude præstet*, ἀλλα λαϊκος, και προβατον, οὐ ποιμην, *tamen laicus est, & ovis,*

non pastor. At enim, inquis, Justinianus Imperator de Religionis ritibus leges scripsit. Quas scilicet? Inter omnes, quas tulit, una commemorari potest, quæ ad liturgica negotia referri debet. Nanque sic legimus *in Novella* CXXXVII. *cap.* VI. Κελεύομεν πάντας ἐπισκόπους τε καὶ πρεσβυτέρους, μὴ κατὰ τὸ σιωπώμενον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς τῷ πιστοτάτῳ λαῷ ἐξακουομένης τὴν θείαν προσκομιδὴν καὶ τὴν ἐπὶ τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι προσευχὴν ποιεῖσθαι. πρὸς τὸ κἀντεῦθεν τὰς τῶν ἀκουόντων ψυχὰς εἰς πλείονα κατάνυξιν καὶ τὴν πρὸς τὸν δεσπότην θεὸν διανίστασθαι δοξολογίαν. *Jubemus omnes Episcopos & Presbyteros non in secreto, sed cum ea voce, quæ a fidelissimo Populo exaudiatur, divinam oblationem & precationem, quæ fit in baptismate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem & Dei laudationem & benedictionem efferantur*. Hæc Imperator, qui tamen non illud egit, ut novum sacrorum jus conderet (scivit enim ad Pontifices eam rem pertinere,) sed ut tanquam Religionis custos eum morem reuovaret, quem, licet pium & eximium, Pastorum aliquorum opera fuisse obliteratum credebat. Nisi enim de optimo Imperatore id existimemus, profecto is accusandus est, quasi primus contra Majorum instituta insolenter de Religione legem dixerit. Igitur concludamus necesse est, Sacerdotum jure contineri quidquid ad sacrorum procurationem, & ad religionis disciplinam respiciat.

III. Nunc dicendum est de altero loco, quem Grotius tractavit, an scilicet qui Sacerdos sit, idem ad Rempublicam accedere possit. Optime ille arbitratus est, Pontificatum penes eos ipsos resedisse, qui Populos Imperio regebant, cum Religio ex solis naturæ legibus administrabatur. Auctor enim est Aristoteles, Reges, quos primum hominum cœtus delegere, non modo gerendo bello, sed divinis accurandis rebus præfuisse. Verba proferamus, quæ Stagirites habet *in libro* III. *de Republica cap.* XIV., Τέταρτον δ' εἶδος μοναρχίας βασιλικῆς, αἱ κατὰ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους ἑκούσιαί τε καὶ πάτριαι γιγνόμεναι κατὰ νόμον. διὰ γὰρ τὸ τοὺς πρώτους γενέσθαι τοῦ πλήθους εὐεργέτας κατὰ τέχνας ἢ πόλεμον, ἢ διὰ τὸ συναγαγεῖν, ἢ πορίσαι χώραν, ἐγίγνοντο βασιλεῖς ἑκόντων . . . Κύριοι δ' ἦσαν τῆς τε κατὰ πόλεμον ἡγεμονίας, καὶ τῶν θυσιῶν, ὅσαι μὴ ἱερατικαί, *Quartum autem genus Monarchiæ Regalis complectitur illas quæ temporibus heroicis floruerunt, quibus Populi sponte sua parebant, quæque erant avitæ & patriæ & legitimæ. Quia enim primi de multitudine bene meriti fuissent vel tradendis artibus, vel bellis gerendis, aut quia dispersos congregassent, aut quia solum agrumque præbuissent, Reges a volentibus creabantur.. Erat autem penes eos & Imperii bellici, & sacrificiorum, quæ modo ad Sacerdotum partes non pertinebant, arbitrium & potestas*. Idem Aristoteles, cum Regnorum genera, de quibus edisseruerat, iterum commemorasset, hoc omnium vetustissimum, quod quarto loco reposuerat, nunc primum percurrit, Βασιλείας, inquit, μὲν οὖν εἴδη ταῦτα, τέτταρα τὸν ἀριθμόν. μία μὲν, ἡ περὶ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους. αὕτη δ' ἦν ἑκόντων μὲν ἐπί τισι δ' ὡρισμένοις. στρατηγὸς γὰρ ἦν καὶ δικαστὴς ὁ βασιλεὺς καὶ τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς κύριος, *Quatuor igitur Monarchiæ genera, unum quidem erat circa heroica tempora, atque hoc erat volentium quidem, sed in quibusdam præfinitis. Rex Imperator erat & Judex & rerum divinarum arbiter*. Hæc Aristoteles, quæ veteres græci communi consensione posteris prodiderunt. Heraclides de Atheniensibus, ὁ δὲ βασιλεὺς τὰς θυσίας διοικεῖ, καὶ τὰ πολέμια, *Rex quæ ad sacram & rem militarem pertinent, administrat*. Pisistratus in Ep. ad Solonem dicit, ad seipsum tanquam ad Pontificem deferri decimas omnium fortunarum, quas cives haberent, ut in faciendis sacris publico essent usui. Is enim inquit, ἀπάγει δὲ ἕκαστος Ἀθηναίων τοῦ αὐτοῦ κλήρου δεκάτην, οὐχ ἐμοὶ, ἀλλ' ὁπόθεν ἔσται ἀναλοῦν ἐς τε θυσίας τὰς δημοτελεῖς, καὶ εἴ τι ἄλλο τῶν κοινῶν, *seponit quisque Atheniensium suarum facultatum decimam non mihi, sed ut sit quod absumatur cum in publica sacra, tum si quid aliud sit ad Rempublicam pertinens*. Quocirca Diogenes Pythagoricus inter partes, quas Principatui attribuit, præcipuam numerat Pontificiam auctoritatem. Nanque apud Stobæum in serm. XLVI., *Necesse est*, inquit, *perfectum Regem Imperatorem esse strenuum*, καὶ δικαστὰν καὶ ἱερέα *& Judicem & Sacerdotem*. Apud priscos Romanos Reges erant Sacerdotes, quibus exactis, ad quædam factitan-

dà

da sacra, quæ ab illis erant peragenda, Rex sacrorum creatus est. Sic Livius *in libro* II. *cap.* 2., *Quia quædam publica sacra per ipsos Reges factitata erant, necubi Regum desiderium esset, Regem sacrificulum creant.* Strabo in libro XII. pag. 575. de Cleone mentionem injecit, qui Antonii primum fortunam sequutus, deinde Cæsaris paulo ante Actiacam victoriam partibus sese adjungens non modo Regnum quoddam in Mysia gerebat, sed duplex Sacerdotium nactus fuerat in Abrettena & Ponto: Ἱερεὺς μὲν ὢν τοῦ Ἀβρεττηνοῦ Διὸς Μυσίου Θεοῦ. μέρος δ' ἔχων ὑπήκοον τῆς Μορηνῆς. Μυσία δὲ ἐστι καὶ αὕτη καθάπερ ἡ Ἀβρεττηνή. λαβὼν δὲ ὕστατα καὶ τὴν ἐν τῷ Πόντῳ τῶν Κομανῶν ἱερωσύνην . . . κατέστρεψε τὸν βίον. *Sacerdos creatus Jovis Abretteni, qui Mysiorum est Deus, & Morenæ (quæ itidem ut Abrettena ad Mysiam spectat) parte donatus, demum quum Comanense etiam Sacerdotium in Ponto suscepisset . . . e vita decessit.* Idem Geographus *in lib.* XIV. *pag.* 672. auctor est, Sacerdotem Jovis, qui in Olbo Ciliciæ Urbe colebatur, Dominum esse Trachiotidis, hoc est Ciliciæ, quæ Occidentem respiciebat: hunc Pontificem, eundemque Regem ex familia Teucri semper fuisse, qui templum Jovi in Olbo dedicaverat: Succedendi eum ordinem, quem Tyranni sustulerant, post Abam fuisse renovatum. Sic enim Geographus, Ἔτι δ' ὑπεράνω τούτων τε καὶ τῶν Σόλων ὀρεινή ἐστιν, ἐν ᾗ Ὄλβη πόλις, Διὸς ἱερὸν ἔχουσα, Αἴαντος ἵδρυμα τοῦ Τεύκρου. καὶ ὁ ἱερεὺς δυνάστης ἐγίνετο τῆς Τραχειώτιδος. Εἶτ' ἐπέθεντο τῇ χώρᾳ τύραννοι πολλοί, καὶ συνέστη τὰ λῃστήρια. Μετὰ δὲ τὴν τούτων κατάλυσιν, ἐφ' ἡμῶν ἤδη τὴν τοῦ Τεύκρου δυναστείαν ταύτην ἐκάλουν, τὴν δ' αὐτὴν καὶ ἱερωσύνην. καὶ οἱ πλεῖστοί γε τῶν ἱερασαμένων ὠνομάζοντο Τεῦκροι ἢ Αἴαντες κ. τ. λ. *Supra hæc oppida & Urbem Solos posita est Urbs Olbus, Jovis habens templum a Teucri Filio Ajace dedicatum. Ejus Pontifex Dominus erat Trachiotidis. Deinde huic ditioni inhiaverunt multi tyranni, & collegia prædonum sunt constituta. His deletis nostra jam ætate Teucri ditio ea appellari cœpit, atque Sacerdotium: & quidem plerique eorum, qui ibi fuerunt Pontifices, Teucri aut Ajacis nomen gesserunt. Aba autem quum per nuptias in eam se familiam inseruisset, Zenophanis unius de Tyrannis Filia dominationem suam fecit, quam ante Pater sub tutelæ nomine occupaverat: postea etiam Cleopatra & Antonius obsequiis demerenti Abæ eam ditionem largiti sunt. Aba sublata, Familiæ Teucri ditio relicta permansit.* Straboni maximam lucem offundunt plura Principum Cilicum numismata, quæ in privatis Europæ Cimeliarchiis asservata nobis descripsit vir eruditus Belley in tomo XXVII. *Memor. Gallic. R. Acad. Inscript. humaniorumque litterarum.* Hæc numismata ad Polemonem, Ajacem & Teucrum Olbæ Principes pertinent.

POLEMONIS.

I. Numisma. In parte antica caput virile & caduceus visitur cum his verbis, M. ΑΝΤΩΝΙΟΥ *Marci Antonii.* In postica leguntur hæc, ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΤΟΠΑΡΧΟΥ ΚΕΝΝΑΤΩΝ ΛΑΛΑΣ. ΕΤ. Β. *Pontificis Toparchæ Kennatorum & Lalassium An.* II.

II. Numisma. Aspicitur caput Polemonis juvenile nudum sinistr. conversum cum verbis, M. ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ *M. Antonii Polemonis Pontificis.* Tum ΚΕΝΝΑΤ. ΔΥΝΑΣΤΟΥ ΟΛΒΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ. Ε. ΙΑ. *Dynastæ Kennatorum Sacræ Urbis Olborum & Lalassium. An.* XI. Symbolum est Sella, cujus a dextris posita est triquetra.

III. Numisma. Effigies in eo est forma Polemonis eadem atque in secundo numismate cum iisdem verbis, ΜΑΡΚ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ *Marci Antonii Polemonis Pontificis.* Tum ΔΥΝΑΣΤΟΥ ΟΛΒΕ.. ΚΕΝΝΑΤΩ.. ΚΑΙ ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ. Ε. ΙΑ. *Dynastæ Olborum, Kennatorum & Lalassium An.* XI. Symbolum est Fulmen alatum.

AJACIS.

I. Numisma. Exprimitur caput Augusti intra coronam lauream cum verbis, ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ *Cæsaris Augusti*.

Tum ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΑΙΑΝΤΟΣ ΤΕΥΚΡΟΥ ΤΟΠΑΡΧΟΥ ΚΕΝΝΑΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΛΑΣ. *Pontificis Ajacis Teucri Toparchæ Kennatorum & Lalassium*. Symboli loco sunt duo fulmina.

II. Numisma. Scalpitur caput Ajacis cum verbis, ΑΙΑΝΤΟΣ ΤΕΥΚΡΟΥ *Ajacis Teucri*.

Tum adjiciuntur hæc in area triquetra, ΑΡΧΙΕΡΕ . . . ΤΟΠΑΡΧΟΥ ΚΕΝΝΑ. ΛΑΛΑΣΣ. *Pontificis Kennatorum Lalassium*.

TEUCRI.

I. Numisma. Caput in eo Teucri imberbe nudum sinistr. conversum, ante caput caduceus cum verbis, ΤΕΥΚΡΟΥ ΑΙΑΝΤΟΣ *Teucri Ajacis*.

Deinde ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΤΟΠΑΡΧΟ . . . ΚΕΝΝΑΤ. ΛΑΛΑΣ. Ͼ ΤΑ *Pontificis Toparchæ Kennatorum*, *Lalassium* in area triquetra.

II. Numisma. Eadem Teucri forma & caduceus cum verbis ΤΕΥΚΡΟΥ ΑΙΑΝΤΟΣ *Teucri Ajacis*.

Sequuntur hæc, ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΤΟΠΑΡΧ. ΚΕΝΝΑΤΩΝ ΛΑΛΑΣΣ. Ͼ Γ Β. *Pontificis Toparchæ Kennatorum Lalassium*. Symbolum est fulmen.

Atque in Polemonis nummis hic Dynastes Marcum Antonium sese appellavit. Principes enim, qui vel Romano Imperio parebant, vel cum Romanis fœdere conjuncti erant, in publicis monumentis φιλορωμαιοι *Romanorum amici* sæpe dicebantur. Hunc morem ineundæ & conservandæ cum potentissimo Populo amicitiæ satis declarant numismata Mithridatis Eupatoris Regis Pontici, item Ariarathis & Ariobarzanis Regum in Cappadocia, denique Manni Regis in Arabia. Herodes Chalcidis Regno Præfectus a Claudio erga Imperatorem, qui de se optime merebat, animum suum ita significavit, ut nomini suo titulum φιλοκλαυδιου adjiceret. Sed plures Reges ad conciliandam sibi benevolentiam effusius Imperatoribus assentari coeperunt. Nam titulos suos, quos sive in nummis, sive in lapidibus, signis aliisque monumentis ponebant, nomine Imperatoris sepiebant, qui tum Romanum Orbem regebat. Apud Fabretum pag. 439. evolvere licet inscriptionem, in qua Rhoemetalces Rex Thracum, quo imperantem Augustum demereret, *C. Julium* se nuncupavit. Rhescuporis Bosphori Cimmerii Rex Tiberii prænomine elogium suum stipavit in numismate, ΙΟΥΛ. ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΡΗΣΚΟΥΠΟΡΙΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, *Rex Julius Tiberius Rhescuporis*. Per idem tempus Sauromates in nummis suis sic inscripsit, Τ. ΙΟΥΛΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩϹ ϹΑΥΡΟΜΑΤΟΥ, *Regis Tiberii Julii Sauromatæ*. Porro ipsæ Civitates ornari consueverunt appellatione ab eorum Imperatorum nomine accepta, qui magnis eas benefactis affecerant. Gadara Urbs erat in Decapoli Cœlesyriæ, quam Pompejus a Judæis eversam rogatu Demetrii liberti sui erexerat. Id memoriæ prodidit Josephus in lib. XIV. c. 8. Quocirca Gadarenses nummos suos his verbis signabant, ΠΟΜΠ. ΓΑΔΑΡΕΩΝ Ι. Α. Α. Γ. ΚΟΙ. CΥ. sive Πομπηϊανῶν Γαδαρεων ἱερᾶς ἀσύλου αὐτονόμου Γνωρίμου Κοίλης συριας, *Pompejanorum Gadarensium Urbis sacræ*, *inviolabilis*, *legibus suis viventis in Cœlesyria*. Illorum exemplo finitima Civitas Abila ad conservandam memoriam rerum, quas Augustus ei donaverat, nomine illius sese appellavit in nummis, CE. ΑΒΙΛΗΝΩΝ. Ι. Α. Α. Γ. ΚΟΙ. CΥ. hoc est σεβαστηνῶν Ἀβιληνων ἱερᾶς Ἀσύλου αὐτονόμου Γνωρίμου Κοίλης συριας, *Augustalium Abilenorum Urbis sacræ*, *inviolabilis*, *legibus suis viventis in Cœlesyria*. Hæc omnia Regum Civitatumque numismata in Museis virorum eruditorum Rhotelii & Pellerini asservantur. Quæ quum cognita habeantur, facile quisque intelligit, cur Polemon Marcus Antonius dicatur. Etenim Triumvir Antonius,

nius, quo tempore Octavius contra Sextum Pompejum Siciliæ moderatorem profectus
erat, in Asiam contenderat ad perdendas Bruti & Cassii factiones, si quæ post Phi-
lippensem Cladem reliquæ erant. Dum autem versatus est in Cilicia, Abæ Polemo-
nis adolescentis uxori firmum ratumque esse jussit Trachiotidis Principatum, quem
Abæ Pater quasi tutor occupaverat, ipsa autem viro ademptum gerebat. Ergo eam
ob rem prudentissima fæmina Polemoni, cujus nomine nummos signavit, Triumviri
Patroni sui prænomen adjungendum curavit. Ac primus Polemonis nummus excusus
est E. B. Anno 11. Regni hoc est 714. a C. U., alter autem E. IA. Anno XI. Re-
gni sive 723. a C. U. antequam Antonius ab Augusto ad Actium superaretur, quod
bellum in eo anno confectum est.

Sed non discedamus ab eo, quod instat. Polemon erat Ἀρχιερευς Ολβεων της
ἱερας *Pontifex sacræ Urbis Olborum*. De sacrarum Urbium dignitate consulantur Spanhe-
mius *de Præst. & us. Numismatum t. 1. pag.* 659., & Vaillantius *Numism. Gr. pag.*
211. Idem Polemon erat Δυναστης Κεννατων, Ολβεων, και Λαλασσεων *Dynasta Kenna-
torum, Olborum & Lalassium*. De Kennatis Geographi veteres haud commemorant.
Quum vero is Populus in ditione Pontificis esset, qui Olbam regebat, profecto vide-
tur contineri antiqua Ketide, quam in Cilicia non longe ab Olba recedentem Ptolo-
mæus posuit lib. v. cap. 8. Ac forte ea Regio, quæ Κητις a Ptolomæo vocatur, olim
appellabatur Κενναις, perinde atque ea pars Ciliciæ, quæ Σελινουσις dicitur, primum
Σελινουντις nuncupabatur. De Lalasside autem mentionem injecit Plinius in lib. v. cap.
25.: Urbs erat Isauriæ, quæ Provincia primum ad Ciliciam & Pamphyliam perti-
nebat, *Ciliciæ*, inquit Plinius, *Pamphyliam omnes junxere, neglecta gente Isaurica*.
Demortuo Polemone is, qui Olborum Pontifex erat, Trachiotidis Imperium gerere
perrexit. Ajax quidem, cum Augustus Orbi præerat, & Pontifex & Dynasta fuit.
Ille enim in Nummis caput Augusti expressit cum verbis, Ἀρχιερεως Αιαντος Τευκρου
Τοπαρχου Κεννατων και Λαλασσεων *Pontificis Ajacis Toparchæ Ketidis & Lalassidis*.
Qui Ajaci successerunt a Pontificatu Imperium non disjunxerunt. In Nummis enim
Teucer, & Pontifex & Toparcha appellatur: Quamvis enim is Princeps quo tempo-
re vixerit, ex nummis intelligi non possit, certe post Ajacem illum floruit, qui Au-
gusti æqualis fuit.

Hæc quidem de Principibus, iisdemque sacrorum Præsidibus apud Ethnicas Gen-
tes. Accedamus porro ad veteris Fœderis historiam, ex qua certo accipimus, veteres
tum Reges, tum Patriarchas in Republica & familia Imperii & Sacerdotii partes obivisse.
Noe quidem post Orbem ab imbribus liberatum Jehovæ aram posuit & in ea sacrificavit.
Nanque Deo עולה *holah* obtulit sive *victimam*, quæ tota extis Altari imposita
est sive *ascendit*, Gen. VIII. 20. Melchisedekus qui Salemensibus in Chananitide præfectus
erat, Pontificatum simul administrabat: Sacerdos enim erat לאל עליון lel helion *Dei
altissimi*. Cum sane in Orientis Regionibus multi dicerentur אלים elim, elohim אלהים
is qui summus existebat Deus, Ἑλιουν *altissimus* vocabatur. Ex quo Phœnices, quam-
vis deinde superstitione obruerentur, tamen colebant Majorum more Deum Ἐλιουν.
quam vocem ad significandum *Deum altissimum* valere Philo Biblius docuit. Sed quod
agitur. Melchisedeko igitur Regi, eidemque maximo sacrorum Antistiti habitus est
honos a Chananæis & præsertim ab Abramo. Nanque ex universa præda, quam jure
belli ceperat, decimam ei libenter persolvit, Gen. XIV. 20. Nec oportet de Sacerdo-
tiis commemorare Abrahami, Isaaci, Jobi, Jacobi aliorumque, qui familiarum fue-
runt Principes. Quem enim prætereat, eos Jehovæ sacra fecisse? Videamus potius
de Sacerdotio, quod ad Primogenitos pertinuisse videtur. Hoc enim in quæstionem
venit. Joannes Seldenus *in diss. de Decimis*, item *in lib. 1. de success. in Pontif. cap.*
1., Samuel Bochartus *Hierozoic. part. 1. col.* 575. aliique, in quibus est Grotius no-
ster, censent Primogenitis sacrorum Principatum fuisse adjunctum eodem jure, quo
multa præcipua inter cæteros liberos sibi sumebant. Auctores habent Hebræos sententiæ
suæ, de quibus Hieronymus *Tradition. in Gen.*, & in *epist. ad Evagrium*, & hoc *Simul*

& hoc tradunt (Judæi) *quod usque ad Sacerdotium Aaron omnes Primogeniti ex stir-*
pe Noe fuerint Sacerdotes & Deo victimas immolarint , & hæc esse primogenita , quæ
Esau fratri suo vendiderit Jacobo. Atque illi plura argumenta adjiciunt , ex quibus ea
seligimus , quæ ad rem adcommodatiora existimant . Primum autem solent afferre,
Legem esse conditam , in qua Deus Israelitarum primogenitos Numini suo esse sacros
jussit, *Exod.* XIII. 2. Tum dicunt , Mosem commemorasse de quibusdam Sacerdoti-
bus *Exod.* XIX. 22., quos cap. XXIV. 5. *Juvenes filiorum Israel* appellavit, eos ipsos,
quibus offerendas victimas commisit. Postremo illud expromunt , in quo maxime ni-
tuntur, Levitas in Primogenitorum locum fuisse subrogatos *Num.* III. 41. Hæc qui-
dem , ex quibus efficiunt , liberos, qui natu essent maximi, administrandis Religionis
sacris præfuisse eam ob rationem , quod ortu aliis antistarent. At enim contra sen-
tiunt Jo: Spencerus de *Leg. Hebræorum ritualibus lib.* I. *cap.* VI. *sect.* II., Campegius
Vitringa *in lib.* II. *cap.* 2. *observ. sacr.*, & Joannes Clericus in *adnotatis ad Gen.*
XXV. 31. Nanque in his, quæ sunt prolata , nullum inveniunt momentum , quod ad
probandum Primogenitorum Pontificatum valeat . Omnia facile ab iis explicantur . Sic
censent, Deum quidem præcepisse, primogenitos Israelitarum sibi sacros haberi, non
eo consilio, ut illos in Sacerdotes cooptaret , sed ut palam faceret, se , interfectis
omnibus Ægyptiorum primogenitis , Israelitis pepercisse . Tum dicunt , Mosis sane
jussu adolescentes in Altari, quod positum erat, sacra pro Hebræo populo confecisse,
eosque holocautomata & salutares hostias, vitulis mactatis, obtulisse: Sed nihilosecius
tales adolescentes non fuisse Principes ortu inter cujusque familiæ liberos, sed delectos
quosdam juvenes , quibus sacrificandi munus Moses pro arbitrio committebat, antequam
Sacerdotium unius Aharonis genti a Deo conferretur . Nanque hebraica vox נער *na-*
har, qua Moses utitur, non significat primogenitum , etiamsi in eum sensum ab inter-
prete Chaldæo accipiatur , sed quemvis adolescentem , eum scilicet , quem latini ap-
pellabant adolescentem, tot annis natum , quot satis non esse videntur, ut quis ætate
grandior dicatur. Denique cum Deus Levitas loco primogenitorum legit , eo dumta-
xat spectavit , ut, cum antea Primogenitos sacros habuisset , in posterum & humimo-
di Religione solveret , iisdemque Levitas subrogaret . Atque ita prorsus censendum
est, ea de causa , quod Levitas non tanquam Sacerdotes , sed veluti Sacerdotum sa-
cros administros Deus delegit. Ista homines disputant , ut primogenitos abdicare Pon-
tificatu possint. Verum nobis ea de re quærentibus , invenire hoc certum licuit, nullum
esse Dei præceptum in sacris prisci Fœderis libris , ex quo primogeniti cooptari in
Sacerdotes debuissent . Attamen abnuendum non est , quin ad eos Sacerdotium perti-
nuerit , si hoc ipsum ex sententia intelligatur . Convenit inter omnes , quod ex histo-
ria Patriarcharum perspicuum est , Patresfamilias pro iis omnibus , qui familia aut
gente sua continebantur , Deo sacrificasse & cæteras Pontificum partes imple-
visse . Atque id ita se habebat, dum Principes Patresfamilias vixissent . Sed his de-
mortuis illi , qui natu grandiores existerent , omnino succedebant non modo in uni-
versæ Gentis principatum, sed in sacerdotium . Nanque illis cæteri Fratres in oeco-
nomicis & in sacris parebant . Ergo quamdiu magnæ Familiæ non dissociabantur ,
Pontificatus conjunctus erat eorum gradui , qui omnium Fratrum primi in lucem susce-
pti essent . Quod si singuli Fratres, res quisque suas, sibi haberent , & familiam seor-
sum ab illa , quæ erat princeps , conderent , profecto iidem illud assequebantur , ut
tum Imperium , tum Sacerdotium in domo sua jure administrarent . Sic vivo Patre
Jacobus sacrificandi munere functus est, non quod primogenita ab Esau coëmisset, sed
quod a Patris domo discedens novam familiam ædificasset . At hoc breviter quod co-
piose disserunt Buddeus *in Diss. de peccatis typicis*, *& in Histor. critic. dogm. & cult.* Pe-
trus Jurieus .

Ergo Patresfamilias in domo sua , & civilibus consociatis coetibus iidem , qui
summo præerant Imperio, Pontificum muniis fungebantur . In his commemorandus est
Moses , qui , cum Hebræorum Rempublicam imperio regeret , tamen in sacerdotio
versa-

Ex ERCITATIO CRITICA.

autem est, an Moses ea dignitate sese abdicaverit, cum so-

versatus est. Quærendum in Sacerdotes allecti fuerunt. Atque nonnullos novimus,
li Aharonidæ auctore Deo Regem, sed Pontificem perpetuum existiment. Inter eos Joan-
qui Mosem non modo Regem 1. de succes. in Pontif. arbitratur, Mosi quasi extra ordi-
nes Seldenus in lib. 1. cap. adjunctum. Maximo illis est argumento comma hujusmodi,
nem Pontificatum fuisse proferunt, Moses & Aaron בכהניו (bechohanau) in Sacer-
quod ex Psalmo XCIX. prorsus censemus, Aharonidis Pontificatum ita fuisse creditum,
dotibus ejus. At nos prorsus Reges obire potuissent. Hoc Scriptura confirmat. Contra
ut nullas ejus partes deinde ratio nullam vim habet; si hebraicæ vocis significatus expro-
illorum, qui dissentiunt, (unde Bechohanaju in Psalmo) id valet, quod λειτουργεῖν
matur. Nanque כהן cohen si tanquam participium efferetur, pristinam significa-
ministrare: Hoc ipsum verbum ad Deum pertineat, profecto significat τὸν λειτουργὸν τοῦ
tionem conservat: Si enim Regem, plane declarat hujus Procerem & Magistratum. Sic
θεοῦ ministrum Dei, sin ad Regem 18. vox כהנים cohanim (scilicet a cohen) Latine con-
in libro II. Regum cap. VIII. Sacerdotes. Verba sunt, Filii David cohanim erant, quæ
vertenda est, Proceres, non Sacerdotes erant, Davididis contra Divinas Leges Sacerdo-
si reddideris, Filii David Sacerdotes erant, Davididis contra Divinas Leges Sacerdo-
tium attribues: Præclare interpretibus septuaginta cohanim in libro Regum sunt αὐλάρχαι
Aulæ præfecti. Itaque Psalmi illius, qui allatus est, verba ita Latine sunt efferenda,
Moses & Aharon in ejus ministris, sive Moses & Aharon Dei locum tenent, ille in
gerenda re publica, hic in factitandis sacris. Quæ cum explicata sint, ex iis effici
non potest, Mosem fuisse Pontificem, nec extra ordinem quidem, postquam nimirum
Aharonis familia ad exercendum Sacerdotium divinitus delecta est. Hoc multis dispu-
tant Theodorus Hackspanius in Not. bibl., Sal. Glassius in Select. Mos. & in Mantissa
philol. sacr. aliique, quorum nomina edit Georg. Serpilius in Personalibus Mosis.

IV. Atque hactenus omnia uberrime exposuimus, quæ Grotius disputavit de con-
junctione illa, quam Sacerdotium & regnum sibi conciliaverant, antequam Deus pri-
mum in Republica Israelitica, deinde in christiana Ecclesia alterum ab altero dire-
misset. Sed de christianis sacrorum administris Arminianus duo dicit, eos Religionis
esse solum præcones, nec veros Sacerdotes, & iisdem imperium ita esse sublatum, ut
id habere non possint nec Populorum liberorum consensione, nec illorum, qui summi
rerum publicarum sunt Rectores, pia liberalitate. Quod autem primum est, in ser-
mone sic injecit, Ut præcones novi Testamenti Sacerdotes speciatim appellentur, est qui-
dem receptum antiqua Ecclesiæ consuetudine, sed non de nihilo est, quod ab eo loquendi
genere & Christus ipse & Apostoli semper abstinuerunt. His verbis declarat, Christo &
Apostolis caussam fuisse, cur eos, qui sacris præsunt, Sacerdotum elogio non affece-
rint: nimirum quod Ecclesia rem illam non habeat, in qua Sacerdotes versentur. Sic
enim in sententiam Arminianorum loquitur, qui sentiunt, in Catholica Ecclesia, nul-
lum esse verum sacrificium, & nullum ei congruentem Pontificatum, quandoquidem
nec sacrificium sine Sacerdotio, nec Sacerdotium sine sacrificio consistit. Sed capita-
lem eam hæresin Catholica Ecclesia dudum damnavit. Christus enim, vetere abroga-
to, novum Deo sacrificium se ipsum obtulit, idque exemplo suo & in sui memoriam
identidem faciundum præcepit. Ipse enim summus Pontifex non solum cruento sacri-
ficio functus est, sed incruentum alterum instituit, ad quod instaurandum sacros Pa-
stores creavit. Hi enim factitant, quod Christus fecit, & offerunt, quod ille obtulit
in extrema coena, sic ut verum Sacerdotium gerant. Hoc dilucide sacrarum Scriptu-
rarum testimonia docent, quæ Theologi nostri contra hæreticos plena manu promule-
runt. Attamen unum & alterum ex antiquis Ecclesiæ doctoribus audiamus. Irenæus
apostolicorum temporum æqualis pluribus in locis singulare istud evangelicæ proprium
legis sacrificium commendat, quod ab illis conficitur, qui corpus & sanguinem Domi-
nicum Deo offerunt. Sic enim in lib. IV. cap. 39. Ut igitur, inquit, non his indigens
Deus (quæ in pauperes scilicet conferuntur) attamen a nobis propter nos fieri vult,
ne simus infructuosi: Ita idipsum Verbum dedit Populo præceptum faciendarum obtatio-
num

num, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire. Sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Cum Irenæo concinit vetustior eo Justinus Martyr, qui, cum Malachiæ Vaticinium de novæ legis sacrificio recitasset, sic pergit *in Dialog. cum Tryph. pag.* 201. Περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας, προλέγει τότε εἰπών, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ δοξάζειν ἡμᾶς, ὑμᾶς δὲ βεβηλοῦν, *De iis vero, quæ a nobis gentibus ipsi offeruntur in omni loco sacrificiis, idest de pane Eucharistiæ, & Calice perinde Eucharistiæ prædicit jam tum locutus, & nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.* . Vides quomodo priscus christianæ Religionis Patronus panem & calicem Eucharisticum appellat sacrificium, quod sæpe in Ecclesia factitatur. Sed manifestius Cyprianus in Epistola 63. docet, Ministros a Christo fuisse constitutos, qui sine cruore idem ipsum sacrum instaurarent, quod ipse Deo Patri fecit, eosque Christi vices obire, ex quo Sacerdotum præconio commendentur necesse sit: *Si Jesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri seipsum primus obtulit, & hoc fieri in commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vices Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur, & sacrificium plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* Nam quod Christus Pastores, quibus gubernandam Ecclesiam commisit, Sacerdotes non dixerit, nihil nostra refert, dum rem ipsam qualicumque significatam vocabulo institutam ab ipso esse Christianum nomen omne consentiat. Nos enim non de vocibus certamina serimus, sed ipsum dogma vindicamus. Quin etiam ipsis Sacerdotii & Sacerdotum vocabulis summa est auctoritas, quod a primis Ecclesiæ incunabulis sacrorum administris evangelicis fuerunt imposita. Certe nihil causæ est, cur illa Arminianus reiiciat, quod ab iisdem usurpandis Christus & Apostoli abstinuerunt.

V. Hæc pauca de Christianis Sacerdotibus. Dispiciatur porro oportet, an iis qualecumque mandari imperium possit sive a liberis Populis, sive a summis Regibus. Certum habemus equidem, penes illos nullam publicam residere ditionem, quæ vel in natura christiani Sacerdotii insit, vel ab auctore Christo proficiscatur. At nusquam Christus vetuit, ne Sacerdotibus tam Reipublicæ consensu, quam a piis Regibus politicus principatus deferatur. Nanque ex iis, quæ Grotius attulit, hoc solum effici potest, evangelicos Sacerdotes apostolici muneris caussa nullum quamvis perexiguum posse sibi adscribere dominatum. Non abnuendum autem est, quin Ecclesia ab initio exoptaverit, sacros Pastores ita rationem instituere suam, ut ad gerendam Religionem totum animum adjungant, nec ab ea re unquam avocent ob civilium & publicarum rerum procurationem, quæ iis credita sit. Apostolus Timotheum monuit, ne Civitatis negotiis implicaretur. Nanque in epistola secunda, quam ad eum misit, cum de Sacerdotis partibus differuisset, ita pergit cap. II. v. 4., Οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, *Nemo militans implicat se negotiis secularibus.* Declarat enim, tanquam publicum militem qui ex lege civilibus utilitatibus vacare non potest, sic Sacerdotibus veluti Christi militibus non licere publica munia administranda suscipere. Hoc præceptum Ecclesia multis in canonibus jussit. Inter eos, qui Apostolis attribuuntur, tres numerantur, qui eo planissime pertinent. Canon. VII. hæc habet, Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω. εἰ δὲ μή, καθαιρείσθω, *Episcopus vel Presbyter vel Diaconus seculares curas non suspiciat: alioquin deponatur.* Canon LXXXI. dicit, Εἴπομεν, ὅτι οὐ χρὴ ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον καθιέναι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, ἀλλὰ προσευκαιρεῖν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς χρείαις. ἢ πειθέσθω οὖν τοῦτο μὴ ποιεῖν, ἢ καθαιρείσθω. οὐδεὶς γὰρ δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν κατὰ τὴν κυριακὴν παράκλησιν, *Diximus, non oportere, Episcopum vel Presbyterum seipsum ad publicas administrationes demittere, sed in Ecclesiasticis negotiis versari. Vel ergo ita non facere persuadeatur, vel deponatur. Nemo enim potest duobus Dominis ministrare secundum Christi jussionem.* Canon LXXXIII. in eandem sen-

sententiam loquitur, Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος στρατείᾳ σχολάζων, καὶ βουλόμενος
ἀμφότερα κατέχειν, Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν, καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν, καθαιρείσθω. τὰ γὰρ τοῦ Καίσαρος
Καίσαρι καὶ τὰ τοῦ θεοῦ θεῷ, Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & utrasque
obtinere volens, Romanum scilicet magistratum, & Sacerdotalem administrationem, depo-
natur. Quæ sunt enim Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Græci Balsamon &
Zonaras existimant, in hoc postremo canone Sacerdotes solum submoveri a militari-
bus muniis: Nanque censent, vocem στρατείαν tantum ad significandam militiam va-
lere. Verum Gothofredus com. in Cod. Theod. lib. XII. tit. I. de Decurionib. leg. LXIII.
& doctus Pagi Crit. in Baron. an. CCCLXXV. n. XII. docuerunt, voce στρατείας quæ-
cumque officia declarari sive togata, sive militaria, quæ omnia ad conservandam Rem-
publicam pertinent. Atque eam ob rem στρατεία in proximis canonis verbis vocatur
Ῥωμαϊκὴ ἀρχὴ Romanus magistratus, & τῇ ἱερατικῇ διοικήσει Pontificiæ administrationi op-
ponitur, idque bene cognitum habuerunt Logotheta & Aristenus, qui verba illa στρα-
τείᾳ σχολάζοντα reddiderunt uno verbo ἄρχοντα imperantem, de quo eruditus Bevere-
gius in Not. ad apostolicos canones. Ad hoc inter multa, quæ Paulo Samosatensi
Antiochena synodus crimini dedit, præcipuum illud fuit, quod in politicis admini-
strandis operam impenderet. Is enim civiles Dignitates (κοσμικὰ ἀξιώματα) suscepe-
rat, & Ducenarius dici, quam Episcopus maluerat, quod ex epistola Antiochensium
Patrum Eusebius in Hist. lib. VII. cap. XXX. memoriæ prodit. Ducenarii Romanis
erant procuratores, qui ducenta sestertia quotannis a principe accipiebant, teste Dio-
ne in lib. LIII. De iis plura Salmasius ad Historiam Augustam. Vetuit igitur Ecclesia,
ne Sacerdotes ad Rempublicam accederent, idque hujusmodi consilio ut in admini-
stranda Religione studium omne collocarent suum: Sed nihilosecius vel iis tempori-
bus, cum Religio diligentiam Sacerdotum maxime flagitabat, interdum ei legi deroga-
vit. Nanque vir probus Jacobus idem Episcopus erat & Dux Nisibis, Antiochiæ myg-
donicæ, quam urbem Persis & Romanis confinem esse Geographi docuerunt. Theo-
doretus in libro II. c. XXX. Νίσιβις, ἣν Ἀντιόχειαν Μυγδονίας τινὲς ὀνομάζουσιν, ἐν με-
θορίῳ κεῖται Περσῶν καὶ Ῥωμαίων ἡγεμονίας. ταύτης ἐπίσκοπος ἦν καὶ πολιοῦχος καὶ στρατη-
γὸς Ἰάκωβος . . . . ὁ δὲ Ἀποστολικῆς χάριτος τὰς ἀκτῖνας οὗτος ἠφίει, Nisibis, quam
nonnulli Antiochiam Mygdoniæ appellant, urbs est in confinio Imperii Persarum, & Ro-
manorum sita. Hujus Episcopus & Servator & dux erat Jacobus . . . . qui Apostolicæ
gratiæ radiis coruscabat. Verosimile enim est, Imperatores Constantinum & Constan-
tium Episcopo Mygdoniæ Civitatis imperium detulisse, quod eundem procurandis ne-
gotiis tam Reipublicæ, quam Religionis idoneum existimassent. Atque par est intelli-
gi, Jacobum eo non fuisse perventurum ut ad Mygdoniorum rem publicam gerendam
aggrederetur, nisi Ecclesia sivisset. Is enim optimis veterum judiciis & magna san-
ctitatis existimatione usus est. Sed quid opus est plura proferre exempla delatorum
Episcopis Principatuum sine ulla catholicæ Ecclesiæ intercessione? Perspicua enim sunt
ex clarissimis antiquitatis monumentis. Nanque nihil esse videbatur, quod obesset, ne
Sacerdotibus ex lege liberorum Populorum, aut a piis & summis Imperatoribus publi-
cus magistratus adjungeretur, dum nullæ Apostolici muneris partes ab iis ob novam
Dignitatem negligerentur. Documentum capi poterat ab Hebræorum Ecclesia. Quam-
vis enim divina lege rogatum esset, ut a Regno Pontificatus divelleretur, tamen
id in eam sententiam acceptum non est, ut qui Sacerdos esset, ei nullo pacto man-
dari Imperium posset. Postremis enim Hebrææ Reipublicæ temporibus iidem Pontifi-
ces & Reges fuerunt. Hoc nos docet primus Maccabaicus liber. Hinc Justinus, Is
mos apud Judæos ut eosdem Reges & Sacerdotes haberent: quorum justitia Religione per-
mixta, incredibile quantum coaluere. De Joanne Maccabæo Josephus in libro I. de
Bello Judaico cap. 3., Μόνος εἶχε τήν τε ἀρχὴν τοῦ ἔθνους, καὶ ἀρχιερωσύνην, καὶ προφη-
τείαν, Unus habebat Imperium gentis, Pontificatum & Prophetiam. Quod ipsum de A-
ristobulo & Hyrcano fratribus, quos vicit Pompejus, prodidit Dio in libro 36. pag.
121. ed. Reimar. At enim Sacerdotes, inquit Grotius, alius moribus prædit... sint
... Grot. Tom. I. L.

esse est, atque politici Populorum Rectores. Quos nimirum mores Magistratibus ille adscribet, quibus Sacerdotes ornari nefas sit? Magistratus enim Populis præfecti sunt, ut iis tranquillo frui otio, & beatam vitam publice exigere liceat: ex quo eam disciplinam suscipiant oportet, quæ omnes virtutes complectatur. Hæc autem vitæ ratio non modo Sacerdotes decet, sed ab iis maxime instituenda est. Dicendum est igitur, diversa esse Sacerdotum & Principum munia in Christianis Rebuspublicis, sed id tamen non officere, quominus is, qui Sacerdos est, legitime possit politicarum rerum aliquam procurationem comparare. Consulatur Thomasinus *de V. & N. E. D. lib.* I. *part.* III. *cap.* XXVI.

VI. Restant præconia illa, in quibus Imperatores Antiquitas Sacerdotes, Pontifices & Apostolos salutavit. Arminianus enim noster ex eorum nominum potestate argumentum cepit, penes Catholicos Principes illud esse sacrorum regimen, quod initio iis vindicavit. Arbitratus enim est, eos omnes, Ecclesiæ quemque suæ, sacros esse Gubernatores, tanta præditos potestate, quantam in Anglia post secessionem Reges sibi tribuerunt. Quocirca breviter docendum est, quorsum hujusmodi elogia pertinuerint. De Constantino ille dicit, *Non semel Episcopum se vocavit, quem Græci Scriptores sæpe* ἰσαπόστολον (Apostolo similem), *interdum* ἐν βασιλεῦσιν ἀπόστολον (Regem Apostolum) *nuncupant*. Primum veterum commata investigari necesse est, quæ Grotius in verbis suis spectavit. Hæc vero fuisse prorsus videntur. Apud Eusebium *in libro* IV. *de vita Constantini cap.* XXIV. hic Imperator Episcopos, quos convivio exceperat, his alloquutus est, ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς Ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος Ἐπίσκοπος ἂν εἴην, *Vos quidem in iis, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis, Ego vero in iis, quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus*. Item in Menæis suis Græci, Κωνσταντῖνος, inquiunt, ἰσαπόστολος, *Constantinus Apostolis par*. Denique in libello Synodico, quem Justellus *in Bibliotheca juris canonici veteris* post Photianum nomocanonem evulgavit, inter Nicænæ synodi Præsules Constantinus reponitur & Apostolis adcensetur, Ἔξοχον (τῆς Νικαίας συνόδου) προκαθεζόμενος, Βίτων καὶ Βικέντιος τὸν τόπον ἐπέχοντες Σιλβέστρου τοῦ πάπα Ῥώμης .... Ὅσιος ὁ Κορδούβης ἐπίσκοπος, καὶ Κωνσταντῖνος, ὁ ἐν Χριστιανοῖς βασιλεῦσιν ἀπόστολος, *Præfuerunt* (Nicænæ synodo) *Vito & Vincentius Presbyteri, locum tenentes Silvestri Papæ Romani .... Osius Cordubæ Episcopus & Constantinus inter Christianos Imperatores Apostolus*. Hæc omnia Grotio ante oculos obversata fuere, quæ nunc explicare paucis aggredimur. Docti viri multa disseruerunt de cognomento *Episcopus*, quod sibi Constantinus indidit. Primum piget refellere quidquid Antonio Van-Dale *in Diss.* II. *ad antiquitates e marmoribus illustrandas* de isto titulo in opinionem venerit. Quum enim ille constituisset, Constantinum magnum cæterosque Principes qui ab eo etiam post Gratianum imperium gesserunt, jure Gentium maximos fuisse Pontifices, putavit eos ab hujusmodi Dignitate id, quod eximium erat facile habuisse ut eadem auctoritate Christianis sacris præessent, quæ superioribus Augustis delata fuerat in procuranda ethnica religione. Quam audax & impudens consilium is inierit, universi vident, qui e Prolusione nostra acceperint, I. Non omnes christianos Imperatores, sed eos qui fuerunt usque ad Gratianum, sivisse quidem in marmoribus & in aliis publicis titulis maximos Pontifices appellari, sed ea mente, ne Gentes ob contemptum sacrorum suorum ab Imperio deficerent & Rempublicam perderent, II. In iis, quæ ad Religionem faciunt, aliud de Principibus, qui ethnicum orbem rexerunt, aliud de illis, qui christianis imperant Civitatibus, existimari oportere. Sic contra Vandalium. Neque porro necesse est persequi quid Nicolaus Vedelius & Jacobus Revius *de Episcopatu Constantini magni* fuderint, nec quid Guilielmus Apollonius in libro *de jure Majestatis circa sacra* contra Vedelium dixerit, nec denique quid Anonymus idest ipse Vedelius *in Grallis sive in vere puerili cothurno, quo se jactat Guilielmus Apollonius* responderit. Quid enim ab istis scriptoribus expectari possit, qui, quum universam publicæ Religionis procurationem politicis magistratibus assignent, eo Sacerdotium Con-

Constantini pertinere in animum induxerunt. Quamobrem aliorum sententias exponamus. Leo Allatius *de Consensu utriusque Ecclesiæ* pag. 230. putavit, civilia esse ea, quæ appellantur τὰ ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας *negotia extra Ecclesiam*, ita ut idem sit Episcopus *in iis, quæ sunt extra Ecclesiam*, atque Reipublicæ diligens curator & rector. Sed vir eximius non perspexit, quid insulsum in ea futurum oratione, in qua gravissimus Imperator sacros Præsules ita alloquutus esset, ut seipsum in civilibus gerendis rebus perinde Episcopum diceret ac illi Episcopi constituti fuerant in administrandis sacris. Post Allatium commemorandus est Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, qui in libro 11. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* existimavit, Constantinum Episcopum dici voluisse, ut declararet, se Gentilium esse Præsulem & Parentem eorumque saluti consulere, quemadmodum Episcopi Christianorum rebus studebant. Nanque censet Imperatorem ad leges illas suas respexisse, quibus sacrificiorum consuetudine Gentilibus interdixerat, iisque in honore esse diem Dominicum & tempora martyribus dicata jusserat. At enim Constantinus, si Gentilibus prospexit eosdemque ad veram Pietatem instituere sategit, pari labore Ecclesiam vindicabat eique tranquillitatem afferebat: Quinimo in hoc officio erat, cum se Episcopum vocavit. Nanque versabatur in conventu Episcoporum, quos non ad solam animi hilaritatem, sed ad capiendum de Ecclesia consilium domum evocaverat. Igitur par non erat, nt se potius Gentilium, quam in Ecclesia Episcopum appellaret. Hæc de viro docto Petro de Marca. Fuit deinde Baro Joseph Bimardus de la Bastie homo eruditus, & auctor Dissertationis *de Pontificatu maximo Romanorum Imperatorum*, quæ legitur in Actis Gallicanæ regiæ Academiæ Inscriptionum humanarumque litterarum. Hic post verba Imperatoris τῶν εἴσω & τῶν ἐκτὸς vocem ἀνθρώπων intelligi jussit, ita ut integrum comma sic converteret, *Vos quidem eorum hominum, qui sunt intra Ecclesiam, Episcopi estis, ego vero eorum, qui sunt extra Ecclesiam, sive Gentilium Episcopus a Deo sum constitutus*. Hactenus ille Marcæ concinuit, sed in cæteris dissensit. Nanque Constantinus, si ex Archiepiscopi mente intelligatur, neutiquam Sacerdotium illud commemoravit, quod primis christianis Imperatoribus Gentiles mandabant, sed eam ob caussam Episcopi cognomento seipsum ornavit, quod Gentiles quasi optimus Parens ad laudabilem disciplinam legibus suis informabat. Contra Bimardus sic habuit, Constantinum coram Christianis Episcopis maximum Pontificatum ostentasse, in qua dignitate inter ethnicos Sacerdotes eminebat. Hic enim cum Joanne Pacidio hoc est Jacobo Gothofredo agebat, qui in epistola ad Rivetum censuerat, christianos quidem Imperatores sese passos esse maximos Pontifices renunciari a Gentilibus, sed nunquam, ipsis approbantibus, eo titulo fuisse affectos. Igitur ad eum refellendum objecit, Constantinum magnum se Episcopum dixisse in Senatu Præsulum, ut summum, quod apud Gentiles gerebat, Sacerdotium significaret. Verum enimvero doctus vir partibus non defuisset suis, si in verbis Constantini ethnicum Pontificatum non invenisset. Nanque satis erat publicos protulisse titulos, in quibus Imperator, Nicænis ferme temporibus, Pontifex maximus salutatus est. Nihil attinebat hujusmodi argumentum adjungere, cujus manifesta imbecillitas bonæ causæ suspicionem injiceret. Verosimile enim non est, Constantinum, cum Ecclesiæ maxime providebat, tot confidentibus Episcopis veluti in concione denuntiasse, Gentilibus a Deo se datum esse Pontificem maximum. Istud quidem oratio non ostendit, siquidem post verba τῶν εἴσω & τῶν ἐκτὸς ex more suppleri possit πραγμάτων, ita ut illa latine sonet, *Vos quidem in iis negotiis, quæ sunt intra Ecclesiam, Episcopi estis, ego autem in iis, quæ sunt extra Ecclesiam, Episcopus a Deo sum constitutus*. Igitur, neglectis omnium sententiis, nobis Eusebius interpres sumendus est, qui Constantinum loquentem audiverat. Is quum Imperatoris orationem recitasset, in qua se Episcopum vocabat, continuo addidit, ἀκόλουθα δ' οὖν τῷ λόγῳ διανοούμενος, τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας ἐπεσκόπει, προὔτρεπέ τε ὅσηπερ ἂν ἡ δύναμις τὸν εὐσεβῆ μεταδιώκειν βίον, *Constantinus consilia iniens dictis congruentia omnes Imperio suo subjectos Episcopali sollicitudine gubernabat, & quibuscumque modis poterat, ut veram pietatem conjectarentur, incitabat*. In his verbis

bis Eusebius declaravit, Constantinum eam conservandæ vindicandæque Religionis rationem instituisse, quæ titulo, quem sibi imposuerat, hoc est Episcopo congrueret. Sed paulo ante *in libro* II. *cap.* XLIV. nobis narravit, *Imperatorem Ecclesiæ præcipuæ curam gerere, cumque per diversas Provincias quidam inter se dissentirent,* οἷά τινα κοινὸν Ἐπίσκοπον ἐκ Θεοῦ καθεσταμένον, *ipsum veluti communem omnium Episcopum a Deo constitutum Ministrorum Dei Concilia congregasse, & ea, quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurasse*. Nimirum auctor est Eusebius, Constantino nomen esse Episcopo, quod Ecclesiæ consuleret, certamina tolleret, Synodos congregaret & omnia provideret, quæ pacem afferrent. Hæc autem omnia jure clientelæ Constantinus peragebat, in quam ei tradita fuerat Ecclesia. Ergo sequitur, nomen Episcopi, quo se ille appellavit, idem ipsum valere, ac Ecclesiæ Tutorem & Patronum. Atque sane quæ dicuntur τὰ εἴσω τῆς Ἐκκλησίας *interna Ecclesiæ*, si ex sententia intelligantur, hæc sunt, sacrorum omnium procuratio & regimen, rerum divinarum institutio, doctrinæ, quam Christus tradidit, explicatio, cujuslibet dogmatis judicium, disciplinæ sanctitas & clavium potestas. Episcopis quidem iisdemque summis Sacerdotibus ista solum data sunt, ita ut illis, qui Imperio præsunt, hujusmodi nihil pateat. Quæ vero vocantur τὰ ἐκτὸς *externa*, sunt publica auxilia, quæ ad præsidium, ad tutelam & tranquillitatem Ecclesiæ facere videantur. In potestate Catholicorum Principum hæc continentur, quæ si illi nec cunctantes tulerint, externi Episcopi nuncupari possunt. Quoniam vero Constantinus omnium Principum primus Ecclesiam in fide recepit sua eandemque fortiter defendit & fortunandam curavit, ob id munus diligenter confectum se in frequenti Præsulum Senatu Episcopum appellavit. Quod quum pius Princeps fecisset, Episcopos monitos voluit, ut ad ipsum tanquam ad Patronum & vindicem, quem Religioni Deus dedisset, præsertim in difficillimis Ecclesiæ temporibus libere adirent. Consulendus est Joannes Morinus *in Ecclesia per Constantinum liberata*.

Accedamus ad titulos ἰσαποστόλου & ἀποστόλου, quibus Græci Constantinum affecerunt. Hic honos post mortem ei habitus est, originemque repetit a Loco funeris sui, quod inter busta Apostolorum in Aede iis dedicata decessurus reponi jussit. Eusebius enim *in libro* III. *de vita illius cap.* LX. sic memoriæ prodidit, Αὐτὸς γοῦν αὐτῷ εἰς δέοντα καιρὸν τῆς αὐτοῦ τελευτῆς, τὸν ἐνταυθοῖ τόπον ἐταμιεύετο, τῆς τῶν Ἀποστόλων προσρήσεως κοινωνὸν τὸ ἑαυτοῦ σκῆνος μετὰ θάνατον, προνοῶν ὑπερβαλλούσῃ πίστεως προθυμίᾳ γενήσεσθαι, *Quippe ipse* (Constantinus) *hunc sibi locum post mortem designaverat, incredibili Fidei alacritate prospiciens, ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum haberet*. Atque quorsum illud præconium referatur, neminem latere potest. Unus Scaliger *in libro* v. *de Emendatione temporum* ægre tulit tam eximia laude Constantinum extolli apud Græcos: Arbitratus est enim illud Apostolorum dignitati officere. Sed cur ita suspicaretur, ei nulla caussa erat: Quisque enim facile intelligit, Græcos hoc non agere, ut Constantino auctoritatem Apostolicæ parem in Ecclesia tribuerent, sed ut illius studium prorsus Apostolicum in propaganda & defendenda Religione commendarent. Quod si Basilius Seleucensis aliique Veteres Theclam de Ecclesia tam optime esse meritam crediderunt, ut ἰσαπόστολον eam dicerent, quid Constantino idem non esset cognomentum, qui tot præclaris pro Religione rebus gestis Ecclesiæ pacem comparavit? Sed satis de sacris Constantini nominibus.

VII. Jamvero retexenda sunt, quæ de cæteris Christianis Imperatoribus Grotius edisseruit: *Valentinianus* (inquit) *& Martianus Imperatores in ipso illo edicto, quo Calchedonensis Synodi acta approbant, inclyti Pontifices vocantur, eundemque Martianum Ausonius Christianus* Religione Pontificem *appellat. Imo & in ipsa Synodo ei acclamatum est*, Pontifici Imperatori. *In eodem Martiano laudat Romanus Episcopus Sacerdotalem affectum & alibi animum Apostolicum & Sacerdotalem*. Singula hæc cum evolves, in iis doctissimi quidem Scriptoris diligentiam & judicium requires. Allata est primum epigraphe edicti, quod C-Politanis Civibus contra Euthychianos Valentinianus & Martianus scripserunt. Illa enim in Grabbiana Calchedonensis Concilii editione,

tione, quam Stephanus Baluzius ad veterum exemplarium fidem emendavit, in hanc sententiam conceipitur, *Imperatores Cæsares Flavius Valentinianus, Pontifex inclytus, Germanicus inclytus, Alamannicus inclytus, Sarmaticus inclytus, Tribunitiæ Potestatis vicies septies, Imperii vicies septies, Consul septies, & Flavius Martianus Pontifex inclytus, Germanicus inclytus, Sarmaticus inclytus, Alamannicus inclytus, Francicus inclytus, Tribunitiæ Potestatis vicies septies, Imperator, Consul semel, de prohibitis disputationibus a Christianis Edictum Civibus nostris C-Politanis*. At enim hæc omnia elogia in græcis Codicibus desiderantur: In iis enim legitur, Οἱ βασιλεῖς, Φλαυίος Οὐαλεντινιανὸς, καὶ Φλαυίος Μαρκιανὸς, αἰώνιοι Αὔγουστοι, περὶ τοῦ κωλύεσθαι τὰς περὶ τῶν Χριστιανῶν διαλέξεις, πρόθεμα τοῖς πολίταις ἡμῶν τοῖς Κωνσταντινουπολίταις, *Imperatores Cæsares, Flavius Valentinianus, & Flavius Marcianus æterni Augusti de prohibendis dogmaticis disputationibus Edictum Civibus nostris Constantinopolitanis*. Quocirca Romani Conciliorum Editores, & Philippus Labbeus latinam inscriptionem prorsus negligendam esse censuerunt, quippe qui eam Græcis non concinere, sed ingenio veteris interpretis fuisse interpolatam perspexerunt. Persequamur cætera: Ausonius temporibus Gratiani, non Martiani vixit, & Consul cum Olybrio creatus anno 380. in gratiarum actione illum, non hunc *Religione Pontificem* & *Pontificem Maximum* appellavit. Poetæ locus in Prolusione descriptus est. Ignoscendum quidem est Grotio, qui quum sæpe veterum sententias ex memoria recitaret, haud cavere potuit, ne quando falleretur. Sed quid de Calchedonensibus Patribus, quorum Senatus in sexto Concilii Conventu Marciano & Pulcheriæ ita acclamavit, Πολλὰ τὰ ἔτη τῶν βασιλέων. τῷ εὐσεβεῖ, τῷ Χριστιανῷ. ὁ Χριστὸς, ὃν σέβῃ, αὐτός σε φυλάξοι· ταῦτα τῆς πίστεως ἄξια. τῷ ἱερεῖ, τῷ βασιλεῖ. τὰς ἐκκλησίας σὺ ὤρθωσας . . . . Πολλὰ τὰ ἔτη Αὐγούστῃ, *Multos annos Imperatoribus, Marciano pio, Christiano. Christus, quem colis, ipse te servet. Hæc fide digna sunt. Sacerdoti, Imperatori, Ecclesias tu erexisti . . . Multos annos Augustæ*. In his verbis Patres non respexerunt ad titulum Pontificis Maximi, qui Christianis Principibus tributus est. Nanque eorum nemini id cognomentum fuit post Imperatorem Gratianum, qui teste Zosimo recusavit, quominus Pontificium insigne indueret. Hoc pluribus in Prolusione. Quorsum autem Marciani Sacerdotium valeret? Ipsi Patres nobis expositum habuerunt, qui ei acclamare pergunt, Τοὺς αἱρετικοὺς ὑμεῖς καθείλετε, τὴν πίστιν ὑμεῖς ἐφυλάξατε, *Hæreticos vos perdidistis, Fidem vos custodistis*. Igitur Martianus Sacerdos salutatus est in Synodo eam ob caussam, quod Ecclesiæ, quam regere Sacerdotum est, maximum supra omnium opinionem præsidium ferebat. Sic olim Theodosius, quum in C-Politanam Synodum Florentium misisset, qui Religioni contra Eutychianos patronus esset, apud Flavianum cæterosque Patres ea existimatione excelluit, ut iisdem præconiis, quibus deinde Marcianus laudatus est, pene ad Cælum tolleretur, τῷ εὐσεβεῖ, τῷ ὀρθοδόξῳ, τῷ εὐσεβεῖ βασιλεῖ τῷ ἀρχιερεῖ βασιλεῖ, *Pio & orthodoxo, pio Imperatori, Pontifici Imperatori*. Superest exploranda ratio Romani illius Episcopi, qui a Grotio dicitur Martiano tum *Sacerdotalem affectum*, tum *animum Apostolicum & Sacerdotalem* tribuisse. Spectavit Grotius Leonis Magni epistolam CV. alias LXX., & epistolam CXXV. alias LXXV., & utramque uni Martiano fuisse scriptam duxit. De prima quidem recte judicavit. In ea Leo Martianum ita alloquutus est, *Hæc fides Clementiæ vestræ non solum me, sed omnes Domini Sacerdotes consolatur & roborat, dum in Christianissimo Principe Sacerdotalem experimur affectum*. Attamen altera non ad Martianum, sed ad Leonem Augustum scripta est, quem Pontifex sibi demerere studuit his verbis, *Sacerdotalem namque & Apostolicum tuæ pietatis animum etiam hoc malum ad justitiam ultionis debet accendere, quod C-Politanæ Ecclesiæ puritatem pestiliter obscurat, in qua inveniuntur Clerici quidem hæreticorum sensui consonantes*. In his autem epistolis id agitur, ut in Catholicis Principibus flagrantissimum defendendæ Religionis studium commendaretur, in iisque pietas verbis, quæ sacratiora forent Ecclesiæ, significaretur: cujusmodi orationis genus sanctissimus Leo in pretio habuit: In epistola, quæ est LXXXIX. alias LIX. ad Marcianum Augustum,

ſtum, *Deus*, inquit, *vos in Imperii faſtigio collocavit*, *in quibus ad totius Mundi ſalutem & regia potentia & Sacerdotalis vigeret induſtria*. In epiſtola ad eundem, quæ eſt CXII., *Gratias* (tibi) *ago*, *quod de ſacratiſſima die Paſchæ Sacerdotali me ſollicitudine pietas veſtra commonuit*. In epiſtola ad Auguſtam, quæ eſt XC. alias LX., *Principibus noſtri temporis non ſolum potentiam Regiam*, *ſed etiam Sacerdotalem cognoſcimus ineſſe doctrinam*. Denique in epiſtola ad Anatolium, quæ eſt CXXIV. alias LXXVI., *Religioſiſſimum Principem dilectio tua ſtudeat frequentare*, *& non ſolum Regiam*, *ſed & Sacerdotalem ipſius mentem precibus meis obſecrare perſiſte*, *ut memor communis Fidei omnia hæreticorum machinamenta confringat*. Evolvendus eſt Paſchaſius Queſnellius *in Notis ad Leonem pag.* 190. *ed. in* 4.

VIII. Sequamur Grotium, qui paucis verbis interiectis ſcripſit, *Anaſtaſius quoque & Juſtinus Imperatores Pontificis uſi ſunt appellatione*. At quæ monumenta, quos lapides, quos nummos ille reperit, in quibus Anaſtaſius & Juſtinus ſeſe Pontifices dixerunt? Fortaſſe noverat celeberrimum titulum, Hiſtriæ in Juſtinopoli ſcalptum, in quo Imperator Juſtinus pius, felix, victor, Triumphator, Auguſtus & Pontifex maximus vocatur. Hunc titulum primus omnium Raphael Volaterranus initio ſæculi XVI. evulgavit & ante id tempus Blondus in *Chorographia Reg.* II. *pag.* 387. ſciviſſe videtur. Eundem exſcribit Gruterus CLXIV. 5.

D. N. IVSTINVS . P. SAL . PIVS
FELIX . VICTOR . AC . TRIVMPHATOR
SEMPER . AVG. PONT. MAX. FRANC.
MAX. GOTTH. MAX. VANDALICVS. MAX.
COSS. IIII. TRIB. VII. IMP. V.
CONSPICVAM . HANC . AGIDIS . INSVLAM
INTIMA . ADRIATICI . MARIS
COMMODIS. INTERIECTAM . VENERAN-
DAE . PALLADIS . SACRARIVM . QVONDAM
ET . COLCHIDVM . ARGONAVTARVM
PERSECVTORVM . QVIETEM . OB
GLORIAM . PROPAGANDAM . IMP.
S. C. IN . VRBEM . SVI . NOMINIS . EXCEL-
LENTISS. NVNCVPANDAM . HONESTISS.
P. P. P. DESIGNAVIT . FVNDAVIT
C. R. P. Q. ET . GENTE HONES-
TISS . REFER.

Joannes Albertus Fabricius in *Bibliogr. Antiquar. cap.* XIII. II. arbitratus eſt contracta verba PONT. MAX. ita explicari facile poſſe, ut legantur, PONT*icus* MAX*imus*. Sed is novum elogium invenit, quo omnes Imperatores caruerunt tum qui ante Juſtinum, tum qui poſt eum ad Imperium Byzantinum acceſſerunt. Juſtinianus eo ingenio fuit, ut omnium fere exterarum Gentium vel earum, quas nunquam deviciſſet, ſatellitio nomen ſuum ſtiparet, quæ res ſæpe ei obfuit. Ad illius enim contemptum Choſroes Perſarum princeps in litteris, quas C-Polim mittebat, ſuperbo faſtu ſic inſcribebat apud Menandrum Protectorem, Θεῖος, ἀγαθὸς, εἰρηνοπάτριος, ἀρχαῖος, Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων, εὐτυχὴς, εὐσεβὴς, ἀγαθοποιὸς, ᾧτινι οἱ Θεοὶ μετὰ τύχην καὶ μεγάλην βασιλείαν δεδώκασι, γίγας γιγάντων, ὃς ἐκ θεῶν χαρακτηρίζεται Ἰουστινιανῷ Καίσαρι ἀδελφῷ ἡμετέρῳ, *Divinus*, *bonus*, *pacis patriæ ſtudioſus*, *antiqua generis ſui origine clarus Choſroes Imperator Imperatorum*. *felix*, *pius*, *bonorum opifex*, *quem Dii fortunatiſſimum voluerunt magnoque regno donarunt*, *Gigas Gigantum*, *quique Divinam effigiem habet*; *Juſtiniano Cæſari Fratri noſtro*. Quin & Theodebertus Francorum Rex, quum ægre ferret Imperatorem Byzantinum Francicum appellari, Longobardos alioſque barbaros Populos impulit, ut ei bellum inferrent, teſte Agathia in *lib.* I. Attamen hic idem Juſtinianus, qui ſummo Reipublicæ & Majeſtatis ſuæ di-

ſcri-

fcrimine multorum Populorum nominibus titulum ornare suum avebat, *Pontici* elogium neglexit, non præteriturus quidem, si Justinus semel illud asciviffet. Quamobrem alii, qui antiquitatis erant consultissimi, optime quæsiverunt, an eum titulum Justinopolitanus aliquis conscripserit, ut municipii sui originem Justino consecraret. Negant quidem Ughellus *tom.* 5. *col.* 397. Antonius Van-Dalen *in Dissert. de Oraculis pag.* 153. & Pagius in *Criticis A.* 312. qui sane, ne caussæ noceret, in qua Christianos Imperatores nunquam fuisse Pontifices dicebat, de homine Gentili cogitavit, qui saxum Imperatori posuerit. Verum contra sentiunt Reinesius *in Epist. ad Bosium* LXXXIV. Auctor *Dissert. Chorographicæ de Italia medii ævi pro usu Tabulæ Italiæ Græco-Longobardico-Francicæ*, quam edidit Muratorius *in tom.* x. *Scriptorum Rerum Italicarum*, & duo eximii viri, quorum lucubrationes leguntur in *Collect. caloger. volum.* XXVI. & XXVIII. Hi quendam nobis narrant Petrum Paulum Vergerium, Justinopolitanum, Emm. Chrysoloræ auditorem, virum qui senescente sæculo XV. vixit, ingenio & doctrina præstantem, de quo Jovius in *Elog Doct. vv.* II. III. Suspicantur autem eum civibus suis consulere cupientem non metuisse, quin posteros falleret, & monumentum quasi vetus fingeret, in quo Patriæ priscam prodere nobilitatem posset. Sic enim rogant, cur tam excellens Justini titulus tot sæculis delituerit, nec ad lucem evaserit, nisi Vergerii temporibus? Cur saxum, in quo ille sculptus erat, auro contra carius Justinopolitanis non fuerit? Cur istud simul perierit, atque effossum est? Illa quidem ætas, cum Vergerius vixit, plerosque protulit, quos hujusmodi libido cepit, ut illustrandis Urbium, Provinciarum & Municipiorum rebus animum adjungerent, & quamvis antiquitatem ausis testem congruentem suis non haberent, id tamen urgentes, quod inceperant, priscos lapides commemorarent, quorum sententias ipsi concipiebant. Non caruit Italia hoc hominum genere, de quibus Antonius Augustinus in *Dialogo* XI. & Ludovicus Muratorius in eximia quadam dissertatione, quæ *in Collect. Caloger. volumine* XI. edita est. Quicunque igitur lapidis auctor sit, qui Justino positus esse dicitur, sive Vergerius, sive ab eo alius, sane interpolavit quidquid Apollodorus *in lib.* I. *Orig. Deor.* de Argonautis memoriæ mandavit. Hic enim docuit, Argonautas, quorum princeps erat Jason, Palladis consilio & nutu navim quinquaginta remis instructam sibi comparasse, nec Ægida, sed Polam appulisse. Ille vero quisquis sit, finxit, eos Ægidis insulam pervenisse, quam *Palladis*, cujus Deæ jussu illud iter tenuerant, *Sacrarium* appellavit.

At enim paucis argumenta colligamus necesse est, quæ manifesto declarant, Justinopolitanum hunc cippum non esse sincerum, sed alicujus dolo, qui Patriæ origines augustiores facere voluerit, in lucem prodiisse. Ac primum ea complectimur, quæ illum nec Justino seniori nec alteri Justiniani sororis Filio convenire efficiunt. Tum seorsum de unoquoque Justino dicemus. Sic habet cippus,

IVSTINVS . . . .
. . . .
. . . . TRIB. VII. IMP. V. . . . . .
. . . . . . HANC . AGIDIS . INSVLAM . .
. . . . IN . VRBEM . SVI . NOMINIS . EXCELLENTISS. NVNCVPANDAM
. . . . . DESIGNAVIT . FVNDAVIT.

Multa in his verbis leguntur, quæ non modo temporum moribus, in quibus uterque Justinus vixit, sed historiæ sunt contraria. Quisnam feret, Justinum *Trib.* VII. *Imp.* V. quin & *excellentissimum* appellari? Tribunatus enim Imperatorum in publicis monumentis post Theodosium juniorem notari desiit, nec olim ita signabatur, ut Principes his solum litteris TRIB. *Tribuni*, sed his aliis TRIB. P. *Tribuniciæ Potestatis* dicerentur. Ad

Ad hoc in universis titulis aut nummis, qui ad græcos Imperatores pertinent, id scribendi genus, *IMP. I. vel II. vel V.* nusquam offendi solet, licet idem Occidentis Principibus placuisset. Tum præter consuetudinem est, Justinum aliosque Imperatores publice vocari excellentissimos. Quidquod Procopius doctus scriptor & utriusque Justini ævo suppar doceat, Justinianum fuisse, qui apud Dardanos Europæos, quum Ulpianam veterem civitatem instaurasset & secundam Justinianam dixisset, prope ab ea novam urbem condiderit, quam in grati animi significationem Justinopolim a Justino Imperii sui auctore nuncupaverit? Sic ille in *libro* IV *de ædificiis Justiniani cap.* I. Ἦν δέ τις ἐν Δαρδάνοις ἐκ παλαιοῦ πόλις, ἥπερ Οὐλπιάνα ὠνόμαστο. ταύτης τὸν περίβολον καθελὼν ἐκ τοῦ ἐπιπλεῖστον (ἦν γὰρ σαθρός ἐς τὰ μάλιστα καὶ ὅλως ἀχρεῖος) ἄλλα τε αὐτῇ παμπληθῆ ἐγκαλλωπίσματα ποιησάμενος, ἐς τὸ νῦν μεταθέμενος ὁρᾶσθαι, Σεκοῦνδαν αὐτὴν Ἰουστινιανὴν ἐπωνόμασεν. Σεκοῦνδαν γὰρ τὴν δευτέραν Λατῖνοι λέγουσι καὶ ἄλλην δὲ αὐτῇ πλησίον ἐδείματο πόλιν οὐ πρότερον οὖσαν, ἥνπερ Ἰουστινούπολιν τῷ θείῳ ἐπωνυμίαν ἐκάλεσεν. *Erat apud Dardanos Ulpiana, urbs antiqua, cujus moenia, cum sic labascerent, ut nulli essent usui, eorum partem maximam demolitus, subinde restituit, multisque ornamentis collatis, civitatem composuit, qualem hodie videre est, ac secundam latino itidem vocabulo nuncupavit Justinianam: Nec procul hinc novam urbem aliam condidit; quam de avunculi nomine Justinopolim dixit.* Dolet nobis doctum auctorem *Chorographiæ Italicæ medii ævi*, cum de conditore Justinopoleos quærebat, ea fuisse mente, ut in Procopium non intueretur. Hic enim quum perspicua oratione posteris prodat, Justinianum esse Urbis parentem, ab omni negotio illum liberasset, quod lapis qualiscunque facesseret.

Atque ista prorsus evincunt, titulum, qui Justino in Ægidis insula urbem attribuit, cuicunque illius nominis Imperatori dedicari non potuisse. Quod si de unoquoque Justino I. & II. seorsum videamus, exquisita argumenta sunt, cur eorum nemini ille sit vindicandus. Primum quo tempore Justinus senior Orientis imperium gerebat, Gotthi non modo universis Italiæ provinciis, sed, teste Cassiodoro *in libro* 12. *epist.* 22., Histriæ præfuerunt. Ac Theodoricus illorum princeps αὐτεξουσίως *summo jure* illas regiones ab Imperatore Zenone administrandas susceperat, si Odoacrem, qui Augustulum imperio abdicaverat, ab iis exegisset. Auctores sunt Jornandes *De rebus Geticis cap.* 57. Anonymus Valesianus *pag.* 664. *ad calcem Marcellini Valesii*, aliique, qui rem omnem litteris mandarunt, quæ a Theodorico cum Zenone peracta est. Circumferuntur quidem numismata quædam a Theodorico Græcis Imperatoribus Zenoni & Anastasio dicata, quæ Joann. Georg. Eccardus collegit & Hannoviæ an. 1720. evulgavit: Sed ea virtutis, foederis & amicitiæ honestissima signa erant, nec eorum, quorum nomine vel imagine signata fuerunt, dominatum significabant. Quinimo cum Zenone & Anastasio Theodoricus pari potestate se gessit, inimicitiasque plures habuit, quas pax deinde composita sustulit, de qua Cassiodorus *in epist.* 1. Quid pluribus disputemus? Procopius in *libro* 1. *de Bello Gothico cap.* 1. Theodorici principatum sic exposuit, ut ad summum liberumque imperium nihil ei deesset, Καὶ ἐπ' αὐτοῦ βαρβάρων τῶν πολεμίων προσποιησάμενος ὅσοι περιῆσαν ξυνίστασιν, αὐτὸς ἔσχε τὸ Γότθων τε καὶ Ἰταλιωτῶν κράτος. καὶ βασιλέως μὲν τοῦ Ῥωμαίων, οὔτε τοῦ ὀνόματος ἐπιβατεῦσαι ἠξίωσεν. ἀλλὰ Ῥὴξ τε διεβίω καλούμενος. οὕτω γὰρ σφῶν τοὺς ἡγεμόνας οἱ βάρβαροι καλεῖν νενομίκασι. τῶν μέντοι κατηκόων τῶν αὐτοῦ προὔστη ξύμπαντα περιβαλλόμενος, ὅσα τῷ φύσει βασιλεῖ ἥρμοσται . . . . ἦν τε ὁ Θευδέριχος λόγῳ μὲν τύραννος, ἔργῳ δὲ βασιλεὺς ἀληθὴς, τῶν ἐν ταύτῃ τῇ τιμῇ ἐξ ἀρχῆς ηὐδοκιμηκότων οὐδενὸς ἧσσον, *Exin barbaris hostibus, quicumque supererant, ad se pellectis, in sua ditione Gotthos atque Italos habuit. Ac licet Romani Imperatoris nec insignia nec nomen usurpare voluerit, sed vixerit contentus Regis appellatione, qua Barbari supremos Principes suos donare consueverunt, tamen subditis ita præfuit, ut ipsi nihil defuerit eorum, quæ sunt Augustorum moribus consentanea . . . . Verbo tyrannus fuit Theodericus, re ipsa verus Imperator, eorum nemini postponendus, qui ab ortu Imperii in illo honoris gradu excelluerunt.* Igitur quid Justino cum Italis & Histriæ Populis? Quo

Tit. jure

jure urbem ille in Gotthico regno condidisset, & a nomine suo appellasset? An Theodoricus, qui imperabat, passus esset? An Municipes Byzantino Principi saxum posuissent? Sed age id deinde promamus, ex quo nec ad Justinum Justiniani Sororis Filium hoc ipsum pertinere potuerit. Imperator ille, cui saxum tribuitur, *Coss.* IIII. salutatur. At enim Justinus junior, quum semel Consul fuisset sine collega, tum Consulatum in Oriente abolevit, siquidem in Occidente decem ante annos abrogatus fuerat. Quamquam vero Marius Aventicensis & is, qui Fastos Byzantinos scripsit apud Pagium *in Dissert. Hypatica pag.* 331. & in *Criticis A.* 567. Justinum renuntiatum Consulem dicere videntur, in eam tamen sententiam intelligantur necesse est, ut Consulatum Justini perpetuum annorum ordine declaraverint. Id quum Pagius nosset, in saxo non *Coss.* IIII. sed II. legit, illudque Justino I. adscribit, qui semel anno 519. & iterum anno 524. dictus erat Consul. At is animum ad cætera non advertit, quæ maxime officiebant, quominus in Histria Gotthorum provincia Justini I. tanquam Domini nomen extolleretur. Ergo de Justinopolitano titulo ita perorandum est, ut in monumentis id genus reponatur, quæ ad fallendos posteros subdoli homines instruxerunt. Quoniamque hoc satis probatum est, otiosi profecto sumus a Grotio, qui cognomentum Pontificis maximi quasi a Justino susceptum nobis objecerat.

IX. Sed ille perrexit. *Leo* III. *in epistola ad Gregorium Romanum Episcopum de se*, ὅτι βασιλεὺς καὶ ἱερεύς εἰμι, *quia Rex & Sacerdos sum. Et Gregorius ad illum vicissim, Constantinum, Theodosium, Valentinianum atque alios, qui curam gesserunt Ecclesiarum, & Pontifices ait fuisse & Imperatores*. Leo Isaurus, quem III. Grotius vocat, de sacris tollendis imaginibus, & de earum abroganda quacunque Religione edixerat, quumque a Gregorio II. Romano Pontifice ad revocandum hoc facinus impelleretur, & contidentiæ suæ commonefieret, porro se respondit veluti Pontificem & Imperatorem illud peregisse, quod Ecclesiæ & Reipublicæ prodesse existimaret: Βασιλεύς, inquiebat, καὶ ἱερεύς εἰμι, *Imperator & Sacerdos sum*. At enim illum sanctissimus & doctissimus Papa Gregorius fortiter increpuit, & exposita Principum auctoritate in iis, quæ ad Ecclesiam spectant, statim docuit, quem in significatum illi appellari Pontifices possent. Scripsit enim elegantissimam epistolam, quæ II. numero est, & legitur in Actis Synodi II. Nicænæ *in Volum.* XII. *Conc. Lab. ed. Fl.* In ea sic Principem affatus est, *Obsecutus es pervicaci animo tuo ac domesticis perturbationibus & scripsisti*, βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς εἰμι. *Enimvero qui ante te fuerunt Imperatores, hoc opere & sermone demonstrarunt; qui curam gesserunt Ecclesiarum, una cum Pontificibus cupiditate zeloque incensi, rectæque Fidei veritatem pervestigantes, Constantinus Magnus, Theodosius Magnus, Valentinianus Magnus, & Constantinus Justiniani Pater, qui sextæ Synodo interfuit. Imperatores isti religiose imperarant, & cum Pontificibus uno consilio & sententia Synodos congregantes, atque veritatem dogmatum perquirentes, Sanctas Ecclesias constituerunt & ornarunt. Hi sunt Sacerdotes & Imperatores, qui id opere demonstrarunt. Tu vero ex quo Imperium occupasti, definitiones Patrum perpetuo non custodisti, sed cum Sanctas Ecclesias fimbriatis aureis vestibus convestitas & variegatas invenisses, eas ornatu privasti atque vastasti*. Igitur Gregorius orthodoxos Imperatores, Sacerdotes quidem appellavit, sed non a Pontificia aliqua potestate, quæ in iis inesset, sed ab eo officio, quod ipsi non deseruerunt in defendendis Ecclesiis & in vindicanda Religione. Percurrit deinde, quæ Imperatoribus munia, quæque Pontificibus delata sunt, illosque in iis rebus exercendis versari non posse, quæ horum continentur potestate, pronuntiavit. *Vides*, inquit, *Imperator*, *Pontificum & Imperatorum discrimen:* Ac manifesto non modo Principibus sacrorum administrationem, sed publicum de quovis dogmate judicium ademit. Quin & in prima epistola, quam ad eundem Leonem scripserat, his eum monuit, Οἶδας, Βασιλεῦ, ὅτι τὰ δόγματα τῆς ἁγίας ἐκκλησίας οὐχ' βασιλέων εἰσὶ, ἀλλὰ τῶν ἀρχιερέων, *Scis, Imperator, dogmata Sanctæ Ecclesiæ non Imperatorum esse, sed Pontificum*.

X. Attendamus animum ad cætera, quæ a Grotio adstruuntur, *Neque aliter se*

res habuit sub Francorum Dominatu, *quos Pontifices diserte appellat Leo Romanus Episcopus*. Legerat nempe Grotius eum Canonem, quem ex epistola Leonis Quarti ad Lotharium Augustum Gratianus collegit, & in D. x. num. ix. reposuit. His enim verbis Canon ille conceptus est in communibus Gratiani exemplaribus, *De capitulis* (inquit Leo) *vel praeceptis Imperialibus vestris*, *vestrorumque Pontificum praedecessorum irrefragabiliter custodiendis & conservandis quantum valuimus & valemus*, *Christo propitio & nunc & in aevum nos conservaturos modis omnibus profitemur*. *Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit vel dicturus fuerit*, *sciatis eum pro certo mendacem*. Glossographus hariolatus est, ut Romani Imperatores, sic Gallicanos Principes cognomento Pontifices fuisse appellatos. Contra Antonius Augustinus Dialog. ix. mendum in Gratiani verbis haerere duxit, *Vox* Pontificum, inquit, *aut vox* Praedecessorum *supervacanea est*. *Agitur enim de capitulis*, *sive capitularibus Imperatorum*, *quae Lotharius postulabat a Pontifice Romano servari*. *Quamobrem omissa voce* Pontificum *recte dicetur* vestrorumque Praedecessorum. *Si vero vox* Pontificum *retineatur*, *de Pontificibus hoc est Episcopis intelligi oportet*, *qui capitularia in Synodis cum Imperatoribus fecerunt*, *vox* Praedecessorum *omitti debet*. Laudandus quidem est vir doctus, cui in expoliendo Gratiano nec diligentia nec industria defuit: At locus, in quo versamur, ex Ivone emendandus erat: Is enim in *Parte quarta cap. 176*. ex epistola Leonis ad Lotharium sic delibavit eam periochen, quam in Canonem nonum Gratianus transtulit, *De capitulis vel praeceptis Imperialibus vestris*, *nostrorumque. etiam Pontificum Praedecessorum irrefragabiliter custodiendis* . . . sequuntur caetera quae apud Gratianum leguntur. Igitur Leo Papa Gallicanos Reges haudquaquam Pontifices dixit, sed potius Lotharium monuit, se nunquam commissurum, ut tum leges, quas is condiderat, tum Romanorum Pontificum jussa violarentur.

XI. Restant Grotii haec alia, *Balsamo Episcopus Antiochenus notat & cerae characterem imprimere*, *quod eo tempore Episcoporum erat*, *& de sacris instituere populum solitos Imperatores*. *Et haec sunt* ἀρχιερατικὰ προνόμια, *quae Imperatoribus adscribit Chomatenus*. Quam optimi enimvero ad conciliandam caussae auctoritatem testes proferuntur! Graeci scilicet juniores nimis audaces erant & ad voluntatem Imperatorum dicebant, cujusmodi illorum ingenium alias objurgavimus. Tandem sic Grotius concludit, *Quod si*, *ut modo ostendimus*, *Imperatores & Episcopi & Pontifices & Sacerdotes sunt appellati*, *nihil caussae fuit cur Anglis quibusdam Scriptoribus acerbe exprobraretur*, *quod spiritualem quandam potestatem Regi tribuissent*. Haec quidem peroratio est, de qua facile quisque intelligit quid existimandum sit. Quum enim nec omnes illi Principes, quos Grotius commemoravit, Sacerdotes vocati essent, & si qui eo cognomento affecti fuerunt, hoc ii non ob aliquam Pontificiam potestatem, sed propter eam, quam gerebant, sacrorum tutelam haberent, prorsus sequitur, Anglos jure in obtrectationem fuisse adductos, quod Regem suum quasi Rectorem Religionis & Ecclesiae constituissent.

AD

AD CAPUT III.

EXERCITATIO CRITICA.

I. *Argumentum capitis. Pauca quædam interjiciuntur, quibus ea illustrantur, quæ recte Grotius dixit.*
II. *Non idem Principibus est Imperium in profanis atque in sacris. Discrimen explicatur.*
III. *Proponitur locus an Principes a divinis legibus sint liberi. Impiorum sententia.*
IV. *Antequam Civitates sociarentur, leges extiterunt, quibus Principes obstringuntur.*
V. *Hobbesiani refelluntur.*
VI. *Adjungitur alter locus, an mos gerendus sit iniquis Principum jussis: dividitur in duas quæstiones. Prima exponenda suscipitur.*
VII. *Pertractatur altera.*

I. SEquebatur ut Grotius explicaret, quid Imperium illud valeret, quod summis Magistratibus in sacra vindicaverat. Id quum perficere aggressus esset & multis disputasset, deinde existimavit, Principibus in regenda sacrorum Provincia idem ipsum esse Imperium, atque in gubernandis politicis. Hoc unum interesse duxit, quod Principes, cum de Religione sciscunt, plures divinas leges habent, quibus pareant, quam si de publicis rebus edicant. Nam in veteris & novi Fœderis tabulis plura perferuntur de iis, quæ ad Religionem pertinent, quam de iis, quæ faciunt ad Rempublicam. Igitur videamus primum, quale politicorum Rectorum Imperium in gerendis publicis sive profanis rebus Grotius constituat. Atque bene sapienterque docuit, Principatum versari in iis solum Civium actibus administrandis, qui foras proferuntur, nec ita in mente latent, ut nullis argumentis adpareant. Nanque solus Deus mentes hominum inspicit & cogitationes gubernare legibus potest. Duplex vero humanorum actuum genus posuit, alterum eorum, quos medios nulloque jure determinatos dixit, alterum eorum, quos naturæ aut scriptis Dei legibus sive vetitos sive jussos appellavit. Ex quo effecit, non eandem Principibus inesse potestatem in utriusque generis regendis actibus. Legumlatores enimvero actus illos, qui ante humanum Imperium liberi erant, politicis jussis ita afficiunt, ut postea vel justos vel injustos dicamus oporteat. Huc enim spectant ista Aristotelis politicorum Principis *lib. v. cap.* 10. *De moribus*, Τοῦ δὲ πολιτικοῦ δικαίου, τὸ μὲν φυσικόν ἐστιν, τὸ δὲ νομικόν. φυσικὸν μὲν, τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή. νομικὸν δὲ, ὃ, ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως, ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει, οἷον τὸ μνᾶς λυτροῦσθαι, *Jus civile aliud naturale est, aliud legitimum. Naturale, quod ubique gentium idem valet, non quia ita vel decretum sit, vel non decretum. Legitimum quod ab initio hoc an illo modo geratur, nihil refert, cum vero constitutum sit, tum demum refert, quale est illud, mina captivum redimere.* Hæc quidem recte. Quidquid enim ex naturæ legibus fieri & non fieri potest cujusque arbitratu, id si politicis jussis præcipiatur, omnino faciendum est. Hoc enim est civile officium, quod sine scelere nemo deserit. Si enim quis deserat, non modo morem non gerit summis Reipublicæ Rectoribus, quibus Divino jure parendum est, sed publicis & privatis commodis adversatur. *Omnes nanque leges*, inquit Cicero *de Inventione lib.* I. *cap.* 38., *ad commodum Reipublicæ referri oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quæ in litteris est, interpretari. Nemo enim leges legum caussa salvas esse vult, sed Reipublicæ.* Ita Grotius de Imperio Principum in continendis Civium actibus, quos naturæ scita & divinæ leges nec imperaverant, nec vetuerant.

Ad hoc ille dispicit, quid ab Imperio Principum accedat ad humana officia, nimirum

mirum ad ea omnia, quæ peragere aut omittere ante politica jussa cives adiguntur: Præcepta quidem officiorum tum in Natura, tum in Divinis tabulis ita sancita sunt, ut, quisquis ea facere abnuat, non modo sibi ipse noceat (in iis enim posita est beata hominum vita), sed certas ultori Deo pœnas persolvat. At enim eadem præcepta, si Principum legibus jubentur, publicam custodiam adjectam habent, ita ut politicis pœnis etiam tegantur. Atque illud in veterum institutis & moribus receptum fuit, ut Principes non de omnibus quidem jubendis officiis leges ferrent, sed de iis solum, sine quibus beata esse Respublica non potest. Nanque sapientes Legumlatores providerunt, ut multa essent, quæ cives, si agerent, propter solam virtutem, nec propter publicam sanctionem egisse viderentur. Præclare Seneca *lib.* II. *cap.* 27. *De ira*, *Quam angusta res est, ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, justitia, fides exigunt? quæ omnia sunt extra publicas tabulas*. Hæc quidem Grotius cum dixisset, sapienter affirmavit, in præceptis officiorum, quæ civiles leges sanciverunt, novam esse auctoritatem, quamquam ea, quæ in illis antea inerat, minorem. Efficit enim, civiles tabulas ad naturales & Divinas leges hoc adjungere, ut qui contra has agunt, duplex peccatum admittant, tum quod audeant facinus natura sua, aut scriptis Dei verbis vetitum, tum quod Principibus quos Deus præfecit Reipublicæ, morem non gerant.

Atque illud est Principum Imperium in iis providendis, quæ ad publicum bonum pertinent. Eos porro his finibus Grotius coercuit, ut nec jubere, quæ Deus vetuit, nec vetare possint, quæ Deus imperavit. Illis enim Civitatum Rectoribus, qui contra faxint, legesque sive naturali sive alteri cuivis Divino juri contrarias perferant, Cives parere non debent: *Si aliud Imperator*, inquit Augustinus, *aliud jubeat Deus, quid judicatur? major potestas Deus, da veniam, o Imperator*. Dicemus paulo post de iis politicorum Scriptoribus, qui publicis tantum scitis quid sit justum quidve injustum metiuntur. Hi enim, sublata quarumlibet Divinarum legum auctoritate, omnes etiam humani generis societates & Respublicas tollunt. Sed revertamur ad Grotium, qui optime perfecit, Populorum Rectores tum naturæ, tum Divinis scriptis legibus teneri in gerenda Republica. Hæc vero ita edisserit ut certum habeat, ipsos Principes esse interpretes, disceptatores & Judices universi Divini juris, quod ad civilem Civitatis salutem pertinet: Eosdemque existimandos esse quidem, cum politicas rogant leges, dispexisse, an eæ ad quælibet Divina præcepta offenderent, idque, ne fieret, diligenter providisse. In hanc sententiam Plato, Οὐδὲν δεῖ τῶν νόμων εἶναι σοφώτερον, *Nihil oportet, legibus esse sapientius*: Et M. Terentius apud Tacitum Ann. VI. Principem affatur, *Tibi summum. rerum judicium Dii dederunt*. Quod si ea jubeantur, quæ Deus aperte vetuit, aut ea vetentur, quæ Deus imperavit, tum recte Grotius censuit, his legibus per Cives quidem morem non esse gerendum, sed tamen non licere iis arma capere, aut bellum agere ad vim publicam depellendam, quod ipsum mox differemus.

Expositum est a Grotio, quid & quale sit politicorum Rectorum Imperium in curandis Civitatis publicis rebus. Pergit deinde palam facere illorum Principatum in sacris. Agit autem de illa Religione, quam foras proferimus & verbis in Civitate profitemur. Nanque eam alteram, quæ in mente residet, ab omni Imperio esse liberam evincit; qui locus tractatus est a nobis *in prima exercitatione*. Igitur ille constituit Principatum, qui publicis Præfectis ad accuranda Civitatis negotia datus est, eundem versari in regenda Religione, quam Cives adscitam habent. Atque seponit ea, quæ Deus in sacris utriusque Fœderis libris docuit, ab illis, quæ nullo Divino Imperio fuerunt sancita. Eorum autem, quæ Deus sive vetuit sive jussit, publicam tantum tutelam Principibus attribuit, quam θείων νόμων παραφυλακὴν *Divinarum legum custodiam* Justinianus novella CXXXVIII. vocavit. Hanc tutelam Grotius explicavit tum pientissimorum Regum exemplis, tum eorundem legibus, quas ad Religionis conservationem, & ad Sacrorum Ordinem pertulerunt. Venit deinde ad ea, quæ Divinæ leges nec præscripserunt, nec sanciverunt: de quibus sic habet, eadem Principum jussis & scitis esse

esse administranda, ut quidquid illi edixerint, id justum habendum sit in publicis sacris: Putatque huc pertinere Cæsarum leges de renunciandis Pastoribus, de congregandis Synodis, de servando inter Episcopos ordine, & de non distrahendis Ecclesiarum rebus. Atque ita existimat, Principatum politicum, sive ad sacra, sive ad profana respiciamus, de rebus omnibus jure leges condere, & ubique tam sanctum atque augustum esse, ut ejus jussis quamquam iniquis vim opponere nunquam liceat.

II. Tenemus igitur universam Grotianam rationem, quæ eo recidit, eundem Politicis Rectoribus esse Principatum in administrandis providendisque tum sacris tum profanis negotiis. Atque hujusmodi est *Imperium circa Sacra*, quod Grotius plurimis rationum momentis perficere studuit, quæ in primo capite protulit. Hoc enim ipsum nos equidem refellimus, explicatis inibi omnibus quæ fuerant exprompta. Nimirum perspicuum est ex iis, quæ tum disputata sunt, Principes in Christianæ Religionis rebus non eodem jure atque in publicis imperare. Nanque sociatis hominum Conciliis sive congregatis Civitatibus institutus est auctore quidem Deo politicus Principatus, qui ad hominum incolumitatem advigilaret & communi tranquillitati prospiceret: itaque is *ἀνυπεύθυνος* sive summus creatus est, eaque potestate præditus, ut jubere omnia posset, quæ ad publicam salutem pertinerent, atque de iisdem leges sancire. Hoc jure, quod cum civilibus societatibus ortum est, Populorum Domini & Moderatores Rempublicam gerunt, eodemque, antequam Christianus Pontificatus conderetur, in Ethnico Orbe Religionem administrarunt. At novo fœdere perlato Christus Pontifices renunciavit, quibus docendæ explicandæque Religionis & constituendorum sacrorum munus demandavit: illudque adjunxit, ut universus eorum cœtus in detegenda Divinarum rerum doctrina & in tradendis officiorum preceptis nusquam incurreret aut falleretur. Hisce ita constitutis sublata est ea potestas, quam Reges omnesque politici moderatores ex Gentium moribus sibi adsciverant in procurando Divino cultu. Cumque vero Reipublicæ tranquillitas & salus in sacris nitantur, idcirco Christianus Principatus hujusmodi ad officium revocatus est, ut Religionem præsidio suo tegat & defendat: Ex quo sequitur, illos non idem jus habere in publicis, atque in sacris constituendis, sed in illis tanquam summos Præsides & Judices, in his vero tanquam Tutores rem peragere, quod pluribus in Prolusione effectum est.

III. Jamvero disputari oportet de duobus locis, quorum alter est, num Principes a Divinis legibus sint liberi, alter vero an eorundem Imperium, quamvis injusta jubeantur & justa vetentur, fas sit Civibus per vim detrectare. Utrumque enim Grotius in hoc capite pertractavit. Atque primum quidem ita persequutus est, ut negaret, summos Rerumpublicarum Dominos legibus Divinis esse liberos, idque graviter evinceret. Istud ipsum ad explicandum paucis aggredimur contra eos, qui putant, jus omne ab opinione & institutis Principum proficisci, sublata quarumlibet Divinarum legum majestate. Hi enim cum sentiant, ea tantum esse justa, quæ scita sint politicis legibus, profecto libere contendunt, Principes in administranda Civitate non subesse Imperio divino. Veteres Philosophi atque inter eos Epicureorum chorus in hujusmodi errore versati sunt, contra quos Cicero in *libro primo de Legibus* & antea Plato in *Minoe* uberius dixerat. Sic Polybius gravis Scriptor, cum de Regnorum primordiis edissereret, eundem esse universi juris, atque Civitatum ortum duxit. Nanque *libro* VI. *Historiarum*, Τότε ἀρχὴ βασιλείας φύεται. Καὶ τότε πρῶτος ἔννοια γίνεται τοῦ καλοῦ καὶ δικαίου τοῖς ἀνθρώποις, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἐναντίων τούτοις, *Ab eo principio Regnum extitit: incipitque tum primum honesti justique & eorum, quæ sunt his contraria; animis hominum oboriri notitia*. Polybium secuti sunt pessimi inter juniores hominum Politicorum & in his Nicolaus Macchiavellus *Discurs. ad Livium* lib. 2. cap. 2., & Thomas Hobbesius tum *in libro de Cive*, tum in altero, quem *Leviathan* vocavit. Etenim in *Cive* cap. 12. is docet, *regulas boni & mali, justi & injusti esse leges civiles, ideoque quod Legislator preceperit, id pro bono, quod vetuerit, pro malo habendum. Inde iniquum esse dicterium: Regibus non esse obtemperandum, nisi justa præcepe-*

reperint. *Ante Imperia justum vel injustum non extitisse, ut quorum natura ad mandatum sit relativa*: *actionemque omnem sua natura esse adiaphoram*; *quod autem sint justa vel injusta, a jure Imperantis provenire*. *Reges igitur legitimos, quæ imperent, justa fa- cere imperando, quæ vetent, vetando injusta*. Hæc quidem, facile quivis ut intelligat, Hobbesio auctore, Principes nullis divinis teneri legibus, quin etiam eorundem jussis & decretis omnia constitui jura. Existimat porro, in iis præceptis, quæ Deus per Prophetas rogavit, imo in universis utriusque Fœderis tabulis nullam inesse auctoritatem, nisi eam solum, quæ ab Imperio publico accesserit; leges ergo Divinas revera esse civiles, quibus Principes fidem obstrictam non habere suam arbitratur. Hactenus Hobbesius.

IV. Igitur dicendum est contra veteres & novos Politicos de sempiterno Naturæ jure, & contra Hobbesianos de auctoritate legum, quas Deus in utroque Fœdere promulgavit. Atque quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum Dei summam providentiam suspicimus, & rerum naturam contemplati sumus, quam esse æternam quandam legem, quæ humani generis societates regat, imperandi prohibendique sapientiâ. Ea enim lex Ratio est, quæ proficiscitur a Natura & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans, nec modo tam senior, quam ætas Populorum & Civitatum, sed æqualis illius, Cælum atque terras tuentis & regentis Dei: itaque cum litteris, quibus Principum aut Rerumpublicarum scita scribuntur, nec oritur, nec occidit. Neque enim, quia Romæ nusquam erat scriptum de stupris, idcirco minus Sextum illum Tarquinium rem gessisse nefariam putamus, cum vim attulit Lucretiæ Tricipitini Filiæ. In sempiterna enim illa lege, antequam Roma esset condita, edictum erat, ne liceret, alienas uxores comprimere. Sic vetitum fuerat, ne jus esset latrocinari, jus fraudem aliis facere, jus falsa testamenta supponere & horum similia facinora committere. Quin etiam jussa extiterant de colendo immortali & præpotenti rerum Conditore, de servandis pactis, de conjungenda inter homines amicitia, & de omnibus humanorum officiorum præceptis; eaque, cum nondum hominum Concilia sive Civitates sub politico Imperio convenissent. Hæc vero ratio jubentis & vetantis Dei humano generi satis perlata est. Nulla enimvero gens reperiri potuit, quæ eam legem funditus non intelligeret. Bene Princeps Philosophorum Aristoteles *in Rhetor. lib. 1. cap. 13.*, Ἔστι γάρ, ὃ μαντεύονταί τι πάντες, φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον, κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ, μηδὲ συνθήκη, *Est enim quoddam, quod profitentur omnes, naturâ commune justum & injustum, etiamsi nulla societas invicem sit nullaque pactio*. Quod nisi res ita esset, neque ulla Civitas congregari, nec si congregata esset, diutius manere potuit. Civitates enim sociatæ sunt, interpositis pactis & promissis: Eædem autem manent, quamdiu eorum fides sublata non sit. At enim quomodo hominum cœtus pacta interponerent, aut iisdem starent, nisi lex extitisset, quæ ante omnes publicas leges edixisset de servandis iis, in quæ illi consensissent. Ex quo intelligi par est, Respublicas & Civitates nihil quidem habere, quod magis timeant, nisi hujusmodi politicos, qui ea solum justa existiment, quæ publice sancita fuerunt. Igitur concludamus oportet, aliquod esse Naturæ jus, quod nimirum neque hominum ingeniis excogitatum, neque politicis scitis constitutum, sed ad sempiternam illam legem expressum est. Hoc autem jure Populorum Dominos obstringi quis ausit negare? Illi enim, quod ex eo faciendum est, non magis injustum civilibus legibus facere valent, quam nutu suo rerum vertere naturam. Hinc illud Horatii lib. III. Od. I.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Pindarus apud Plutarchum *ad Princ. indoct.* pag. 780. C. Τίς ἐν τῷ ἄρχει τοῦ ἄρχοντος; ὁ νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων, (ὥς φησὶ Πίνδαρος) οὐκ ἐν βιβλίοις ἔξω γεγραμμένος, οὐδέ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἐν αὐτῷ λόγος, ἀεὶ συνοικῶν καὶ παραφυλάττων, καὶ μηδέποτε τὴν ψυχὴν ἐῶν ἔρημον ἡγεμονίας, *Quis ergo imperabit Principi? Lex omnium Regum mortalium atque immortalium, ut ait Pindarus, non ea foris scripta in libris, aut lignis insculpta, sed viva in ipsius corde ratio, semper una habitans atque excubans,*

cubans, & animum nunquam sitiens esse principatus vacuum. Hæc contra Politicos, quæ copiosius disputarunt ipse Grotius in *Prolegomenis ad libros de Jure belli & pacis*, Samuel Pufendorfius *de Jur. Nat. & Gent. lib.* VIII. *cap.* 1. & Cumberlandus *in Disquis. de Jure Nat. cap.* 9.

V. Jamvero videamus de Hobbesianis, qui illarum legum tollere maiestatem non diffidunt, quas Deus in utriusque Fœderis tabulis scripsit. Nos piget equidem tantæ insaniæ & impudentiæ. Quid enim stultius & audacius cogitari & dici potuisset, quam jussa & vetita præpotentis & sapientissimi Dominatoris Dei vim non habere in rectis pravisque sanciendis, ita ut iis Principes non teneantur? Hoc scilicet Hobbesius attulit, Principum arbitratu explicari debere quidquid Divinæ leges imperant, aut vetant: Sic cum in Decalogo scriptum sit, ut Deum colamus, is docuit eam Religionem esse præceptam, quæ publice ascita sit; cumque in eodem sancitum sit, ne quis alterum interficeret, idem censuit hanc legem jubere de iis solum non interficiendis, quos occidi Principes vetant: Quam in sententiam cetera præcepta exposuit, quæ eadem tanquam politicas leges habuit, quibus Principes exsolvit. Ipsum audiamus, *in lib. de Cive Cap.* XIV. *Quoniam a legibus civilibus oritur, tum quod unusquisque jus suum sibi proprium & ab alieno distinctum habeat, tum etiam quod prohibeatur aliena invadere, sequitur, præcepta hæc, Honorem parentibus legibus definitum non denegabis: Hominem, quem vetant Leges occidere, non occides: Legibus vetitum concubitum fugies: Rem alienam Domino invito non auferes: Leges & judicia falso testimonio non frustrabere, esse leges civiles*. His sane, quæ allata sunt, Principes eripere ab imperio Divino studuit. Sed omnia facile & paucis refelluntur. Nanque Anglus Philosophus fidenter sibi sumit, Deum in jubendis legibus non constituisse quid & quale esset, quod præciperet aut vetaret, idque eum in finem, ut Principes hoc ipsum in unaquaque Republica explicarent, atque ab iis ad Divinas leges omnis auctoritas accederet. Rem perspicianius. Condidit Deus Decalogum, in quo primum Hebræos erudivit ad Dei cultum, deinde ad officia adversus alios homines, tum ad magnitudinem modestiamque animi. Conclusus quidem Decalogus est sane quam breviter. Leges enim ita expromuntur ut ipsæ summæ rerum atque sententiæ efferantur. At nihilosecius in eo ferendo Dei consilium perspicuum est: Facile enim percipitur quid in unoquoque rerum genere vetitum, quidve jussum esset. Prima lex sic rogata est, ut probiberet Deos coli alios quam Jehovah. Quamquam vero hunc Divinum cultum explicate non aperuit, plane tamen cognosci poterat, religionis genus illud esse præceptum, quod summo Deo placeret, sive ab illius natura non discreparet. Ex quo constaret, si publice perferretur, Deo cæsis hominum hostiis esse sacrificandum, hoc in primam Decalogi legem offendere. Idem de cæteris, quæ sequuntur, legibus dicamus necesse est. Nanque si quæ scita sint Principum, ne alienæ uxores, sed invitæ comprimantur, ne civis aperta vi obtruncetur, ne res aliena noctu subripiatur, hæc quidem non incurrere in quintam, sextam & septimam Decalogi leges ecquis putaret? In his enim Societatis tranquillitati maxime prospectum est, quæ in ea esse non potest Civitate, in qua impune liceat, alienas uxores consentientes in fraudem inducere, cives clam obtruncare, & res alienas interdiu surripere. Hactenus de Decalogo. Omnia deinde præcepta, quæ in eo continentur quidem, sed non exprimuntur, Deus enucleavit tum in reliquis Mosaicis libris, tum in universis antiqui Fœderis tabulis. Ad hoc eandem officiorum constitutionem summa porro perspicuitate Christus persecutus est. Quæ cum perfecta sint, plane & explorate tenemus quæ Deus vetuit aut imperavit. Itaque illud stultissimum est, existimare nos a publicis scitis habere, quæ justa sint, quæve injusta Divinis legibus, eamque ob caussam Principes ab iis quasi politicis jussis aut vetitis esse liberos. Legendus est inter alios qui hoc argumentum percurrunt, Buddeus *in Dissertatione de Principe legibus humanis non divinis soluto*.

VI. Accedamus ad alterum locum, quem Grotius tractavit, de more non gerendo iniquis Principum jussis; de quo loco omnis duplex est quæstio, altera an summis Reipu-

Reipublicæ Rectoribus injusta jubentibus parendum sit, altera vero, an liceat porro eorundem Imperium vi & bello detrectare. Primam quæstionem præclare Grotius explicavit. Nanque censuit, Cives sine crimine non posse politicis scitis obtemperare, quæ Divinis legibus adversantur: in quo quidem non modo sacrorum Scriptorum, sed Philosophorum omnium judicium & auctoritatem sequutus est. Contra Hobbesius *de Cive cap.* 12. hanc sententiam ita accepit, quasi ea crebras seditiones in Republica conciliare possit. Nimirum idem ipsum egit, atque si dixisset, eos, qui Dominatori Deo Reges subjiciunt, auctores esse ut Civitates ad seditiones inclinarent, quod sane quam audacissimum & impudentissimum est. Sed nihilosecius Grotiana sententia dividenda est. Nanque si agatur de politicis mandatis, de quibus Cives dubitant, an Divinis jussis & vetitis consentiant, eos, sublata omni dubitatione, parere Imperio necesse est. Cum enim sic dubitant, profecto nesciunt, an in Divina præcepta peccent, nec ne, si pareant. At certum habent, ipsius Dei jussu Principibus gerendum esse morem. Idque porro persuasum esse iis debet, summos politicarum legum Latores, antequam eas jubeant, diligenter providisse, ne quid fortasse perferant, quod in jus Divinum incurrat. Ex quo illi temere & licenter sese gerunt, qui Politicorum Rectorum prudentiæ diffidunt. Bene Aristoteles *Rhetor. lib.* 2. *cap.* 15., Τὸ τῶν νόμων σοφώτερον ζητεῖν εἶναι, τοῦτ' ἔστι ὃ ἐν τοῖς ἐπαινουμένοις νόμοις ἀπαγορεύεται, *Studere, se legibus esse sapientiorem, est id quod in laudatis legibus prohibetur.* Quod si Cives certum existiment, ea mandata, quæ ab Imperio publico perlata sunt, a Divinis legibus discrepare, in eo quidem sunt officio, ut Deo potius, quam hominibus pareant. In re aperta argumentis opus non est. Apud Euripidem *Phœnissis v.* 1642. dicenti Creonti,

> Πῶς; τ' ἀντεταλμέν' οὐ δίκαιον ἐκπονεῖν;
> *Quomodo? Non est justum exsequi mandata?*

Antigone respondet,

> Οὐκ, ἢν πονηρά τ' ᾖ, κακῶς τ' εἰρημένα.
> *Non, si quidem mala sunt, & male imperata*

Hinc illud Sophocleum *apud Philostratum lib.* IV. *cap.* 38. *ed. Olear.*

> Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε
> *Nam jussa non hæc Jupiter dederat mihi.*

In eam sententiam Hebræi apud Josephum *Antiquæ Historiæ* XVII. *cap.* VII. 83. Regem affantur, θαυμαστὸν δὲ οὐδὲν εἰ τῶν σῶν δογμάτων ἀξιωτέρους τηρεῖσθαι ἡγούμεθα νόμους οὓς Μωυσῆς ὑπαγορεύσει καὶ διδαχῇ τοῦ Θεοῦ γραψάμενος κατέλιπε, *nihil vero mirum, si servatu digniora credimus jussis tuis ea, quæ Moses, Deo suggerente ac docente, scripta reliquit.* Concinunt Christiani Scriptores. Jubent enim summis Magistratibus in omnibus rebus obtemperari, nisi si obtemperando pietas lædenda sit, quorum testimonia Grotius *lib.* II. *cap.* XXIV. *de Jure belli & pacis* collegit. Hoc ipsum ostenderunt Sidnejus *de Gubernatione cap.* 3. *sect.* 20., Pufendorfius *lib.* VIII. *cap.* I. *de Jure Naturæ & Gentium*, & inter complures alios Christianus Thomasius *in Dissertatione de injusto Pontii Pilati judicio* contra Stellerum, qui Præsidem hunc Romanum fuisse insontem ea de causa contendit, quod crimen non sit omne ministerium.

VII. Explicata est prior quæstio. Aggredimur ad alteram, quæ in eo versatur, an Civibus bellum gerere liceat in summos Reipublicæ Rectores ob eas leges, quas iidem naturali juri aut Divinis præceptis contrarias rogarunt. Optime Grotius id facinoris nunquam esse committendum putavit, quamvis sive in publicis, sive in sacris rebus ea jubeantur, quæ Dei jussis aut vetitis adversantur. Contra sentiunt Joannes Miltonus *in Defensione pro Populo Anglicano adversus Salmasii defensionem regiam*, Gronovius *in Annotationibus ad Grotium de Jure belli & pacis*, Vander Muelen *de Sanctitate summi Imperii Civilis*, Gottfridus Mascovius *ad Pufendorfium lib.* VII. *cap.* VIII. §. V. aliique, de quibus non commemoramus. At quod Grotius cum sapientioribus viris censuit, magnis rationum momentis confirmatur. In civili societate servetur ordo imperandi & parendi necesse est, ne, si is interceptus sit, publica tranquillitas tollatur.

eur. Quis autem Ordo in ea Civitate, in qua cives cum iis, qui summo præsunt Imperio, potiuntur jure gerendi belli? Talis nimirum, qualis erat in Cyclopum populo, de quo Euripides *Cyclop.* v. 120.

Νομάδες, ἀκούει δ' οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.

Confusa turba, nemo ubi audit neminem.

Sapienter Dio Cassius *lib.* XLI. *pag.* 189. Οὐ μὲν τοι καὶ ἐγὼ ἄλλως καλὸν εἶναι νομίζω ἄρχειν τινὰ τῶν ἀρχομένων ἐπίστασθαι, οὔτ' ἂν σωτήριόν τι γενέσθαι ποτὲ, εἰ τὸ ταχθὲν ὑπηρετεῖν τινι, κρατεῖν αὐτοῦ ἐπιχειρήσειε. σκέψασθε δὲ ποῖος μὲν κόσμος οἰκίας γένοιτο, ἂν οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ ὄντες τῶν πρεσβυτέρων καταφρονήσωσι . . . φύσει τε γὰρ ἀναγκαῖόν τινα καὶ σωτήριον τὸ μὲν ἄρχειν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, τῷ δὲ ἄρχεσθαι τέτακται, *Ego vero neque decorum existimo, ut Rector Civitatis cedat, neque spem esse ad salutem, si qui parere debent, velint imperare. Cogitate enim quis futurus sit ordo in familia, si a junioribus senes spernantur. Natura quippe id necessarium & hominibus salutare, ut alii quidem imperent, alii vero pareant.* Accedit quod publicorum Rectorum officio communis omnium salus continentur, quæ, cum Civitatis summum sit bonum, ab omnibus Civibus maxime est expetenda. Optima est Periclis sententia apud Thucydidem *lib.* II. 60., Ἐγὼ γὰρ ἡγοῦμαι πόλιν πλείω ξύμπασαν ὀρθουμένην ὠφελεῖν τοὺς ἰδιώτας, ἢ καθ' ἕκαστον τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν δὲ σφαλλομένην, κ. λ., *Ego enim existimo Civitatem, cujus universus status manet erectus, majorem utilitatem privatis hominibus afferre, quam si singulorum Civium felicitate privatim floreat, ipsa vero universa jaceat afflicta. Qui enim privatim rem feliciter agit, si patria evertatur, ipse quoque nihilominus una cum ea perit. Qui vero in Republica florente rem infeliciter agit, is longe facilius conservatur.* Hoc autem eo pertinet, ut Cives ob eam caussam, quod iniquis legibus parere nolunt, quævis mala potius ferre, quam in Principes capere arma debeant. Hinc Euripides *Phœniss. vers.* 396.

Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών.

Imperia habentum perferenda inscitia est.

Nanque ut Parentum sævitia, sic Principum patiendo & ferendo lenienda est, quod præclare Plato T. I. *pag.* 50. *Ed. Steph.* ostendit. Idem vero epist. 7., cum Cives commonefecisset, ne Patriæ ob iniquas leges vim inferrent, iis auctor est, ἡσυχίαν δὲ ἄγοντας, εὔχεσθαι τὰ ἀγαθὰ αὐτοῖς τε καὶ τῇ πόλει *ut agant quietem votoque precentur optima & sibi & Patriæ.* Quod si res sit de nefariis Principum jussis, quæ ad Religionem pertinent, tum Christianis Civibus a Christo præceptum est, ne ad bellum veniant, sed aut fugiant, aut mala quibus afficiuntur, libenter patiantur. Quod Christi præceptum optime veteres Christiani tenuerunt, qui, cum tot tormentis publice premerentur, non modo a capiendis armis abhorruerunt, sed omnino recusarunt, quominus iis sese adjungerent, qui Tyrannis ad conservandam Rempublicam bellum intulerunt. Testis est Tertullianus in Apologetico, *Unde Cassii, & Nigri & Albini? unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? De Romanis, ni fallor, idest de non Christianis.* Plura non addimus. Nanque hoc ipsum Grotius *lib.* I. *de Jure belli & pacis cap.* IV. uberrime tractavit. Consulatur autem vir doctus Barbeyracius in *Notis* qui quum veterum testimonia a Grotio exscripta erudite requireret, nos otiose esse jubet ab iisdem perpendendis, quæ heic iterum proferuntur.

A D

CAPUT IV.

EXERCITATIO CRITICA.

I. Diluenda suscipiuntur omnia, quæ Grotius excogitavit ad refellendos adversarios suos, qui Ordinibus Hollandicis negabant Imperium in Sacris.

II. Rejiciuntur quæ contra primum, secundum, tertium, & quartum eorum argumentum afferuntur.

III. Differitur de Christi regno, an in eo gerendo sacros Pastores ille tanquam Vicarios sibi adjunxerit.

IV. Exponitur opinio Grotii de regimine sacrorum Pastorum, quod iis in novi Fœderis libris attribuitur.

V. Constituitur quid illud sit, quod disputari oporteat.

VI. Multis ostenditur, Episcopos non esse meros sacrorum opifices, sed Religionis Rectores ea cum jurisdictione præditos, ut iis omnes homines parere debeant, nisi a Catholico nomine deficere velint.

VII. Differitur de regendi potestate, quæ Ecclesiis sive Conventibus Christianis vindicatur a Grotio.

I. PRoximum erat, ut omnia ab Arminiano Grotio expedirentur, quæ Gomaristæ sive Contraremonstrantes ad derogandum illud imperium objecerant, quod amplissimi Hollandiæ & West-frisiæ Proceres arripuerant in publicæ Religionis negotiis. Hæc quæcumque contra disputata fuerunt, Gomaristarum unus Voetius *Polit. Eccles. part.* 1. *lib.* 2. complexus est. In iis autem refellendis cum Grotius insistat, nec certamen detrectat cum ipsis Catholico-Romanis, quos is *Pontificios* nomine ad contemptum indito appellat. Id tamen, quod persequitur, negligenter obit, nec enim ad omnia dicit, quæ contra faciebant, atque ea, ad quæ confutanda aggreditur, verbis sic deprimit extenuatque, quasi cum iis adversariis decernat, quales ipse commodum fingit. Quam quidem ob rem hujus retexendi capitis ea via a nobis ineunda est, ut adversariorum, quibuscumque Grotio res est, personam sustineamus. Illud nempe in quæstionem venit, an summis Magistratibus idem sit Imperium in administranda Religione, quod in gerendis Civitatis rebus. Quod cum contra Arminianos Gomaristæ & Catholico-Romani ad id consentientes bene sapienterque abnuant, nos omnia explicanda & diluenda suscipiemus, quæ ad refellenda eorundem argumenta Grotius disputavit.

II. Primum argumentum, quod contra sententiam suam facere Grotius censuit, ita ab eodem prolatum est. Pontificatus creatus non est ab iis, qui summo præsunt Imperio, sed Deum habet auctorem, a quo muneris sui rationem accepit: ergo idem politicis Rectoribus subesse non potest. Tum iis respondit, fidenter eos sentire, qui ab Imperio politico esse liberum dicunt quidquid Deus instituit. Cumque exempla attulisset patriæ potestatis, aliarumque rerum, quæ, licet a Deo juris sui originem ducunt, publice tamen constituuntur, facile perficit Pontificatum rem esse, quæ a summis Magistratibus sit pertractanda. Hæc Grotius. At enim adversarii non habent tam tenues opes, quales is existimavit. Illi enim ita edisserunt: Deus amplissimum Episcoporum Ordinem, tali cum potestate renunciavit, ut non modo sacra faceret, sed populos ad omnia Religionis dogmata & præcepta erudiret, item sacram scripturam explicaret, & quæstiones omnes decideret de rebus, quæ tum ad privatum, tum ad publicum Dei cultum pertinerent. Id enim valet Christianus Pontificatus. Quod cum posuissent & multis probassent, argumenti sententiam sui hanc concludunt, Principes ab ipso Deo fuisse vetitos, quominus Pontificatus Christiani sibi munus asserent

rent & vindicarent. Quid Arminianorum Ordinumque Hollandicorum Patronus afferet? Exempla scilicet aliorum in Civitate munerum, quæ, quamvis a Deo aut a natura initium capiant, tamen publicis legibus subiiciuntur. At nihil ex iis proficere potest. Nunquam enim ex Divino aut naturali jure, illis qui hujusmodi muneribus præfecti sunt, postquam publicum creatum est Imperium, delata est jurisdictio de iis rebus, in quibus versarentur. Sic patria potestas, licet a Deo sit, tamen Principum arbitratu regenda est, quod, ortis civilibus societatibus, Deus ipse non edixit, ut Patresfamilias summo jure judicarent & sancirent de rebus, quæ munere suo continerentur. Contra cum Deus non modo Christianum Pontificatum instituisset, sed porro voluisset Antistites, qui eum administrant, sacrorum omnium esse moderatores, plane sequitur hoc quantumcumque est liberum esse ab Imperio politico.

Alterum argumentum quasi ab adversariis exprom(p)tum his Grotius extulit: Ecclesia sive societas eorum, qui Christum colunt, in orbe esse potest, utcumque carebit summis civilibus Magistratibus aut certe iis qui Christiano nomini favent. Igitur alii sunt Ecclesiæ Rectores, quam Principes. Hoc Grotius sibi opposuit: Breviter autem respondit, singulos homines, Mercatores, Agricolas & Medicos esse posse, nullis licet Magistratibus regantur: hinc tamen non sequi, ut in Civitate & Republica obeundi sui muneris leges ab Imperio non accipiant, eidemque subesse non debeant. Sed non apte ille disputavit. Nanque adversariorum argumentum huc recidit: Ecclesia prospere atque ex voto se habuit per solida tria secula, cum Imperatores Christiana sacra despicatui habebant: quibus temporibus Religio universo orbi propagata est, nec quidquam ab hæreticis detrimenti cepit, Episcopis, quos Christus per Apostolos Ecclesiæ præfecerat, eam regentibus atque procurantibus. Ergo Principes non sunt Ecclesiæ Rectores, nec Iidem, cum Christo nomen dedissent, tali Imperio aucti fuerunt, ut Religionem, quam asciverant in Republica, ad arbitrium revocarent suum. Hanc rationem illi concludunt, contra quam non valent exempla, quæ a Grotio sunt allata. Is enim dicere studuit, sic Ecclesiam, Imperatoribus inter Christianos allectis, eorum Principatui fuisse subjectam in gerendis sacris, perinde atque cæteri homines qui in anarchia artes aliquas coluissent, orta civili societate, Imperio paruerunt. Sed miramur equidem, tam eximium virum tam inepte philosophari. Nanque si fingamus aliquos homines, aut Medicos, aut Georgos, aut Mercatores politico imperio caruisse, hi omnes ne extitissent quidem, aut si extitissent, tanto in discrimine diu agere vitam non potuissent. Sapienter Colotis in quem male Plutarchus pag. 1224. Ὅτι τὸν βίον οἱ νόμους διατάξαντες κ.λ. hoc est, *Qui vitam, qui leges composuerunt, atque jura ut regerentur Urbes & Imperio Magistratuum parerent, instituerunt, ii in tranquillo admodum & tuto nos collocaverunt tumultibusque liberaverunt: ista si quis aboleret, ferocem sane vitam victuri essemus & quisque obvium quemque tantum non sublaturus*. Acceditque quod iidem illi, quos ab imperio liberos fingimus, constitutis Rebuspublicis, eam quidem conditionem accepissent, ut in civilium legum potestatem omnia sua dedere adacti fuissent. Contra de Ecclesia dicendum est. Illa enim quamdiu Christianis Principibus destituebatur, & ab Episcopis regebatur suis, integre incorrupteque vixit. Religionem enim conservavit eandemque universis Gentibus transcripsit: *Ab ipso duxit opes animumque ferro*. Cumque Imperatores colere Christum incepissent nec sustulerunt, nec tollere potuerunt gubernationis genus, quod Ille instituerat. Ex quo efficitur, optime eos disputare, qui Ecclesiæ alios esse Rectores, quam politicos Rerumpublicarum Dominos ea de causa colligunt, quod eadem, cum horum principatu caruisset, feliciter se habuit longo temporum intervallo.

Tertium argumentum sibi objecit Grotius hoc modo. Deus Ecclesiæ Pollicitus est apud Prophetam Esaiam XLIX. 24. fore, *ut Reges demisso in terram vultu ipsam adorent, pedumque ipsius pulverem lingant*. Nanque Imperatores *sunt intra Ecclesiam*, non *supra Ecclesiam*. Ergo illi, penes quos publicum est Imperium, sacrorum non sunt arbitri

arbitri & moderatores. His allatis contra ipse dixit, Prophetam portendisse, Reges non aspectabili Ecclesiæ, sed Christo sese dedituros in potestatem, nec unquam dubitaturos, quin ei tanquam summo Domino maximum animi sui obsequium significarent. Multa deinde astruxit, quibus probaret, singulas Ecclesias in Principum esse Imperio, nec sibi posse *αὐτονομίαν potestatem legibus vivendi suis* vindicare. Hactenus Grotius. Nunc exponendum est quorsum locus Isaiæ pertineat, & quid ex eo Gomaristæ efficiebant. Hoc enim Grotius non recte explicatum habuit. Atque Divinus Vates Deum induxit ita loquentem, ut Hierosolymitanam Civitatem his in summam spem efferret, *Erunt Reges Nutritii tui, eorumque Dominæ Nutrices tuæ, facie in terram conversa te salutabunt, pulveremque pedum tuorum lingent, atque intelliges, me esse Jehovam, nec pudore affici eos, qui auxilium meum expectant*. Divinum hoc oraculum ad Hebræorum. Rempublicam spectare non potest, quam nunquam Reges aut Reginæ pulveri os admoventes aliano more coluerunt. Quocirca illud communi omnium interpretum opinione ad Christianam Ecclesiam referri solet, quam Reges tanquam nutritii hoc est fautores & Reginæ tanquam nutrices in fidem receperunt, & cujus sacra omnia Principes animo modestiæ pleno prosequuntur & summo honore afficiunt. Cur enim Esaias non de Christo sed de Ecclesia intelligatur, quam Christus condidit, ipsa oraculi oratio declarat. Par sane non erat dici, Reges Christi fore Patronos, fautores & vindices. Ergo quum Divinus Vates ad Christianam Ecclesiam manifesto respexisset, ex eo Gomaristæ efficiebant, Principes non ita Religioni præesse, tanquam Reipublicæ. Nanque ex Propheticis verbis aperte sequebatur futurum, ut Reges & Reginæ quidem Ecclesiæ faverent, sed eius judicio starent in sacris. Attamen quum ita Gomaristæ edisfererent, nihil imperio detrahebant, quod Principibus est in Christianas Civitates, si de politicis rebus agatur. Ex quo perperam Grotius fecit, qui huic loco plura astruxit, quibus evinceret, societates Christianorum ab Imperio publico non esse liberas. Istud enim eorum, quibuscum ei negotium erat, nemo negabat.

Quartum Gomaristarum argumentum erat hujusmodi. Sacerdotii procuratio, quæ Pontificibus data est, non modo universos e Populo Christianos, sed eos, qui summum habent Imperium, complectitur. Quis enim abnuat, quin Principes in Ecclesia eo loco habeantur, ut de fide doceri debeant, ligari & solvi possint, iisdemque res Divinæ administrentur? Ergo nefas est illos ut politicis, sic sacris præesse. Gomaristas hoc modo disputantes Grotius ridet, eosque ita urget, omnes artium disciplinas id habere, quod Principibus usui sit, nec tamen eas ab eorum eximi publico Imperio. Hæc Arminianus qui non intellexit, quid inter Christianum Sacerdotium & profanas artes differat. Nanque Sacerdotium non caret suis ministris iisdemque omnium sacrorum moderatoribus, quos Deus delegit, contra profanæ artes sponte a quibuslibet Civibus, qui optimo sunt ingenio, suscipiuntur, sed tamen egent gubernatoribus, qui in Civitate non alii esse possunt, quam Principes. Itaque diversa ratione Pontifices & Medici exempli caussa munus suum exercent, Pontifices quidem non modo tanquam sacrorum opifices, sed tanquam Religionis Rectores a Deo constituti, Medici vero veluti medicinæ Doctores, sed non veluti illi, qui medicinam legibus regant suis. Quoniam igitur Sacerdotii procuratio ipsos Principes complectitur, ex eo facile sequitur, non idem iis esse Imperium in sacris atque in profanis. Basilius Imperator in synodo octava de Photiano schismate jus dicere recusavit, quod ipse Pontifex non erat, & a Pontificibus ligari & solvi poterat. His enim Synodum alloquitur, *Nullo modo nobis licet de Ecclesiasticis caussis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ & universali Synodo adversari. Hoc enim investigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi & solvendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & Cælestes adepti sunt claves, non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus*. Item Gregorius II. Papa Leonem Imperatorem, qui cognitionem de imaginum cultu sibi tribuit, sic increpuit in secunda epistola, *Neque Imperator*

tor potestatem habet consecrandi, vel symbola Sanctorum Sacramentorum administrandi,
vel participandi absque opera Sacerdotis. Unusquisque nostrum in qua vocatione vocatus est
a Deo, in ea maneat. Vides, Imperator, Pontificum & Imperatorum discrimen.
III. Disputavit deinde Grotius de Sacro Christi Principatu, ut palam faceret, per
illum non tolli publicum Imperium, quod summis politicis Magistratibus in sacra at-
tribuit. Is percurrit Regia Christi munera, quæ versari existimavit in jubendis san-
ciendisque Religionis rebus, in reddendis judiciis, atque in afferendis Divinis auxiliis,
quibus homines ad bonum inflammari impelluntur, & ipsa Ecclesia conservatur. Pu-
tavitque, Christum nullos sibi Vicarios adscivisse in hujusmodi gerendo Regno, sed
tantum meros quosdam administros & opifices, qui sine ulla potestate & ditione ei de-
servirent. Cumque ad eundem Regem Christum pertinere id dixisset, ut defenderet,
constitueret & ornaret Ecclesiam, sic censuit, civiles Principes fuisse delectos, qui
in eo munere illius locum tenerent. Sic Grotius, contra quem breviter dicere ag-
gredimur.

Atque duplex est Christi Regnum, alterum, quod ei tanquam summo Deo præ-
potentique rerum omnium Conditori convenit, alterum vero, quod is habet tanquam
inter Deum atque homines sequester optimusque Ecclesiæ auctor. De utroque Chry-
sostomus *Hom.* cv *tom.* v. pag. 631., Διπλῆ ἡ τοῦ σωτῆρος βασιλεία. ἡ μὲν προαιώνιος
καὶ ἀρχὴν οὐκ ἔχουσα. ἡ δὲ μετὰ τοῦ αἰῶνος, ἀρχὴν ἀπὸ τῆς οἰκονομίας λαμβάνουσα, *Duplex*
est Servatoris Regnum, alterum quidem æternum & initio carens, alterum vero cum tem-
pore initium ab œconomia accepit: Et Theodoretus *in Psal.* 11. pag. 4051. *De Filio*
Dei, Ὡς θεὸς, ἔμφυτον ἔχει τὴν βασιλείαν, ὡς δὲ ἄνθρωπος χειροτονητὴν δέχεται ταύτην,
Sicut Deus innatum habet Regnum, ut autem homo electione delatum accipit. Hoc po-
stremum Regnum in sacris consistit, de quo ipse Christus apud Joan. xviii. 36.,
Ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου κ. λ., *Regnum meum non est de hoc*
mundo. Si ex hoc mundo esset, Ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.
Nunc autem Regnum meum non est hinc. In hunc locum Augustinus Tract. 1. 15. in
Joan., *Audite ergo Judæi & Gentes... non impedio Dominationem vestram in hoc*
mundo: Regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo He-
rodes ille major, cum Christus natus nuntiaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum
mors perveniret, occidit, timendo magis, quam irascendo crudelior, Regnum, inquit,
meum non est de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venit ad Regnum, quod non est de
hoc mundo, venite credendo & nolite sævire metuendo. Hæc cum constituta sint, quæ-
rimus, an Christus Vicarios in terris creaverit, qui sacrum Regnum administrarent
suum. Vicarios autem cujuslibet Principis eos existimamus, qui commissum sibi mu-
nus non quasi opifices & ministri sine ulla dignitate, sed cum jurisdictione & auctori-
tate gerunt, ita ut Rectores moderatoresque illius Provinciæ quæ mandata sit, jure
appellari possint: cujusmodi quidem notionem verbo subjecerunt omnes Gentes, atque
universi Scriptores, cum de illis commemorarunt, quos Principes Vicarios sibi dele-
gerunt. Hoc igitur agimus, an ejusmodi aliquos administros Christus ad Regni sui
hoc est Ecclesiæ gubernacula admoverit.

Dicendum autem nobis est, Christum ea ferme omnia, quæ ad regendam &
constituendam Ecclesiam sint agenda, per Pastores procurare, tanquam illos, qui sua
ipsius vice funguntur. De summis enim Magistratibus sic habemus, ab iis dandam esse
operam, ut Ecclesiam publico præsidio defendant, eandemque rogatis legibus tuean-
tur, ex quo Religionis potius vindices & tutores, quam Christi locum tenentes in
administranda Religione appellavit antiquitas. Hoc in Prolusione satis expedivimus.
Nunc oratione persequamur nostra quod primum constitutum est. Complures sunt
Regiæ Dignitatis partes, quas Christo Scriptura attribuit. Aut enim ponuntur in con-
denda Ecclesia, & in aggregandis ad eam non modo Hæbreis, sed etiam Gentilibus,
aut in perferendis Divinarum rerum disciplinis morumque legibus, sive in roganda Re-
ligione, quæ privatim & publice sit adsciscenda & in eadem promissis æternis bonis
&

& sancitis pœnis confirmanda, aut in ferendo de hominum peccatis & virtutibus judicio, quo jus cuique suum tribuatur, aut in regenda Ecclesia & Religione, aut denique in diffundendis divinis auxiliis, tum quibus homines ad Ecclesiam evocentur, & si in ea maneant, ad facienda officia impellantur, tum quibus Ecclesia conservatur & ab omnibus hostibus defendatur. Ex his Regiis Christi muniis, quod postremo loco descriptum est, hominibus mandari non potest, ut per eos peragatur. Nanque ejusmodi Divina auxilia, quæ hominum mentes afficiunt, ab ipso Deo per Christum dimanant, & uti quibus dantur, ex mera Dei benignitate dantur, ita si quibus negantur, aut minus ubertim conceduntur, id accidit ob caussas, quas compertas non habemus. At reliqua munia Apostolis & sacris Pastoribus peragenda demandantur ductu, auctoritate, vi & numine Christi, qui ab Ecclesia nunquam animum avocat, sed eidem prospicit & consulit. Perspicua sunt in novi Fœderis libris verba, quibus universa hæc Provincia, maxima sane & præstantissima Apostolis committitur. Eos enim sic Christus affatus est *apud Mat.* XXVIII. 19., Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη .... Διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν, *Euntes igitur facite mihi discipulos ex omnibus Gentibus . . . docentes eos omnia, quæcumque mandavi vobis:* Eam ob caussam auctorem ductoremque iisdem dedit Spiritum Sanctum. Nanque apud *Joannem* XVI. 13. idem ipse dicit, ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem*. Cumque Petrus in animum induxisset suum, Ecclesiam novi Fœderis talem esse, in quam soli Hebræi congregarentur, divinitus erroris sui commonefactus est, quem plane profitetur *Act.* X. 34., Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός, *In veritate comperio, quod non est personarum acceptor Deus*: itaque Divino mandato paruit, iisque etiam, qui in ethnico vivebant Orbe, Christianam Religionem pertulit. Hæc quidem, ex quibus intelligi par est, Christum loco suo Apostolos huic negotio præfecisse, ut Ecclesiam conderent, & leges, quas ipse tulerat, omnibus Gentibus expromerent easque cum auctoritate explicarent. Itaque Ecclesia condita esse dicitur a Paulo in Apostolis tanquam in principiis & fundamentis, in ea, quæ ad Ephesios scripta est epistola *cap.* II. 20. Sed porro Christus principes illos Pastores eorum omnium, qui ad Ecclesiam pertinebant, judices renunciavit hac cum jurisdictione præditos, qua alios peccatorum absolvere & alios damnare possent. Nam apud *Joannem* XX. 21. 22. ille ad Apostolos, Καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς . . . Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς. ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται, *Sicut misit me Pater, ego mitto vos . . . quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Quibus verbis juris dicundi potestatem de iis, quæ ad animum pertinent, Apostolis fuisse creditam Patres omnes Græci & Latini docuerunt, quod paulo post a nobis dicetur. Acceditque, quod iidem universæ Ecclesiæ gubernacula a Christo commissa susceperunt. Nanque dicuntur in epistola ad *Hæbræos* XIII. 7. 17. ἡγεῖσθαι *ducere*, I. *Thessal.* V. 12. & I. *Timoth.* V. 17. προΐστασθαι *præesse*, denique *Joan.* XXI. 16. aliisque in locis ποιμαίνειν *pascere & regere*. Cum igitur sacri Pastores principatus ipsius, qui Christo datus est, partes omnes obivissent non sine potestate & notione, plane sequitur, eos ad gerendam Ecclesiam ita accessisse ut cœlestis illius Regis locum tenerent & vice fungerentur.

Atque ita senserunt de Episcopis veteres omnes Patres. Ignatius Martyr apostolicorum temporum æqualis in sincera epistola, quam ad *Magnesianos* scripsit, hos commonuit, ut summo animorum consensu omnia agerent, Προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, *Episcopo præsidente Dei loco & Presbyteris loco Senatus Apostolici*. Tum in epistola *ad Trallianos*, quæ etiam germana est, eos jussit Episcopo quasi Christo parere, Τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε ὡς Ἰησοῦ χριστῷ, *Episcopo subjecti estis, ut Jesu Christo*: quod idem Ignatii interpolator græculus sic expressit, Αἰδεῖσθε δὲ καὶ τὸν ἐπίσκοπον ὑμῶν ὡς χριστόν, καθ' ὃ ὑμῖν οἱ μακάριοι διετάξαντο ἀπόστολοι, *reveremini autem Episcopum vestrum, sicut Christum*,

quem-

quemadmodum vobis præceperunt Apostoli: addidit vero, ὁ ἐπίσκοπος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων τύπος ὑπάρχει, οἱ δὲ πρεσβύτεροι ὡς συνέδριον θεοῦ καὶ σύνδεσμος ἀποστόλων χριστοῦ, *Episcopus typus Dei Patris omnium est, Presbyteri vero sicut consessus Dei & conjunctio Apostolorum Christi*. Hinc Cyprianus Episcopos Christi Vicarios sæpe appellavit: Nam in epistola LXIII. ad *Cæcilianum* inquit, *ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur*, & in epistola LV. alias LIX. ad *Cornelium* dixerat, *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Christi cogitatur*: in quem locum Rigaltius, *Ecce autem Episcopos ævo Cypriani Vicarios Christi*. Ad hos Basilius *Constit. mon. cap.* XXII. Tom. II. pag. 792. Ὁ καθηγούμενος οὐδὲν ἕτερόν ἐστι, ἢ ὁ τοῦ σωτῆρος ἐπέχων πρόσωπον, *Nihil aliud antistes est quam is, qui personam Christi sustinet*. Tum Auctor *comm.* 1. *Corinth.* XI. 10. qui, quamvis Ambrosius dicatur, tamen Hilarius Romanæ Ecclesiæ Diaconus fuisse creditur, *Episcopus personam habet Christi . . . Vicarius Domini est*. Denique scriptor *quæstionum Vet. & Nov. Test. cap.* CXXVII. sub nomine Augustini, *Antistitem Dei puriorem ceteris esse oportet . . . Est enim Vicarius ejus*. Veteres igitur Patres aperte docuerunt, omnes Episcopos Ecclesiæ præesse loco Christi, atque eam ob caussam ejus vicarios existimarunt: quorum tamen hæc sententia non obest, quominus Romanus Pontifex Catholicæ Ecclesiæ princeps Rector κατ' ἐξοχὴν *per excellentiam* eo præconio afficiatur inter universos Episcopos.

Sed redeamus ad Grotium, cujus rationem confirmare eo studet Philippus Limborchius, *Theol. Christ. lib.* III. *cap.* XXV. quod, cum Christus Ecclesiæ præsto sit, eidem adjungi vicarii non possint, qui absente Principe creari solent. Nihil scilicet stultius afferri poterat. Etsi enim Christus cum Ecclesia, cujus est caput, conjunctissimus sit, tamen spectari non potest. Cumque Ecclesia societas aspectabilis sit, plane ei præfici aliquos oportuit, qui eam loco Christi administrarent. Sic quamquam summus omnium Dominator Deus ubique sit, tamen Reges, Imperatores & summi omnes Magistratus in Rebuspublicis ejus vices gerere & commissum ab eo Imperium gubernare dicuntur a doctissimis veterum politicis & philosophis. Artabanus Persa in Themistoclis vita apud Plutarchum dicit, Ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων, κάλλιστός ἐστι, τὸ τιμᾶν τὸν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα τοῦ τὰ πάντα σώζοντος Θεοῦ, *Ex multis legibus*, quibus nimirum Persæ utuntur, *& quidem egregiis nulla augustior illa, quæ sancit, Regem esse honorandum, & adorandum, ut Dei cuncta servantis imaginem*: Et Diotogenes Pythagoreus *in libro de Regno* Regem vocat Θεὸν ἐν ἀνθρώποις *Deum inter homines*, & alias talem esse affirmat ᾧ δέδωκεν ὁ Θεὸς αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν, *Cui Deus dedit suum ipsius Principatum*. Hæc contra Limborchium. Concludamus igitur, unum Ecclesiæ esse moderatorem, eundemque Christum, qui tamen, cum ab hominibus videri non possit, sacros Pastores sibi adjunxit quasi Vicarios.

IV. Aggreditur Grotius ad maximum expediendum argumentum, quod sic intexitur ab adversariis suis Gomaristis. Christus instituta Religione & congregata Ecclesia Episcoporum Ordinem ea cum auctoritate potestateque creavit, ut Divinarum rerum disciplinis officiorumque præceptis Populos imbueret, eosdemque duceret, regeret & gubernaret. Hoc illorum munus sacri Scriptores satis declararunt pluribus in locis. Apostolus in Epistola ad *Hebræos* cap. XIII. v. 7. curationis, in qua erant Episcopi, sic Christianos commonefecit, Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, *Mementote Ducum vestrorum, qui loquuti sunt vobis verbum Dei*: Et paulo post, Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε, *Obedite Præpositis vestris & eis subjacete*. Idem in epistola prima cap. V. 12. Thessalonicenses affatur, Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, εἰδέναι τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν, καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν Κυρίῳ, *Rogamus autem vos, Fratres, nosse laborantes in vobis & Præsidentes vobis in Domino*. Tum in prima epistola ad Timotheum v. 5. de Presbyteris sive Episcopis hæc edisserit, *Bene Præsidentes Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime laborantes in verbo & doctrina*. Quid plura? Chri

Christus ipse *Johan.* XXI. *16.*, hanc Episcoporum sacram præfecturam perspicuis verbis extulit, cum Petrum atque in Petro omnes Apostolos commonuit, *Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου*, *Pasce oves meas*. Hæc illi cum attulissent, plane argumenti sententiam concludunt, Episcopos nempe solos esse Religionis sacrorumque omnium sive privatorum sive publicorum Interpretes, Doctores, Curatores, Judices & Moderatores cum ea jurisdictione, quam Christus eis mandavit ad tam amplissimum munus obeundum. Sic illi.

Nunc videamus quid Grotius dicat. Is hac partitione utitur, ut alterum eorum regimen existimet, qui suadent quidem, sed non cogunt, alterum vero illorum, qui jubendi & cogendi potestate aliis præsunt. Hujus porro postremi regiminis duplex ponit genus. Nam qui alios regunt, aut iis quidem declarant leges, quarum auctoritate aliquid facere vel deserere coguntur, aut eos jussis suis adstringunt. Prioris generis regimen est penes Medicos, Philosophos eosque omnes, qui ad præbendum consilium evocantur. Alterum vero regiminis genus est vel penes illos, qui summo jure imperant, vel penes eos qui jurisdictionis suæ fundamentum in illorum quos regunt, consensu reponunt. Sic Reges atque omnes Rerumpublicarum moderatores ex sua ipsorum, qui imperant, potestate Civitatem administrant. Contra cujusvis Universitatis Imperium consensu nititur. Nanque Universitas sancire leges solet omnibus, quos complexu suo continet, tum ipsis, qui eas suaserant, tum iis qui contrarias tabellas dederunt, si modo qui ad rogandas leges consenserunt, frequentiores ceteris sint, iidemque optime rei publicæ consulant. Percurrit tandem Grotius minora Imperia sive minores omnes Præfecturas, quarum aliæ a summo Imperio proficiscuntur, tales sunt Prætura, Proconsulatus & reliqui Magistratus, aliæ a summo Imperio initium non capiunt, sed eidem subiiciuntur, qualis est Patrumfamilias potestas.

His positis & pressius explicatis ille primum quærit de Pastorum ordine, tum de Ecclesia. Atque cum ex pluribus novi Fœderis locis negasset, Pastoribus, qui Ecclesiam regunt, aut summum Imperium fuisse commissum, aut quod summo minus est, eo statim pervenit, ut audacter abnueret, ne talem quidem iis esse Principatum, qui suo ipsius jure Christianos obligare crimini possit, si jussis non pareant. Putavit enim, sacros Pastores esse Administros, Legatos, Nuntios & Curatores sine potestate & jurisdictione. Ex quo effecit, eos præesse solum declarandi auctoritate, aut quod idem valet, eos in hujusmodi esse munere, ut explicare debeant officia, quæ sunt facienda, & Christi porro præcepta expromere, quasi præcones, qui Populis occasionem & caussam præbent, cur, cognitis per ipsos legibus, has servare jubeantur. Atque in eundem sensum eam ipsam accepit potestatem, quæ illis in novo Fœdere credita est ad ferendum de peccatis judicium. Nanque quicquid id juris est, in eo versari dixit, ut illi ex verbo Dei declarent, iis qui peccarunt, aut peccata fuisse dimissa, aut eorum nondum esse absolutos. His omnem sacrorum Pastorum contineri auctoritatem Grotius sensit, nec aliam iisdem esse mandatam in iis verbis, quibus Ecclesiarum Ductores, Præsides & Rectores vocantur in novi Fœderis libris. Itaque existimavit, hanc qualemcumque eorum præfecturam non posse summo Principum Imperio aliquid detrahere: tanquam enim Divini juris consultos, sic illos nihil Imperii sibi habere, nec aliqua præditos esse jurisdictione, ut Populos jussis obstringant suis. Ita de sacrorum Pastorum munere.

Accessit deinde ad promendam Ecclesiarum auctoritatem. Atque eas primum veluti Populos caussa Religionis congregatos spectavit, in quibus Imperium *ἀναγκαστικῇ δυνάμει cogente potestate* præditum inesse ex scripturis negavit. Sed nihilosecius concessit, eas ex consensu omnium, quos continet, aut fere omnium jubere leges posse, quas eorundem nemini liceat negligere aut violare sine peccato. Tales fuisse leges censuit de colendo Dominico die & de renunciandis Diaconis, quæ commemorantur in Paulina Epistola ad *Coloss.* II. 16., & in *Apostolicis actis* XX. 7. Addidit vero omnia, quæ scita sint in Ecclesiis, politicorum Præfectorum subesse Imperio, ita ut tolli

tolli & confirmari eorum judicio possint. Hæc de Ecclesiis veluti sacris Conventibus. At porro constituit, easdem Ecclesias ut civiles societates Imperium habere posse tum ἀνυπεύθυνον summum, tum quod minus est summo: cujusmodi sunt pleræque Helvetiorum Civitates, fuitque Respublica Hebræa Machabaicis temporibus. Cumque paucis commemorasset de civili illa jurisdictione, quæ ab Imperatoribus Ordini Episcoporum credita est, tandem peroravit. His ille regiminis, quod Christus instituit in Ecclesia, temperationem exposuit.

V. Sequitur, ut Grotiana hujusmodi refellamus, non omnia equidem, sed quæ contra sacrorum Pastorum potestatem faciunt. Constituamus autem primum, quid sit illud, de quo agendum est, ne sine ullo dicendi ordine ruat oratio. Non quærimus nimirum de illa ditione, quæ versetur in ferendis de re publica legibus, in reddendis civilibus judiciis, in creandis Magistratibus, atque in sumendis politicis pœnis. Ea enim in iis solum residet, qui summo potiuntur Imperio, pertinetque ad conservandam Civitatis publicam salutem atque incolumitatem. Nanque inter omnes Theologos Divini juris consultissimos convenit, ejusmodi Imperio Christum universo Episcoporum ordini interdixisse. Eo valet, quod Apostolos vetuit ille κατακυριεύειν τῶν κλήρων, *dominari in Ecclesiis*, & κατεξουσιάζειν, *Imperium exercere*, quale inerat in magnis & beneficis Regibus, sive Ethnarchis. Hanc ob rem Apostoli nullum sibi Principatum in terris tribuerunt, quin etiam pertulerunt, ne Antistites animadvertendi percutiendique morem arriperent. Nec aliorsum accipiendi sunt Patres illi, quos Grotius attulit. Igitur nobis solum decertandum est de illa jurisdictione quæ tota in sacris est, atque æternam animorum salutem spectat. Omnis vero hac de re duplex est quæstio: Prima est, num amplissimus Episcoporum cœtus gubernandæ regendæque Ecclesiæ ita præsit, ut is quasi sacer Magistratus nos obligare possit, nisi jussis morem suis geramus, altera autem, an potestas, quam eidem *ad ligandos & solvendos* homines Christus mandavit, conjuncta sit cum præstantissimo jure ferendi judicii de peccatis, ita ut, re deliberata, alios criminum absolvat, alios condemnet. Postremam hanc quæstionem in altera exercitatione percurremus. Nunc prima pertractanda est, quæ cum satis explicata erit, plane contra Grotium colligemus, penes sacros Pastores non modo eam esse Præfecturam, quæ suadendi & declarandi auctoritate continetur, sed alteram illam, quæ jubeat & ad parendum alios impellat.

VI. Atque perspicuum illud est ex Scripturis, Conciliis omniumque Patrum consensu Episcopos regendæ Ecclesiæ summa cum dignitate fuisse præfectos. Non enim sunt modo curatores, administri & opifices, sed quasi sacri Magistratus, quibus sine crimine quominus obtemperet, nemo recusare potest. Magistratuum quidem universum munus decernendi, animadvertendi & imperandi præsertim jure describitur. Præclare Aristoteles *lib. 4 Polit. cap 15.* Μάλιστα δὲ ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαί τε περί τινων, καὶ κρῖναι, καὶ ἐπιτάξαι, καὶ μάλιστα τοῦτο. τὸ γὰρ ἐπιτάττειν, ἀρχικώτερόν ἐστι, *Imprimis autem ut simpliciter dicamus, Magistratus illi nominandi sunt, quibus datum est deliberare de quibusdam, & decernere & jubere atque hoc præcipue. Nam jubere Magistratuum magis proprium est.* Hæc, quæ Magistratibus Aristoteles tribuit, Ecclesiæ Antistites sibi vindicant, sed in sacris solum, iisque, quæ ad animum pertinent. Apostolus Presbyteros affatus *Actor.* cap. 20. 28. *Attendite vobis*, inquit, *& universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos* ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, *pascere Ecclesiam Dei.* Quod vero græce est ποιμαίνειν, & latine *pascere*, idem est, atque regere cum jure non solum jubendi, sed coercendi. Sic Philo in libro *De eo, quod deterior potiori insidiatur*; Οἱ δὲ ποιμαίνοντες ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων ἔχοντες δύναμιν, *qui pascere dicuntur, Principum ac Ducum vim habent*: Et apud Homerum *Il.* α Rex vel Imperator, ποιμὴν λαῶν, *Pastor Populorum* vocatur. Itaque intelligi par est, Episcopos legitimos esse Ecclesiarum Rectores, ut, si quid sciscant, iis plane parendum sit. Nanque *Obedite*, inquit Apostolus, *Præpositis vestris*

Grot. Tom. I. O

& jub-

& subjacere eis. Ex quo illa Episcopis jubendi potestas tribuenda est, cui obedientia respondeat, quod sane eorum est, qui cum dignitate præsunt, jurisque ditione.

Sed istud ipsum explicate edisserendum est. Apostoli ita Ecclesiam gesserunt, ut omnia sacrorum Magistratuum munia obirent, hoc est deliberarent, juberent, in eosque animadverterent, qui legibus suis non parebant. Sic cum illud in quæstionem venisset, an instituta Mosaicæ legis, perlato evangelio, essent sublata, Apostoli convenerunt & rem in consilium miserunt. Ad hoc inito consilio tandem decretum ediderunt *Actor*. 15. , Ε᾿δοξε γαρ τῳ ἁγιῳ πνευματι και ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βαρος, *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris*. Duæ sunt Magistratuum partes, quas Aristoteles βουλευεσθαι *consultare* & κρινειν *decernere* appellavit. Tum iidem Antiochenos commonefecerunt, ut iis, quæ placuerant, si rebus consulere vellent suis, obedirent beneque agerent, quod ex eodem Aristotele postremum est Magistratuum officium, & in ἐπιτασσειν *jubendo* versatur. Hæc igitur Apostoli cum agerent, illud quidem habuissent juris necesse est, ne illos, qui scitis suis non auscultarent, inultos sinerent. Vindicavit hanc sibi auctoritatem Apostolus, cum Corinthios affatur in *secunda epistola cap*. x. v. 8. , Ε᾿ὰν τε γαρ και περισσότερόν τι καυχήσωμαι περὶ της ἐξουσιας ἡμων, ἡς ἔδωκεν ὁ Κύριος ἡμιν εις οἰκοδομην, και οὐκ εἰς καθαίρεσιν ὑμων, οὐκ αἰσχυνθησομαι, *Nam si & amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in interitum vestrum, non erubescam*. Duplex in his verbis animadvertendi potestas adparet, altera, quæ pertinet ad conservandos eos, qui crimen sibi consciscunt, altera ad eosdem ab Ecclesia exterminandos. Et quamquam Apostolus recusare videatur, quominus eam, quæ postrema est, sibi tribuat, in hunc tamen sensum intelligendus est, quasi dicat, non ex præcipuo quidem Christi consilio, eandem sacris Pastoribus esse creditam, sed secundo loco & veluti ad subsidium, cum è publica Ecclesiæ re illud esse judicaverint, ut hujusmodi animadvertendi auctoritate uterentur. Sic Chrysostomus Apostolum loquentem inducit *Homil*. 22. *in* 2. *ad Corinth*., Εις τουτο μὲν οὖν ἐλαβομεν ἱνα οἰκοδομῶμεν. Ε᾿ὰν δὲ τις πυκτευη κ. τ. *Et ad hoc quidem potestatem accepimus, ut ædificemus. Sin autem reluctetur aliquis, & pugnet & insanabilis sit, etiam actione utemur altera, ut eum destruamus ac dejiciamus*. Itaque *Homil*. 2. *de Pent*. Apostolicam curationem ἀρχην *Magistratum* appellat.

Ac si sacer in Apostolis inerat Principatus, quo Ecclesias regerent & gubernarent, cur abnuamus, eundem ipsum penes Episcopos residere? Nanque in demortuorum Apostolorum locum Episcopi successerunt, eadem quidem cum potestate præditi quæ illis fuerat mandata ad Religionis incolumitatem atque ad Ecclesiæ salutem. Augustinus egregie in *Tractatu ad Psalmum* 44. Episcopos pro Apostolis, qui Patres erant, Ecclesiæ datos esse scribit. *Quid est pro Patribus tuis nati sunt tibi Filii?* inquit, *Patres missi sunt Apostoli. Pro Apostolis Filii nati sunt Tibi. Constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totum mundum unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat: ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in Sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas. Pro Patribus tuis nati sunt Tibi Filii*. Sed ipsam Episcoporum provinciam dispiciamus, an ea sacram ullam jurisdictionem complectatur. Ad Episcopos quidem pertinet, non modo omnia sacra facere, sed eam religionem expromere, quam Christus docuit, & porro disciplinæ optimoque rerum ordini advigilare. Hæc illorum esse, quæ verbis modestiæ plenis sunt expressa, ecquis negaverit? De potestate in faciundis sacris non agimus. At enim in utrisque reliquis obeundis muniis, nimirum in explicanda religione & in constituenda Ecclesiæ disciplina Episcopis sacra quædam ditio est, quam Orthodoxis per Divinas leges detrectare non licet. Atque in exponendis Divinis rebus, quas Christus docuit, tanta est dignitas universo Episcoporum coetui, ut quæ in eo convenerint, ab omnibus sint

co-

colenda, nec in dubitationem sine magno scelere revocari possint. Is enim Christo auctore creatus est religionis interpres, doctor & iudex, eamque auctoritatem adjunctam habet, ut quidquid dogmatis censuerit Ecclesiisque pertulerit ad Christi doctrinam offendere atque in eandem incurrere non possit. Ex quo idem praeest cognitionibus de Religione, & sententiam, quam profert, adiectis sacris poenis sancire solet. Sic quidem omnes Synodi, quæ a primis usque Christianis seculis coactæ fuerunt, quum quæstiones de sacris explicassent judiciumque tulissent suum, statim pertulerant, eos, qui contra sentiebant, ab Ecclesiis officiorum societate fore disiungendos. Quanta hæc Episcoporum Præfectura est? Quam publico Imperio divinior? Ad eam respexit Gregorius Nazianzenus *oratione decima sexta*, in qua politicum Præfectum his affatur, Ἆρα δέξεσθε σὺν παῤῥησίᾳ τὸν λόγον; καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ, καὶ τῷ ἐμῷ βήματι. ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. Προσθήσω δὲ ὅτι καὶ τὴν μείζονα, καὶ τελεωτέραν ἀρχήν. ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκὶ, καὶ τοῖς γηΐνοις τὰ ἐπουράνια. δέξῃ τὴν παῤῥησίαν οἶδ᾽ ὅτι. πρόβατον εἶ τῆς ἐμῆς ποίμνης, τῆς ἱερᾶς ἱερὸν, καὶ θρέμμα τοῦ μεγάλου ποιμένος, *An me*, inquit, *libere loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque Imperio meo ac Tribunali lex Christi subjicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius. Alioquin carni Spiritum & terrenis cælestia cedere oportebit. Omnino te libertatem illam meam accepturum in bonam partem scio. Sacri mei gregis ovis es sacra & alumna magni Pastoris*. Sed pressius res agenda est. In Republica politici Magistratus sunt Interpretes & Judices legum, quæ ad publicam tranquillitatem sunt conditæ, nec vetant aut jubent, nisi quæ in iisdem vetantur aut jubentur. Ut enim Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus, vereque dici potest, Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum Magistratum. At in Ecclesia sacri Antistites sunt interpretes & moderatores Religionis, quæ ad æternam hominum salutem perlata est. Quocirca plane dicamus necesse est, Episcopos in Ecclesia non esse meros opifices & Nuntios, sed sacros veluti Magistratus, quibus mos sit a nobis gerendus, nisi officium deserere velimus.

De Pastorum Principatu hactenus equidem qui ad conservandam Religionem iis datus est. Sed porro iidem constituendo Ecclesiæ ordini, componendæque disciplinæ cum sacro quodam Imperio fuere præfecti. Christus Apostolos alloquitur *apud Joannem* 20. 21. 22., Εἰρήνη ὑμῖν, καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς, *Pax vobis, sicut misit me Pater, ego mitto vos*. His enim in verbis amplissima quædam Pastoribus credita est potestas, quæ non modo posita sit in docendo explicandoque Divinarùm rerum dogmate, sed in sanciendis legibus de gerenda atque optime administranda Ecclesia. Atque sane quemadmodum in politicis societatibus salus Populi suprema lex est, cujus caussa faciendum est quidquid agitur, sic in Ecclesia Christiani populi salus summum illud est, quo omnia referuntur. Hoc ipsum vero versatur in conjunctione animorum cum Deo sive in solida pietate, qua nihil sanctius & augustius esse potest. Id enim Ecclesia spectat, id sibi proponit. Quum autem universa hominum Concilia omnesque cœtus ad finem bonorum suorum pervenire non possint sine ordine, palam est eo ipso non posse Ecclesiam carere. Apostolus sic Corinthios monet *in prima ad eos epistola cap.* 14. *com.* 40., Πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω, *Omnia decenter & ex ordine peragantur*. Quoniamque ordo, quem εὐταξίαν Græci dicunt, ratus & constans sit oportet, plane sequitur, Christianis in unam societatem congregatis & Ecclesia jure sociatâ leges esse scribendas, quibus ea recte constituatur. Quæ leges quum ad excitandam pietatem tanquam ad summum Ecclesiæ bonum referri debeant, ergo perspicuum est, earum condendarum potestatem ad illos pertinere, quorum Divinum munus est Christianos in Divinis regere, ad sacros nempe Pastores & Episcopos. Itaque Apostoli veri æstimatores ejus muneris, quod sibi esset commissum, multa jusserunt, quibus Ecclesiæ omnes paruerunt. Ex quo illa emanant, quæ dicuntur, Apostolica scita, de quibus commemorarunt antiqui Scriptores Irenæus,

Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Basilius, Epiphanius, Chrysostomus, Hieronymus, & Augustinus.

Prodiit quidem *Apostolicarum Constitutionum* Octabiblos, quasi volumen, in quo continerentur leges omnes, quas Principes illi Ecclesiæ Præsides & duces Apostoli pertulisse, & Clemens primus Romanus Pontifex conscripsisse dicebantur. Horum tamen Auctorum augustissima nomina his octo libris dudum reficta fuerunt a viris eruditis, inter quos hunc locum pluribus tractavit Dalleus *de Pseudoepigraphis Apostolicis*. Ea vero octabiblos plane discrepat ab eo opere, in quo leguntur τῶν Ἀποστόλων διδαχαὶ *Apostolorum doctrinæ*, quod ostenderunt Usserius in *Prolegomenis ad S. Ignatii Epistolas* atque Ernestus Grabe *in Spicilegio Patrum Sæculi* II. *pag.* 285., idque contra Cotelerium, qui *in Judicio de Constitutionibus Apostolicis* alterum opus ab altero non disjunxit. Has Didachas Apostolicas meminerunt Eusebius *lib.* IV. *Hist. Eccles. cap.* 25. Athanasius *in Epistola Festali*, Nicephorus C-Politanus in στιχομετρίᾳ, & Nicephorus Callisti *Hist. Eccl. lib.* 2. Easdem Epiphanius non semel διατάξεις *Constitutiones* vocitat, *Hæres.* LXX. Ὁρίζουσι ἐν τῇ διατάξει οἱ Ἀπόστολοι, *Apostoli in Constitutione definiunt*, *Hær.* XLV. Καὶ οἱ Ἀπόστολοι φασὶν ἐν τῇ Διατάξει καλουμένῃ, *Apostoli in ea, quæ constitutio vocatur*, *Hær.* LXXV. Εἰ δὲ καὶ χρὴ τῆς Διατάξεως τῶν Ἀποστόλων λέγειν, *Si vero etiam necesse est ex Apostolorum constitutione loqui*. Hic autem liber, qui Apostolorum didachas continet, sub secundi seculi initium evulgatus est. Id ut nobis persuaderemus, magnum attulit momentum Epiphanius, qui *Hær.* 70 affirmat, didacham, quæ de celebrando Paschatis die cum Hebræis præcipit, eo pertinuisse, ut Episcopis, qui Hierosolymis præerant, orbis Catholicus consentiret, Ἅμα δὲ καὶ πεντεκαίδεκα Ἐπίσκοποι γεγόνασιν ἐκ περιτομῆς, καὶ ἔχρην τότε τῶν Ἐπισκόπων ἐκ περιτομῆς ὄντων, ἐν Ἱερουσαλὴμ καθισταμένων, ὃ πάντα κόσμον τούτοις συνέπεσθαι, καὶ μετ' αὐτῶν ἐπιτελεῖν κ. λ., *Simul vero* XV. *Episcopi fuerunt ex circumcisione, & oportebat tunc Episcopis ex circumcisione existentibus, inque Hierusalem constitutis omnem mundum assentiri & cum ipsis perficere, una ut omnium concordia, una confessio, una festivitatis obeundæ ratio firmaretur*. Nimirum ad Paschatis festum diem celebrandum id tempus anni, quod Hebræi delegerant, in Apostolicis didachis eum in finem præscriptum est, teste Epiphanio, ne ceterarum Ecclesiarum dissensus ea in re Hierosolymitanos illos XV. Episcopos offenderet, qui ex Hebræis ad Christiana sacra accesserant. At enim hi decem & quinque Antistites, antequam Hadrianus Hierosolyma everteret, sibi illa in Ecclesia successerunt, teste Eusebio *lib.* IV. *cap.* 5. *Eccles. Hist.* Itaque cum Hierosolyma Hadrianus obsedisset anno Epochæ CXX., id argumento est, ante hunc annum ad lucem evasisse librum Apostolicas didachas continentem. Sed agamus quod exorsi sumus. Is igitur liber tanta ævitate commendatissimus plerasque de Ecclesiæ disciplina leges habebat, quas Apostoli condiderant. Atque has leges eo loco vetus Ecclesia existimavit ut recusare nemini fas esse diceret, quominus iis pareret. In hanc sententiam Augustinus *lib.* 3. *contra Eun.*, *Alia vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, fuerunt commendata atque statuta. Sicuti quod Domini Passio, & Resurrectio & Ascensio in Cœlum & adventus de Cœlo Spiritus Sancti, anniversaria solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia*: contra quæ omnia *disputare insolentissimæ insaniæ esse affirmat*. Jamvero Antistites, qui propius ab Apostolis secesserunt, horum auctoritatem sequentes multa constituerunt, quæ in Scripturis non fuerant præcepta. Hinc tot Canonum vetusti Codices, & inter omnes antiquissimus ille Antenicænæ Ecclesiæ, qui Canones nomine Apostolicos complectitur, de quo Josephus Scaliger, Gabriel Albaspinæus, Petrus de Marca, Henricus Hammondus, Petrus Gunnig, Joannes Pearson, & Beveregius *in judicio de Canonibus Apostolicis* contra Dallæum qui eos quinto seculo adulto extitisse existimavit, idemque contra Dallæanæ opinionis novum vindicem *in Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ vindicato & illustrato*.

Quo-

Quocirca Patres Episcoporum munus sacrum Imperium vocarunt. Sic Origenes & Gregorius Nazianzenus. Ille quidem *Hom.* XI. in Jerem pag. 114. edition. Colon. MDCLXXXV. Ὁ δὲ τὴν πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν, ἐπ' πᾶσιν ἀπαιτεῖται, *Episcopus, qui universæ Ecclesiæ Principatum obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem*: Hic vero Orat. I. prætexturam suam dixit ἀρχὴν, τὴν ἐν νόμῳ θείῳ, καὶ πρὸς θεὸν ἄγουσαν, ἧς ὅσον τὸ ὕψος, καὶ τὸ ἀξίωμα, τοσοῦτος καὶ ὁ κίνδυνος τῷ γε νοῦν ἔχοντι, *Imperium, quod in Lege Divina positum est & ad Deum perducit. Cujus Imperii quanta est sublimitas & dignitas, tantum etiam periculum est, prudenti utique homini, & cordato*. Ad eos Isidorus Pelusiota *lib.* III. *epistola* 127. cum iis, qui sacerdotium petebant, hoc expostulavit, quod *peterent*, ἀρχὴν εἶναι ἀνεξέταστον *illud Imperium esse ab omni censura liberum*: Et *epistola* 216., in qua de Principatu Episcoporum edisserit, οὐ γὰρ πάντων, inquit, τὸ δύνασθαι τῆς ταύτης ἀρχῆς ἀντιλαβέσθαι ἥ τις καὶ βασιλείας ἐστὶν ὑψηλοτέρα, *Non est omnium hujusmodi Imperium capessere, quod Regno quoque augustius est*. Eam ob rem Episcopi appellantur Rectores & Principes Ecclesiæ. Apud Eusebium *Hist. Eccles. lib.* VI. *cap.* XXVIII. Maximinus τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας μόνους .... ἀναιρεῖσθαι προστάττει *solos Ecclesiarum Antistites & Principes interfici imperavit*: Idem *lib.* VIII. *cap.* II. τότε δὴ οὖν τότε πλεῖστοι μὲν ὅσοι μὲν ἐκκλησιῶν ἄρχοντες κ. λ. *Tum vero quamplurimi Ecclesiarum Rectores & Principes gravissima supplicia alacri animo perpessi illustrium certaminum spectacula exhibuerant.* Et Chrysostomus *de Sacerdotio lib.* III. *cap.* XIV., πέφυκε γὰρ ὡς τὰ πολλά. τὸ τῶν ἀρχομένων πλῆθος, ὥσπερ εἰς ἀρχέτυπόν τινα εἰκόνα τοὺς τῶν ἀρχόντων τρόπους ὁρᾶν, καὶ πρὸς ἐκείνους ἐξομοιοῦν ἑαυτούς, *Sic natura comparatum esse videmus, ut subditorum multitudo magna quidem ex parte Principum suorum mores tanquam imaginem spectent seque ad illos componere studeant*. Nanque intelligit doctissimus Pater sacros Pastores atque horum auditores, quod Gaspar Suicerus *Thesaur.* pag. 540. satis evincit. Itaque apud ceteros græcos Pastores Episcopi dicuntur, προεστῶτες *Antistites*, πρόεδροι *Præsides*, ἔφοροι *Inspectores*, & apud latinos Populorum *Principes*, *Præpositi*, *Præsidentes*, *Principes* Sacerdotum, & Pontifices Maximi, de quibus elogiis *Originum Ecclesiastic. lib.* II. *cap.* II. Josephus Binghamus.

VII. Nunc dispiciamus quæ Grotius disputavit de Ecclesiis. Sic enim is existimavit, Universitati, quæ Christianæ Religionis caussa sociata est, potestatem inesse constituendi ordinis sciscendæque disciplinæ in sacris, non quidem ex Divina lege, sed eo jure, quod singulis hominum communitatibus est tribuendum. In hac Grotii oratione duplex inesse sententia potest. Etenim aut ille Ecclesias intellexit Christianas societates, quæ non modo Populum, sed Episcopos hoc est Præsides suos contineat; aut significavit ipsos Christianorum Conventus, quin ulla Pastorum ratio habeatur. Ac si Ecclesiæ ex primo significatu accipiantur, illæ quidem jubere omnia possunt, quæ ad Religionis incolumitatem pertinent, legesque de sacris condere, quibus Christiani omnes coguntur dicto esse audientes. Quæ quidem auctoritas in Ecclesiis hæret ex illo sacro principatu, qui a Deo Episcopis iisdemque Pastoribus datus est, de quo paulo ante disseruimus. Sin Ecclesiæ nomine solus Christianus Populus comprehendatur, penes eum quidem nulla regendi potestas residere potest. Nanque de Ecclesia judicandum est non ex eo jure quod quælibet hominum societas sibi adscribit, sed ex eo statu, quo illam contineri Deus jussit in novi Foederis tabulis. Deus autem, antequam Christianus ullus Populus esset, Præsides creaverat, quos ei daret, iisque sacram omnem præfecturam commiserat: quod quidem in alia *exercitatione* paucis disputabitur. Neque enim in duobus exemplis, quæ a Grotio expromuntur, ullum momentum est cur aliqua Christiano Populo sacræ jurisdictionis pars deferatur. Primum exemplum affertur ex cultu, quem diei Dominicæ haberi Christianum populum referentibus Apostolis jussisse ille existimavit. At eam legem potius communi multitudinis consensione, quam ab Apostolis solis sacrorum omnium moderatoribus fuisse rogatam

tam quibus argumentis probari potest? Etenim ex actis & epistolis Apostolicis, quas Grotius se recepit, hoc dumtaxat efficitur, statum fuisse diem aliquem, eumque Dominicum, in quo sacra factitari & conventus agi possent, id quod Franciscus Turretinus *in Inst. Theol. elenct. part.* II. *loc.* XI. *de lege Dei quæst.* XIV. & Binghamus *in Orig. Eccl. lib.* XX. *cap.* II. persequuntur. Alterum exemplum ducitur a creatione Diaconorum, quam a Christiano Populo fuisse peractam obiicitur. Sed eo in negotio lex lata de constituendis Diaconis disjungenda est a populari suffragio, quo illi delecti fuere. Legis conditores sunt Apostoli. Multitudo autem ex lege novos Ministros renuntiavit, quos ad sacrum munus Apostoli admoverunt. Hæc leguntur in Apostolicis actis *cap.* VI., *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt, non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis. Considerate ergo Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus*. Habemus igitur, omnem regendi potestatem ad Apostolos pertinuisse, quamquam Populus ad creandos ministros & ad dandum iis testimonium vocaretur.

AD

AD
CAPUT V.
EXERCITATIO CRITICA.

I. Brevi colliguntur omnia, quæ Grotius disseruit in hoc capite.
II. Judicium de sacris tribuendum Principibus non est, quod multis effectum est in prolusione.
III. Refelluntur cætera, quibus Grotius hoc argumentum exornaverat: Disputatur de Divinis Tabulis, quibus eam offusam esse obscuritatem ostenditur, ut facile intelligi non possint.
IV. Solvuntur ea, quæ ad earundem declarandam perspicuitatem promuntur.
V. Summæ audaciæ est, Ethnicis Potestatibus judicium adscribere de Christianis sacris, quod Catholicis Principibus non convenire satis constat. Attamen diversitas Religionis caussæ esse non potest, cur Principum Imperium detrectetur, quod Divinorum Scriptorum & veterum Patrum sententiis probatur.
VI. Rejiciuntur singula, quibus Grotius perficere enititur, potestatem judicandi de sacris in ipso Principatu inesse, eamque ob rem ad Principes cujusvis Religionis pertinere. Ea omnia novem argumentis continentur, quæ ordine explicantur.
VII. Exponitur locus, qui est in Prima ad Cor. XIV. 32.

I. INvadit Grotius in arcem caussæ, pro qua viris & equis, ut ajunt, decertavit. Nanque cum Imperium Principum in sacris exponere, idque vindicare studuisset contra Gomaristas & Catholicos, deinceps agit de potestate judicandi, quam iisdem adscribit in Religionis quæstionibus. Constituit igitur duplex judicium, alterum, quod suadendi & declarandi, alterum vero, quod cogendi & imperandi vim habet. Postremum hoc Principibus tribuit in sacris. Nam duas affert rationes, quod nimirum id judicium in summo eorundem Principatu insit, qui ad Religionem perinde atque ad Rempublicam gubernandam datus est, & quod veteres Imperatores & potissimum Constantinus, Marcianus & Justinianus de Divinarum rerum controversiis judicarunt. Id cum dixisset, omnia expedire pergit, quæ contra sententiam facere suam putat. Nanque primum sibimet obvertit, Principes falli posse in ferendo de sacris judicio, quod ita diluit, ut affirmet, publicam Religionem ea de causa ab eorum Imperio non esse liberam: Si contra res esset, universis judiciis, quæ feruntur de civilibus rebus, omnem auctoritatem esse adimendam: Nanque ea cum ab hominibus reddantur, erroris vacua ecquis existimet? Deinde illud, quasi partibus suis contrarium adjungit, judicium Religionis aut Christo summo Judici, aut Sacræ Scripturæ, aut denique Pastoribus adscribi. Ita Grotius, qui respondet quidem, Christum esse summum Moderatorem & Judicem rerum, quæ ad Religionem respiciunt, sed nihilosecius oportere, ut ejus judicium ad Ecclesiam perferatur per humanum judicium, quod in constituendis privatis sacris ab unoquoque Christiano, in publicis vero a Regibus, aut ab aliis Civitati præfectis expromendum est. Cumque Sacram Scripturam potius judicandi esse legem, quam Judicem dixisset, ad Pastores venit, quos ab Ecclesiis sive Christianis cœtibus seponit. Utrisque tamen judicium vindicat de Religionis negotiis, hujusmodi nimirum, quod non cogendi & imperandi potestate, sed suadendi auctoritate valet, quale est Philosophorum præceptum de morum officiis: ex quo efficit, solos esse summos Magistratus, ad quos tale judicium de publicis sacris pertineat, cujus vi cives crimini obligentur, nisi libenter pareant.

Jam-

Jamvero de virtutibus edisserit, quæ ad recte judicandum maxime requiruntur, quas quidem esse sapientiam & pietatem docet. Atque eam sapientiam intelligit, quæ mediocri rerum Divinarum cognitione continetur, ita ut Principes animum imbuere suum debeant, non omnibus iis, quæ Theologi tractant, sed iis solum, quæ Religionis summam complectuntur: id quod Apostolus *ad Rom.* XII. 3. *φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, sapere ad sobrietatem* appellat. Hinc porro affirmat, ad hujusmodi qualemcumque scientiam, eos facile perventuros, quamquam in multis & maximis muneribus versentur, potissimum quod Ecclesia assiduas apud Deum preces more majorum fundit, ut bonam iisdem sapientemque mentem impetrare possit. Deus enimvero præsto est iis, quos Reipublicæ præfecit: Reges Hebræos ad Divinas disciplinas quasi instituit, & sæpe in Prophetas cooptavit. At sancito per Christum novo Fœdere officiorum leges & universas Religionis partes tanta cum perspicuitate jussit atque evulgavit, ut eas, cum singuli cives ex sacris libris facile teneant, eo magis Principes plane intelligere valeant sine ullo interprete & auctore. Aperta enim est sacrorum librorum oratio omnibus, qui eos animo discendi cupido perlegunt. Ob eam facilitatem Theodosius Deum rite apprecatus inter plures dissidentium Christianorum sectas orthodoxam sententiam protulit eamque lege rogavit, & Justinianus tale Fidei decretum concepit atque edidit, quale nullusdum veterum aut Doctor aut Episcopus, teste Contio, antea scripserat. Sic Grotius de Principum sapientia. Sed ad eam in iisdem expetit pietatem, excellentissimam unam omnium virtutem; contra quam duo maxima faciunt vitia, impietas & superstitio. Itaque concludit, summos illos Magistratus, qui de rebus Religionis consultant & judicant, ab iis vitiis liberos esse debere: haud enim facile animos verum providere, ubi illa officiunt.

His expositis Grotius quærit, an Principes, qui nec sapientia, nec pietate præditi sunt, de publicis sacris deliberare & judicare possint: quam quæstionem sic explicat: Disjungit ea, quæ summi Reipublicæ Præfecti bene agunt, ab iis, quæ jure gerunt. Hoc cum illustrasset exemplis, tum docet, eos, qui illas præcipuas virtutes sibi habent, bene Religionem administrare & recta judicia perferre: sed vero, qui his carent, quamquam non recte, tamen jure ad Religionis gubernacula accedere & de ea legitime decernere. Itaque judicia, quæ pii & sapientes Principes promunt de Religione, recta & rata existimat, sed quæ feruntur ab iis, qui nefarii & rerum Divinarum ignari sunt, solum legitima esse ducit, hunc in sensum, ut, si ea consentiant cum Divino jure, omnes cives parere debeant, sin eadem ab eodem discrepent, cives obtemperare non cogantur, sed vi & armis obsistere non possint. Nanque sic habet, universæ Religionis administrationem & potestatem judicandi de sacris ad Principes pertinere non ob eas virtutes, quibus valent, sed Imperii jure. Hinc efficit, Ethnicos Magistratus propter impietatem, in qua versantur, publici Divini cultus non desinere esse Judices, nec potestatem amittere constituendæ in Civitate Religionis. Id enim convenire putat: ex quo illud sequi eo magis affirmat, Catechumenos Principes idem Imperium sibi adscribere, ut publica sacra gubernent, & de iis censeant, legesque scribant exemplo Constantini Magni & Valentiniani. Ad extremum Grotius cum edisseruisset de verbis Apostolicis 1. Cor. XIV. 32., ex quibus adversarii solis Pastoribus Religionis judicium tribuebant, & contendisset, ea fere omnia, quæ Hebræorum Reges de Religione jusserunt, tanquam politicos Moderatores, non tanquam Prophetas gessisse, huic capiti finem facit.

II. Nobis vero, quod caput est hujus loci, quem Grotius tractat, attingere in animo non est. Totus enim satis explicatus est in Prolusione, in qua effecimus, amplissimum Pastorum ordinem esse publicæ & privatæ Religionis Doctorem, Moderatorem & Judicem, idque non modo ex ea regiminis temperatione, quam Christus ad regendam Ecclesiam instituit, sed etiam ex Patrum Conciliorumque sententiis, atque apertis ipsorum Imperatorum testimoniis: ad hoc omnia facile explosa fuere, quæ Gro-

Grotius ad hujusmodi potestatem Pastoribus detrahendam & summis Magistratibus adjungendam attulerat in omnibus libris, quos admonitu & rogatu Arminianorum pro Hollandiæ Proceribus conscripsit. Atque ex illis, quæ dicta sunt, perspicuum est Orthodoxos Reipublicæ Dominos id sibi non habere, ut de Religione deliberare & censere possint.

III. Nunc reliqua persequamur oportet, quæ Grotius fundit in eo exornando argumento. In iis primum illud est, sacrum utriusque Fœderis codicem tam apertum esse & tam facilem ad intelligendum, ut quivis ex eo percipere summam Religionis possit sine ullo interprete. Loquitur Grotius in Calvinianorum atque Arminianorum sententiam, qui in explicandis sacris libris orationem a rebus seponunt, & rerum alias tanquam præcipuas ad salutem, alias vero tanquam utiles & minoris momenti existimant. Cumque hæc illi disjunxissent, tum affirmant, in oratione quidem & verbis aliquam inesse obscuritatem, quam Græcarum & Hebraicarum litterarum præsidio viri docti facile sustulerunt, sed rebus præcipuis, quibus scilicet Religionis universa ratio continetur, maximam esse aspersam perspicuitatem, quæ in cæteris desideratur. Eam ob rem paucis dicamus necesse est, quod Catholici omnes sentiunt, sacræ Scripturæ talem esse offusam obscuritatem, ut ne præcipua quidem dogmata recte intelligi possint, nisi Ecclesia sive amplissimus Pastorum cætus, quem Ecclesiæ doctorem Christus creavit, ea enucleaverit, & auctoritate jusserit. Videamus quid Divini ipsi scriptores de sacris libris judicarunt. Beatissimus Propheta David ad intelligendos veteris Fœderis libros Deum sic adprecatus est *Psal.* CXIX. 34 *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*, & *comm.* 18. dixerat, *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. Receptum quidem erat in more majorum, ut, cum illi quidvis agendum susciperent, Divinam opem implorarent: hanc David iis verbis expetivit, quæ rem ipsam, ad quam aggrediebatur, negotii plenam significant. Lucas prodit, Apostolos, eos ipsos, quibuscum diu Christus diversatus erat, in evolvendis scripturis non tenuisse, quid Prophetæ portenderant. Nanque sic dicit *cap.* XXIV. *com.* 45 Τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν, τοῦ συνιέναι τὰς γραφὰς, *Tum aperuit illis* (Apostolis) *sensum ut intelligerent Scripturas*. Ad hos Eunuchus Reginæ Candaces, cum Scripturas legeret, rogatus est a Philippo *Act.* VIII. 30. ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; *intelligis ne, quæ legis?* is respondit, Πῶς γὰρ ἂν δυναίμην, ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ με, *quomodo possim, nisi quis ostenderit mihi*. Denique Petrus Apostolorum princeps nos docet, quid de perspicuitate librorum, quibus continetur novum Fœdus, sentiendum sit. Etenim, cum *epist.* 2. *cap.* 16. paulinas epistolas memorasset, *in iis affirmat, esse quædam intellectu difficilia*, ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφὰς, πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, *quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem*. Atque sermo erat de præcipuis Religionis rebus, de quibus Paulus in epistolis suis mentionem injecerat. Nanque qui eas detorquere studebant, iidem exitium sibi suum consciscebant. Quæ cum allata sint, plane ex ipsis sacrorum scriptorum testimoniis efficitur, Scripturas esse obscuras quod libere Grotius abnuit.

Accedit, quod doctrina Divinarum rerum in scripturis ita expressa sit, ut eam quisque aliorsum accipere possit, atque valet, & in sensus orthodoxæ Fidei contrarios convertere. Utamur exemplo, quod in fundamento Religionis versatur. Nihil enimvero tam apertum est, cum Joannis evangelium evolvere incipimus, & quæ dicuntur de Christo, perpendimus, quam Logon eundemque verum Deum factum esse hominem, ita ut Divina & humana natura inessent in una Persona, quæ ob id ipsum Θεάνθρωπος *homo simul & Deus* recte appellatur. At quot de significatu τοῦ λόγου certamina, quot dissensiones? Ariani crediderunt, eum Logon ante conditum mundum ex nihilo extitisse, quem veluti administrum quendam Deus adhiberet, cum rerum hanc universitatem molitus est. Semiariani docuerunt, Patri Deo in natura esse simi-

lem, sed ex Patre esse genitum negarunt. Sabellius existimavit, eundem esse natura & Persona atque Patrem & Spiritum Sanctum. Plane Theodoretus *Her. Fab.* lib. 2. cap. 9. *Σαβέλλιος μίαν ὑπόστασιν ἔφησεν εἶναι, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ ἓν τριώνυμον πρόσωπον*, *Sabellius unam hypostasin esse dixit Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, & unam trinominem personam*. Paulus Samosatenus, Photinus atque Artemas de Logo tanquam mero homine senserunt. Hos sequuti sunt Sociniani, inter quos Artemonius sive Samuel Crellius evulgavit *initium Evangelii Sancti Joannis Apostoli ex antiquitate ecclesiastica restitutum, itidemque nova ratione illustratum.* Ad hoc quam diversa interpretamenta circumferuntur illorum verborum, *Καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*, *Verbum caro factum est*? Sociniani sic habent, verbum *γίνεσθαι* valere idem ipsum, quod *esse* & *existere*, eamque ob rem Apostolica verba explicant in hunc sensum, *Logos caro existebat*? Nestoriani ita accipiunt, quasi Apostolus dixisset, Deum in homine habitasse. Nanque eorum princeps auctor Nestorius Christum vocavit, *οὐχὶ θεὸν ἀληθῶς, ἄνθρωπον δὲ θεῷ συνημμένον, ὡς ἐν ἰσότητι τῆς ἀξίας*, *non reipsa Deum, sed hominem potius cum Deo tanquam dignitatis æqualitate conjunctum*, quod prodit Cyrillus *lib.* 2. *contra Nestorium tom.* 6. Contra Eutyches contendit, Logon ita hominem esse factum, ut tamen post conjunctionem in eo humana natura absumpta sit. Sic ille in Actis concilii Calchedonensis *Act* 1. *ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως: μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ*, *Profiteor ex duabus naturis esse Dominum nostrum ante conjunctionem: post conjunctionem vero unam naturam profiteor*. Quid plura percurramus? In eadem fortuna sunt omnes sacrorum scriptorum periochæ, si in iis aliquod dogma explicatum sit, de quo contra hæretici sentiant, atque catholicum universum nomen credit. Discrepantes vero hujusmodi sententiæ non in verbis, sed in rebus iisque præcipuis positæ sunt. Hæc qui intelligit, prorsus profiteatur necesse est, maximam in utriusque Fœderis tabulis hærere obscuritatem, quæ tollenda sit a Divino in Ecclesia interprete.

Atque omnes Patres ita docent. Inter eos Augustinus hæc tradit in *epist.* III. nunc CXXVII. ad Volusianum, *Tanta non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummaverit homo, tunc incipit*. Quin & in 2. *de doctrina Christiana* cap. 6., *Multis*, inquit, *& multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur, non inveniunt, ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum esse divinitus non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt*. Idem denique in *Præf. ad Psal.* CXL. scribit, *Sunt in Scripturis Sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc abscondantur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant*.

Neque enim supervacaneum est ipsos Hæreticorum Principes afferre, qui non facile esse negotium dixerunt, quod in explicandis Divinis oraculis suscipiendum sit. Lutherus *Præf. in Psal.* dixit, *Impudentissimæ esse temeritatis eum, qui audeat profiteri unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum*. Idem, cum e vita decessurus erat, pronunciasse ab historicis sui temporis fertur, *Virgilium in Bucolicis non posse intelligi, nisi ab eo, qui fuerit quinque annis Pastor, Ciceronem in Epistolis non teneri, nisi ab eo, qui viginti annis versatus sit in aliqua Republica insigni, ita Scripturas Sanctas neminem degustare, nisi centum annis cum Elia, Elisæo, Joanne Baptista & cum Christo & Apostolis Ecclesiam gubernarit*. Henricus VIII. Anglicanæ secessionis auctor anno 1540. lege cavit, ne quivis de populo civis ad explicandas Scripturas accederet, quod ea sacris Ministris credita esset provincia, de quo Bossuetius *in Hist. Variat. lib.* VIII. *num.* 64. Aperte Witakerus *q.* 5. *cap.* 1., *Concedimus*, inquit, *multa loca obscura esse, & Scripturas egere explicatione & ob hanc caussam Ministros Dei audiendos esse & Scripturæ*

peri-

peritissimos esse consulendos. Ad eos Zuinglius *in lib. 7. de Bapt.* perficit contra Anabaptistas non ad singulos, sed ad Ecclesiam pertinere, ut sacros libros interpretetur. At Zuinglio cæteri hæretici concinentes consulantur apud Belarminum *in lib.* III. *cap.* I.

IV. Jamvero pauca Grotius disputavit, quibus perspicuitatem utriusque Fœderis tabulis adjungeret. Objecit Apostolicum illud *epist. ad Rom.* x. 8., *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo: hoc est verbum Fidei, quod prædicamus*. Nam ex his verbis confecit, sacras omnes disciplinas, aut certe quæ in iis traduntur præcipua dogmata, ab omnibus facile intelligi & potissimum ab iis, qui Reipublicæ præsunt. Hactenus Grotius, qui non animadvertit, Apostolum respicere ad Mosaicam illam orationem, quæ legitur *in Deut.* xxx. 12., *Auscultabis voci Jehovæ Dei tui*, (Hebraica reddimus) *ita ut observes præcepta ejus & instituta scripta in libro hujusce legis: nam reversus fueris ad Jehovam Deum tuum, toto animo & tota mente: neque enim præceptum, quod tibi hodie edo, est tibi ignotum, neque procul petendum. Non est in Cœlo, ut dicas, quis nobis adscendet in Cœlum, ut illud nobis accipiat & audientibus referat, idque faciemus. Etenim proxima hæc tibi sunt in ore tuo atque in animo tuo, ut id facias.* Sermo Moysi erat non de intelligenda sententia legum, quas tulerat, sed de implendis officiis, quæ ex illis erant facienda. Id sonant verba, *ut observes præcepta ejus & instituta scripta in libro hujusce legis*. Atque hæc alia, *Neque enim præceptum, quod tibi hodie edo, est tibi ignotum, neque procul petendum*, ad eam facilitatem significandam spectant, quæ omnibus est in Divinis servandis legibus. Hebræa vox, quæ sonat *ignotum*, ab Interpretibus Septuaginta Græce convertitur ὑπέρογκος *difficilis* & alibi ἀδύνατος. Quinimo verbis iis, *in ore tuo atque in animo tuo*, iidem Interpretes addunt καὶ ἐν χειρί *in manu tua*. Quæ autem in manu sunt, factu sunt facilia. Hoc igitur, quod de Legibus Hebræorum pronunciatur, ad evangelicam Religionem magis pertinere Apostolus docuit, cum Romanis Mosaicæ illius orationis mentionem injecit, *Prope est verbum in ore tuo & in corde tuo*. Quasi is dicebat, nihil esse in evangelicis institutis, quod difficile sit aut fieri non possit: quæ sane Catholicis non obsunt, qui sacras Tabulas egere interprete eodemque cognitore constituunt. Jamvero de cæteris disputare necesse non est, quæ caussæ suæ favere Grotius existimavit. Quod enim omnes homines *a Deo edocti* dicantur idque ex voto Moysis, qui universos cives exoptaverat esse Prophetas, & quod Apostolus pronunciaverit, Deum velle omnes & præsertim Principes *ad agnitionem veritatis venire*, propterea tamen affirmari non potest, sacras tabulas ea perspicuitate esse perfusas, ut sine interprete plane explicari possint. Nam quum Deus sacros Pastores eosdemque Doctores creaverit, ipse per eos videtur Populum ad pietatem instituere, & Religionis veritate imbuere. De Imperatoribus autem Theodosio & Justiniano quorum exempla opponuntur a Grotio, iam disseruimus *in Prolusione*.

V. Accedamus ad alterum, quod Grotius confidenter in hoc capite fundit, cognitionem de publicis sacris ita ad Principatum pertinere, ut etiam ethnici Magistratus de iis judicare atque edicere possint. Hoc argumentum ille persequitur sine ulla partitione, quæ tamen negligi non poterat. Nanque aut illud quæritur, an Principes, qui orthodoxi non sunt, de rebus, quæ ad Christianam Religionem spectant, publicum expromere judicium valeant, aut hoc alterum, an iidem principatum, qui conditus est ad publicam Civitatis tranquillitatem, in eos omnes sibi tribuant, qui ab eorum Religione discrepant. Quod primum est, nec pluribus, nec paucis porro dici a nobis oportet. Si enim Orthodoxis Imperatoribus ea non sit potestas, ut cognitionibus de de Religione præsint, profecto sequitur, hujusmodi jurisdictione eo magis carere illos politicos Rectores, qui ad Ecclesiam nondum accesserunt, & aut impietatem aut superstitionem asciverunt. Differamus igitur de eo, quod postremum est. Atque non modo ex Divina lege, sed ex veteris sanctissimæque Ecclesiæ institutis pronuntiandum

 est,

est, Religionis diversitatem esse caussæ non posse, quam ob rem cives Principum suorum Imperium detrectent, atque iisdem non pareant. Non desinunt enim Imperium justum habere qui in Religione dissentiunt ab iis, quibus imperant. Sanctissimus humani generis Servator Christus apud *Lucam cap.* XXII. *com.* XXV. cum Apostolos avocaret ab omni politico dominatu sibi arripiendo, dicit, *Οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν*, *Reges Gentium dominantur iis*, & si verbum ex verbo Latine convertere velimus, *Reges Gentium Domini sunt iis*: Nanque *κυριεύειν* idem sonat, atque *Dominum esse*, cui contra respondet *δουλεύειν deservire*; Quod sane eo pertinet, ut intelligamus, Reges & politicos moderatores, qui tum temporis Respublicas gerebant, quamvis ethnica sacra colerent, tamen Christi testimonio legitimos esse Dominos, quibus mos a Populis esset gerendus. Explicant Apostoli, quid Christus de Regibus ethnicis sensisset. Petrus Apostolicæ coronæ princeps in *catholica epistola* jussit, omnes Judæos, qui in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia lares posuerant, universis earum provinciarum magistratibus obtemperare. Nanque eos sui officii commonefecit, ut parerent *πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ κτίσει cuilibet humanæ potestati*, quam idem ipse intelligit tam de Rege, quam de Præsidibus, qui ab eo ad regendas Regni provincias mittebantur. Sic enim dicit, *Ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει διὰ τὸν κύριον· εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις εἰς ἐκδίκησιν μὲν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν*, *Proinde subditi estote omni humanæ ordinationi propter Dominum, sive Regi tanquam supereminenti, sive Præsidibus, ut qui per eum mittuntur ad ultionem quidem nocentium, & ad laudem recte agentium*. Atque de quibus Regibus edisseruerit ipse, percipere nobis licet ex iis regionibus, in quibus Judæi diversabantur. Parebant aliæ Neroni non modo impio, sed tyranno omnium, quotquot unquam fuerint, immanissimo, aliæ Parthico Regi, aliæ aliis Dominis, quorum nemo ad veram Religionem animum adjecerat. Hos igitur tanquam legitimos Rectores Petrus existimavit, quibus Judæi honorem habere, atque obedire deberent in iis, quæ Divinis consentientia legibus essent sancita.

Ad hoc Apostolus, cum ex Corintho nobilissimam omnium epistolam ad Romanos mitteret, hos monuit, ut Imperatoribus & Magistratibus, quos iidem Reipublicæ præfecissent, libenter subessent eorumque jussis auscultarent. Respexit ille ad eas seditiones quas paulo post id tempus non modo Judæi, sed Romani sub Vindice, Galba, Othone, & Vitellio fecerunt. Nanque diu illi animos ad factiones & bella civilia inclinaverant, quod adparet non modo ex Fl. Josepho, sed ex iis, quæ Latini scriptores de conspirationibus in Julium Cæsarem & Cajum produnt. Itaque *cap.* XIII. Romanos sic affatus est, *Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω*, *omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*. Attulit autem caussam, cur iis parendum sit, *Οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία εἰ μὴ ὑπὸ Θεοῦ. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσι*, *Non est enim potestas, nisi a Deo, quæ autem nunc existunt, a Deo ordinatæ sunt*. Hæc scilicet, quivis ut intelligat, ethnicos Imperatores, de quibus Apostolus loquitur, Deum habere Imperii auctorem sui, iisque obtemperari oportere. Pergit enim, *Ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν*, *itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*: Additque, *Διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι*, *ideo necessario obedite*, *οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν non solum propter iram*, sive non solum formidine pœnæ, quam leges sanciunt, sed *διὰ τὴν συνείδησιν propter conscientiam*, ne nimirum officium deseratis, & crimini animos obligetis.

Atque hoc præceptum sæpe Apostolus rogavit in aliis epistolis. In ea, quam ad *Titum* scripsit *cap.* III. v. I., ab ipso flagitavit, ut auditores suos de colendis Regibus & Magistratibus tanquam Dominis suis commonefaceret. Et in prima ad *Timotheum cap.* II. ad Deum adhiberi preces voluit, *pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & doctrina*. At quosnam hos Principes dicemus, quibus pareri, & pro quibus Divinam implorari opem Apostolus

stolus jussit ? An probos & pios ? An potius eos , quos summa tenebat superstitio ? Hos quidem intelligit , qui Ethnico orbi præerant , Gentiumque sacra sibi habebant . Hæc cum Divini Scriptores satis dixissent , plane nos docent , colendum a Civibus Imperium , etiamsi qui illud administrant , orthodoxam Religionem nunquam adscivissent , aut ab ea defecissent.

Videamus quid vetus Ecclesia de Imperatoribus ethnicis senserit. Justinus martyr *in Apologia pro Christianis*, ita Cæsares alloquitur , qui , cum in superstitione versarentur , Christianos innocentes publicis suppliciis afficiebant, *Θεὸν μόνον προσκυνοῦμεν , ὑμῖν δὲ πρὸς δὲ τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν , βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες , καὶ εὐχόμενοι μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας ὑμᾶς εὑρεθῆναι* , *Deum solum adoramus , vobis vero ad cetera omnia libenter & hilari animo inservimus , Reges vos ac Principes generis humani esse fatentes , etiam orantes ut cum regia potestate moderatum animum & temperantem geratis* . Athenagoras alter Christianus Philosophus , in apologia , quam Marco Antonino , & Filio ejus Commodo inscripsit , perspicuis verbis docet , eos Deo auctore Reipublicæ gubernacula suscepisse, & uti omnia in eorum potestate & manu sunt posita , ita Deo & Filio ejus Christo omnia esse subjecta , *Ὡς γὰρ ὑμῖν πατρὶ καὶ υἱῷ πάντα κεχείρωται ἄνωθεν τὴν βασιλείαν εἰληφόσι, βασιλέως γὰρ ψυχὴ ἐν χειρὶ Θεοῦ φησὶ τὸ προφητικὸν πνεῦμα, οὕτως ἑνὶ τῷ Θεῷ καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ λόγῳ υἱῷ νοουμένῳ ἀμερίστῳ πάντα ὑποτέτακται*, *Ut enim Vobis Patri natoque omnia subsunt , de Cœlo Imperium consequutis , nam anima Regis in manu Dei est secundum spiritum propheticum , ita uni Deo & Verbo ejus Filio menti inseparabili omnia sunt subjecta* . Ad eos Tertullianus in Apologetico , *Nos judicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui Gentibus illos præfecit:* idem ad Scapulam, *Christianus nullius hostis est, nedum Imperatoris , quem sciens a Deo suo constitui , necesse est ut & ipsum diligat & revereatur & honoret & salvum velit* . Ille vero loquitur de Imperatoribus Christiani nominis hostibus . Nanque scripsit *adversus Gentes Apologeticum* ad Proconsulem Africæ & Præsides Provinciarum post Albinum a Severo A. C. 197. devictum , cum Christiani plurimo suppliciorum genere afficiebantur , quod ostendit Jo: Laurentius Mosheim , *in Disquisitione chronologico-critica de vera ætate Tertullianei apologetici* . Alter vero Liber scriptus est ad Scapulam Proconsulem sævientem in Africanos Christianos post mortem Severi , & fortasse Caracallæ . Id enim coniiciunt Scaliger ad Eusebium & Lucas Holstenius *in not ad Acta SS. Perpetuæ & Felicitatis* . Quod Tertullianus, hoc ipsum sentit Irenæus *contr. Gent.* , *cujus jussu* , inquit , *homines nascuntur , hujus jussu & Reges constituuntur* . Hinc auctor *Constitutionum* , quæ Clementis nomine circumferuntur , *Τὸν βασιλέα φοβηθήσῃ , εἰδὼς ὅτι τοῦ Κυρίου ἐστὶν ἡ χειροτονία* , *Regem time , sciens a Domino esse renunciatum* . Vetus igitur Ecclesia Cæsares aliosque Principes, in quorum Imperio erat, impios quidem & tyrannos , quasi Dominos suos & Rectores coluit , nec unquam recusavit , quominus iis pareret , nisi forte ea sciscerentur , quæ Divinis jussis essent contraria . Hæc illius fuere sanctissima instituta , a quibus quam licenter & audacter juniorum scriptorum chorus ille descivit, qui docuerunt , iis Regibus , quos in Religione discrepantes ab Ecclesia , aut Tyrannos existimant , nullam cives Sacramenti fidem habere obstrictam . Quid enim agas cum his perfrictæ frontis hominibus , quos quidem ab omni humani generis societate exterminari necesse est ? Missos scilicet illos facimus . Satis enim de argumento , quod in manibus est , disputavimus , & pluribus persequuti sunt Samuel Petitus *in Diatriba de jure , Principum edictis , Ecclesiæ quæsito , nec armis adversus temerantes aut antiquantes vindicato* , & D. Christianus Kortholtus *in Obtrectatore pagano* .

VI. Jamvero ad Grotium redeamus , qui pluribus pugnat Principes sive pios & probos , sive impios & nefarios Reipublicæ eo cum Imperio præesse , ut de sacris Christianæ Civitatis decernere possint . Hanc sententiam primum concludit ab exemplis Regum Pharaonis , Nabuchodonosoris , Cyri & Ptolomæi , qui , Gentium licet superstitionem seque-

sequerentur, tamen de sacris Hebræorum judicium tulerunt. Verum hujusmodi exempla eo non pertinent, quo valere Grotius putavit. Concedamus enim (id quod dari nullo modo potest): Ethnicos Reges, qui Hebræorum Rempublicam Imperio suo adjunxerunt, inter eos publicum cultum jure administrasse. At nihilosecius non sequitur, impios illos Imperatores qui tribus prioribus sæculis Orbi præfuerunt, Christianæ Religionis capessere gubernacula potuisse. Nanque ex iis, quæ uberrime disputavimus in *Prolusione*, perspicuum est, summis Magistratibus non eandem esse potestatem in gerendis sacris ex evangelicis legibus, atque ex illis, quas Moses rogavit. Igitur pergamus ad cætera, quæ Grotius pertexit.

Obvertit 1. ille Petrum & Joannem *Act.* IV. existimasse, in Hebræis magistratibus eam resedisse auctoritatem, ut de præcipuo Christiano dogmate judicarent. Hoc, quidquid est, facile diluitur. Vocantur, imo rapiuntur in Synedrium Petrus & Joannes, quod tot miracula ederent, eoque tempore ægrum hominem sanassent. Interrogantur, qua virtute, quove nomine (ἐν ποίᾳ δυνάμει ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι) id peregissent. Petrus, si id interrogemur, inquit, quod de infirmo homine optime meruimus, planum vobis facimus, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν, ἐν τούτῳ οὗτος παρέστηκεν ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιής, *In nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos Cruci adfixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in eo istum incolumen coram vobis adstare*. Hinc Grotius colligit, Petrum synedrium habuisse loco Judicis, cui ipse pareret. Quid ni? Nanque Petrus suspicionem injecerat, quasi magicis artibus miraculum illud protulisset, quæ res ad Synedrium pertinebat: ex quo is rogatus eo crimine se liberavit, nec forum excepit. Hactenus enim Hebræis Magistratibus sese subjecit in rebus quæ ad publicam tranquillitatem faciebant. Cumque porro, re deliberata, esset sancitum, ne Apostoli in nomine Christi docerent, Petrus respondit, Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ Θεοῦ, κρίνατε, *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate*. Ex quibus verbis Grotius effecit, Petrum ad Synedrium provocasse, ut decerneret de controversia, an Jesus esset Messias. At contra se gessit Apostolici Senatus princeps. Is reipsa declaravit, Deo potius, quam hominibus parendum, id quod inter omnes Hebræos atque ipsos Ethnicos conveniebat. Dixit enim, ab ipso Deo commissam esse sibi provinciam docendæ Religionis, quam Christus jussit, nec posse politicos Magistratus contra mandare, idque si facere ausint, iis impune non obtemperari, tanquam de rebus, quæ in sua non versarentur potestate, jubentibus. Hoc vero ita extulit perinde atque id ipsum ad eorum judicium deferret, *An vobis potius, quam Deo pareamus, ipsi judicate?* Hinc Petrus quin expectaret, quid ipsi judicarent, statim addidit, Οὐ δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν, μὴ λαλεῖν, *Non possumus enim quæ vidimus & audivimus, non loqui*. Igitur perspicuis verbis negavit, in Hebræis magistratibus inesse potestatem, ut de Religione, quam Christus jusserat, publice deliberarent & censerent.

Objicit 2. Paulum Apostolum, cum sisteret in Jure coram Felice & deinde Festo Præsidibus Romanis, sic quidem habuisse, eos esse legitimos Religionis Judices & Cognitores, ita ut nisi in judicando a Divinis legibus discessissent, horum sententiam velut ab iis prolatam existimasset, ad quos id negotium pertinebat. Ita ille mutat quæstionem, quæ in Apostolum instituta est: Ea enimvero erat de publicis criminibus, nec de nova Religione quidem, sed de politico facinore, quod ex ea metui posset: de quo quidem, cum postularetur Paulus, caussam dixit, & Præsides, qui hujusmodi quæstioni præfuerunt, suos Judices & Dominos reputavit. Evolvamus Apostolica acta *cap.* XXIV. Tertullus Sophistes, homo Romanus in Jure Paulum reum egit, tanquam pestem Civitatis, Judæos ad res novas inflammantem, Nazarenorum Principem & Templi contemptorem. Sic enim inscripsit more Romano, Εὑρόντες γὰρ τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμὸν, καὶ κινοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην,

προ-

πρωτοστάτην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι, *Invenimus enim hunc hominem pestiferum & concitantem seditiones omnibus Judeis in universo Orbe, antistitem Nazarenorum & qui templum violare conatus est*. Tria nimirum summa erant crimina, quorum Apostolus arcessitus est, quod Nazarenorum (sive Christianorum) sectæ antistes esset, quod seditiones cieret, & quod, introductis alienigenis, publici Templi majestatem offenderet. Nanque Judæi, quorum nomine Tertullus agebat apud Præsidem, in animum induxerunt, Nazarenos Mosaicis legibus, in quibus niteretur Civitatis salus, derogare, novisque rebus studere : cumque aliquem Nazarenum nosſent, id satis esse crediderunt, ut eum de iis delictis accusarent. Apostolus vero, accepta a Judice loquendi potestate, negavit, ea sibi consciviſſe, de quibus postularetur: confessus quidem est, sese Nazarenis antistitem esse adjunctum, sed statim addidit in ea Religione, quam asciverat, Moysi & Prophetis adhibere fidem perrexisse : igitur eorum, quæ ipsum reum facere possent, insontem esse, nisi forte crimini id ipsum daretur, exploratam sese spem habere, Deum ad vitam omnes, qui occubuerunt, revocaturum. Dixit sese clamitasse in Synedrio, περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι σήμερον ὑφ' ὑμῶν, *hoc die a vobis judicor de resurrectione mortuorum*, quod in eum sensum expressit, ut Præses intelligeret, dogma tale non esse, de quo ipse, aut Judæorum Principes judicarent ; itaque a Felice ampliatus est etiamsi vinculis non liberaretur. Venit iterum in jus, Præside Festo, qui in Felicis locum subrogatus est, & contra Judæos accusatores se ipse magna cum animi alacritate defendit. Nanque libere attulit, Οὔτε εἰς τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων, οὔτε εἰς τὸ ἱερόν, οὔτε εἰς Καίσαρά τι ἥμαρτον, *nec in legem Judæorum, nec in Templum, neque in Cæsarem peccavi* : quibus verbis palam facere studuit, sese, licet ad Christum accessisset, nihil tamen commisisse, quod Judæis officeret, aut Statum commoveret. Cumque porro rogaretur, an Hierosolymis in Synedrio judicium accipere vellet, statim respondit, Ἐπὶ τοῦ βήματος .... με δεῖ κρίνεσθαι .... Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκησα .... οὐδὲν ἄξιον θανάτου τι πέπραχα ..... Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. *In Cæsaris Tribunali oportet me judicari .... Judæis non nocui ... nec dignum morte aliquid feci .... Cæsarem appello*. His prolatis annotatus est, ut Romam remitteretur. Itaque universa quæstio, quæ coram Romanis Præsidibus habita est, non erat Religionis, quod Grotius fingit, sed publicorum criminum, quæ Apostolo ob eam caussam, quod Nazarenorum sectæ adscriptus esset, Judæi objiciebant : ex quo is Cæsarem Neronem in publicis rebus, non vero in sacris Judicem suum & Dominum existimavit.

Contendit 3. Grotius, priscos Patres eo consilio apologeticos libellos ad ethnicos Imperatores conscripsisse, ut Christiana Religio approbaretur & confirmaretur eorum quasi legitimorum Judicum & cognitorum auctoritate & imperio. At quibus argumentis, quove auctore effecit, Patres illud sibi proposuisse aut cogitasse? Confidenter nimirum de ipsorum mente judicavit: Nanque illi in conscribendis apologiis duo studuerunt, alterum, ut Religionis, quam Christus pertulerat, veritatem & sanctitatem ostenderent, alterum vero, ut proderent, leges, quibus Christiani parent, non modo ad sempiternam eorum salutem, sed ad Civitatum incolumitatem, vitamque hominum quietam & beatam esse conditas. Atque utrumque quidem pluribus persequuti sunt, ut Principes, sublata superstitione, Ecclesiæ adjungerentur, aut certe ab afficiendo probris Christianorum populo animum avocarent. Quadratus post Publium Martyrem Atheniensis Episcopus Apostolicorum temporum æqualis Ann. 131. orationem sive potius librum pro Christiana Religione conscripsit, eumque Imperatori Hadriano tradidit ad legendum: per hoc ipsum tempus Aristides, Atheniensis Philosophus alterum pro Christianis Apologeticum eidem Imperatori obtulit. Quid illi Patroni secuti sint, nobis explorate percipere licet ex Hadriani Lege, quam deinde missis ad Minutium Fundanum Asiæ Proconsulem litteris sancivit. Hanc Eusebius *Hist.* IV. tum vero *in Chron.* & ex eo Syncellus *pag.* 348. describit, Μηδένα (χριστιανὸν) κτείνειν ἄνευ ἐγκλη-

ἐγκλημάτων καὶ κατηγορίας, *nullum* (Christianum), *crimine non plene probato*, *& accusatione non præmissa*, *capitis supplicio esse afficiendum*. Ergo utriusque apologiæ auctores illud egerunt, ut eos cives, qui ex evangelicis legibus vitam exigebant, omni criminum genere esse insontes, nec Christianum iis nomen esse fraudi docerent. Porro Justinus scripsit duplicem pro Christianis apologeticum, breviorem unum ad Senatum Romanum, & longiorem alterum ad Antoninum Pium, quamquam complures viri docti existimant, utrumque ad Imperatores Marcum Aurelium Antoninum & Lucium Verum, Senatumque Romanum fuisse missum A. C. 161., de quo loco copiose Antonius Pagius *in Critica Baroniana* ad A. C. 161., Ruinartus *in Actis selectis Martyrum pag.* 35., Jo: Ernestus Grabe *in Specileg. Patrum Tom.* 2., Valesius *ad Eusebium* IV. 16. & Tillemontius *Tom.* 2. *pag.* 375. Ad eum Athenagoras Atheniensis libellum perfecit, quem τὸν ὑπὲρ χριστιανῶν πρεσβευτικὸν *legationem* vel potius *deprecationem pro Christianis* inscripsit, teste Philippo Sideta *in fragmento*, quod edidit Dodwellus post dissertationes in Irenæum. Hanc orationem A. C. 177. obtulit M. Aurelio Antonino & L. Commodo, quorum Imperatorum nomina exprimuntur in MSS. Codicibus & præsertim in Bononiensi, quem memoravit Mabillonius Tom. 1. *Musei Ital. pag.* 186. Atque hi quidem aliique Patres Antoninum Pium & Marcum Aurelium Imperatores impulerunt, ut legem juberent, qua Christianis Civibus consulerent. Sanxerunt enim, ne quis ob Religionem in jus vocaretur, & si contra factum sit, ea res accusatori officeret. Sic enim Marcus Aurelius ad commune Asiæ apud Eusebium IV. 13., Ἤδη καὶ πολλοὶ τῶν περὶ τὰς ἐπαρχίας ἡγεμόνων καὶ τῷ θειοτάτῳ ἡμῶν ἔγραψαν πατρί. Οἷς καὶ ἀντέγραψε μηδὲν ἐνοχλεῖν τοῖς τοιούτοις, εἰ μὴ φαίνοιντό τι περὶ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν ἐγχειροῦντες. καὶ ἐμοὶ δὲ περὶ τῶν τοιούτων πολλοὶ ἐσήμαναν. οἷς δὴ καὶ ἀντέγραψα, κατακολουθῶν τῇ τοῦ πατρὸς γνώμῃ κ. λ. *Porro de his hominibus* (Christianis) *plurimi Provinciarum Rectores Divo Patri nostro antea scripserunt. Quibus ille rescripsit, ejusmodi homines nulla molestia afficiendos esse, nisi forte contra statum Imperii Romani aliquid moliri viderentur. Sed & multi ad me de illis retulerunt: quibus ego Patris mei constitutionem secutus respondi*. Sic M. Aurelius. Patres igitur in apologeticis suis ad id spectabant, ut quum Christiani nominis Divinam esse auctoritatem evicissent, præterea ipsos Christianos ab omni publicorum criminum genere & cujusvis fraudis suspicione liberarent. Hæc quidem, ex quibus Imperatores intelligere facile possent, e Republica fore, ut Christiana Religio in Orbem Romanorum reciperetur.

Insistamus in reliquis, quæ Grotius disputat. Nanque opponit 4., Aurelianum ethnicum Imperatorem requisivisse, an Paulus Samosatenus Christianis legibus consententia doceret, cumque ab iis reperisset discrepantem, sanxisse ut ab Antiochena Ecclesia depelleretur. Hæc scilicet contra sacræ antiquitatis consensum fingit, ut Religionem esse in manu & potestate summorum Magistratuum efficiat: id satis quidem libere & fidenter. Nanque veteres omnes ad unum prodiderunt, convocatam esse Antiochiæ multorum Episcoporum Synodum, quæ Paulum Samosatenum cum Artemone de Christo sentire censuit, eundemque rogatu & admonitu suo ab hæresi non discedentem munere sacro abdicavit, subrogato in ejus locum viro sanctissimo Domno: Paulum tamen Synodi decreto non paruisse, atque Ecclesiæ suæ gubernacula tractasse, donec Antiochia exterminaretur ab Aureliano Imperatore, cujus præsidium orthodoxi Antistites expetiverant. Rem enim memoriæ mandarunt Antiocheni Patres in Synodica Epistola apud Eusebium *lib.* VII. *cap.* 30., *Igitur*, inquiunt, *Paulus a recta fide simul & Episcopatu excidit, Domno, ut dictum est, administrationem Antiochensis Ecclesiæ suscipiente. Sed cum Paulus e domo Ecclesiæ nullo modo excedere vellet*, βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρηλιανὸς αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε. τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν, καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν, *interpellatus Aurelianus Imperator rectissime hoc negotium judicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ Religionis Antistites & Romanus Episcopus scri-*

scriberent. Hactenus Patres, a quibus cognoscimus, sese ad Aurelianum Imperatorem receptum habuisse, non ut de Samosateni doctrina judicium promeret, sed ut publicum Ecclesiæ præsidium ferret, sive eum depelleret e gubernaculis Ecclesiæ, quem Collegæ omnes ex suis legibus damnaverant: quod præsidium sibi facile ominati fuerunt, superata Zenobia Orientis Regina, cum qua Paulus in bellum adversus Romanos conjuraverat, & gratiam iniverat. Itaque Nicephorus in *libro 6. cap. 27.* scripsit, Paulum ea de caussa, quod Judææ Zenobiæ studeret, in Artemonis partes defecisse: idque accepit ab epistola Athanasii *ad solitarios*, & libro secundo Theodoreti *hæreticarum Fabularum*. Attamen consulendus est ea de re Frid. Spanhemius *H. E. Sæc.* III.

Commemorat 5. Grotius de Gentilibus illis Judicibus, quos Marcellus vir Princeps in Mesopotamia disputationi præfecerat, quæ inter Manetem Manichæorum auctorem & Archelaum Episcopum erat ineunda. Mirum equidem, nisi Grotius id arripuisset. At non perspexit, Gentiles illos, quamvis Judices dicantur, testes tamen reipsa fuisse, eum in finem vocatos, ut Maneti stultitiam panderent suam. Res enim ita gesta est. Manes, cum ex Perside in Mesopotamiam venisset, in animum induxit, Sectæ, quam condebat, Marcellum quendam adjungere, virum in ea regione Principem & fama nobilissimum. Igitur ad eum missa epistola dogmatis sui rationem exposuit. Marcellus rescripsit, quidquid ille dixisset, sese non intellixisse, ex quo eum rogavit, ut, si per res suas liceret, Carras ad colloquium veniret: idque consilio & auctoritate Archelai in Caschatis sive potius in Carris Mesopotamiæ Antistitis, qui, cognita hominis stultitia ex litteris, cum eo congredi statim exoptaverat. Itaque Marcellus, simul atque domum suam Manes pedem intulit, evocato Archelao, diem disputationi dixit, cui præesse voluit Manippum Grammaticum, Ægidium Archiatrum, Claudium & Cleobulum fratres, egregios Rhetores, omnes gentiles. Quorsum hos Judices, & Religione ethnicos? non quidem ut ii jus de sacris dicerent: nanque ea disputatio ad faciundum potius periculum, quam ad auctoritatem dignitatemque Religionis habita est: sed ut ordini in dicendo præessent, & testimonio suo Manetis confidentiam frangerent. Cujusmodi disputationis historiam ipse Archelaus pertexuit in libro Syriaco, & in epistola, quam ad Diodorum Presbyterum misit. Totum hoc opus Græce conversum est, cujus meminerunt Hieronymus *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi sexta* & Socrates *Hist. Eccl.* lib. I. cap. 22. Uberrimum ejus fragmentum ex ms. codice Bibliothecæ Ambrosianæ, qui fuerat olim Monasterii Bobiensis, acceptum ab Emerico Bigotio evulgavit Henricus Valesius in fine Annotationum, quas ad Socratem & Sozomenum conscripsit. Tandem Laurentius Zacagnius Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus integrum pene opus descripsit ex antiquissima versione Latina, quæ reperta est in codice annorum plusquam 600. Bibliothecæ Casinensis, descriptumque exemplar publici juris fecit in *suis collectaneis Monumentorum vet. Romæ*.

Addit 6. Grotius, magnum Athanasium de Catholico dogmate cum Ario decertasse coram Probo gentili Magistratu, quem in eo certamine judicem Constantius Imperator creaverat; & cum Hunnericus Vandalorum Princeps Arianus Catholicos & Arianos suos compulisset ad colloquium, cui ipse præesset, Eugenium orthodoxum Episcopum non recusasse, quominus veniret & disputaret; Ad hæc orta Romæ contra Romanum Pontificem factione, quæ male gestæ Ecclesiæ crimen ei obiiciebat, universum negotium fuisse commissum Theodorici Regis arbitratui, qui erat Arianus. Sic enim Grotius edisserit, cujus hæc singula ordine expediri necesse est. Atque primum ducimus, confictum esse certamen illud, quod inter Athanasium & Arianum Laodiceæ confectum ferunt jussu Imperatoris Constantii. Prorsus enim ita est. Nanque in epistola, in qua Constantius Probum decertantium judicem constituisse dicitur, Athanasius diaconus appellatur, qui tamen ante illum Imperatorem Alexandriæ Archiepiscopus erat renuntiatus. Porro Athanasius Arium arcessit Photiniani dogmatis,

quamvis Photinus post Arii tempora hæresin condidisset suam. Denique Arius cum Athanasio confitetur, Christum non esse factum, sed progenitum e Patre: *Mirari me fateor*, sic Athanasius inducitur Arium affari, *cum creaturæ nomen in Filium refugias, & non factum, sed vere, sicuti est profitendum, ex Patre genitum credas, Photini te quodammodo impietatis fuisse dogmata imitatum*. At Arium de Christo id ipsum sensisse quis unquam veterum dixit? Quæ cum ita se habeant, intelligi par est, verum non esse quidquid inter Arium & Athanasium esse gestum fingitur coram Judice Probo. Venimus ad Eugenium Carthaginiensem Episcopum. Hunnericus Vandalorum Rex apud Carthaginem universam factionem coegerat Arianorum Episcoporum qui disputationem cum Catholicis committerent. Horum Princeps Episcopus Eugenius, cum orthodoxam Fidei conceptionem Regi obtulisset, libere respondit, *se disputationem non fugere, sed sine universitatis assensu non debere asserendæ Fidei caussas assumere. Si nostram Fidem, quæ una & vera est, potestas Regis cognoscere desiderat, mittat ad Amicos suos. Scribam & ego Fratribus meis, ut veniant Coepiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipue Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarum*. Hæc quidem, ex quibus intelligimus, Eugenium nunquam in eo fuisse consilio, ut, judice Hunnerico, de Religionis Dogmate disceptaret, sed potius existimasse, jure sociandam esse synodum, e qua Hunnericus, & ejus Ariani Catholicæ Fidei rationem accipere possent. De Eugenii rebus copiose disseruerunt Victor Vitensis *de persecutione Vandalica in libro tertio*, & Gennadius *in Catalogo Scriptorum capite 9. 7.* Restat locus de Symmachi rebus Theodorici Regis Ariani arbitratui commissis, qui tamen Grotio maxime contrarius est. Nanque cum Synodus omnia, quæ Schismaticorum factio contra Symmachum egerat, ad Theodoricum retulisset, is respondit *in Act. Syn Tom. IV. Conc. Ed. Lab., In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere*, committens *etiam potestati Pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium, sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo venerandi provisione Concilii pax in Civitate Romana Christianis omnibus redderetur*.

Provocat 7. Arminianus noster ad instituta Ecclesiarum, quæ a Catholica-Romana societate secesserunt, Basileensis & Belgicæ, tum vero ad Calvini exemplum. Basileenses enim cuilibet Magistratui, licet impio, illud injunxerunt, ut Religionem Imperio & præsidio tegeret suo. Belgæ initio secessionis ad Philippum Regem Catholicum judicium de sacris detulerunt. Calvinus denique in *Præfatione* ad Franciscum Gallorum Christianissimum Regem pluribus eum rogavit, ut de negotiis, quæ sibi cum Catholicis erant, integram cognitionem susciperet. Atque hæc quidem, etiamsi faciant contra Gomaristas, quibuscum Grotius decertabat, tamen non efficiunt, ut ea caussa, quam agit, bona & justa esse videatur. Quænam enim ad rem ipsam, quæ venit in quæstionem, a Belgis, Basileensibus & Calvino auctoritas accedere possit contra Catholicos?

Videamus 8., num Sergius Gentilis Proprætor reipsa judex sederit inter Apostolum & Elymam magum, & an Gallioni id crimini dandum sit, qui de controversiis inter Judæos, & eundem Apostolum jus se dicturum negavit. Utrumque enim Arminianus affirmat, ut aliis, quæ attulerat, hoc argumentum astruat, ostensurus, Ecclesiæ suæ doctores, qui cujuslibet Religionis Principes in publici cultus controversiis esse adeundos putant, Apostolum auctorem hujus opinionis habere. At enim Apostolus nunquam Gentiles Magistratus Divinarum rerum judices existimavit, sed tantum auditores, in quibus fuit Sergius Proprætor. Res enim ita litteris consignata est *Actorum* cap. XIII. Sergius Cypri Proconsul (hoc enim titulo eum Lucas vocat more Græcorum qui honorificentissimis elogiis Provinciarum Præsides afficiebant: Cæterum qui Cypro præerat, dicebatur ἀντιστράτηγος Proprætor) Sergius, inquam, Paulum & Barnabam domum evocavit, ut ab iis verbum Divinum doceretur. Nanque simul atque illos Cyprum venisse accepit, statim

ἐπεζητησεν ἀκουσαι τον λογον του θεου expetivit verbum Dei audire . Apostolis vero Elymas magus obsistebat, qui a vera Religione avertere Propraetorem enitebatur. Paululum certatum est , donec Elymas , amissis miraculo oculis , impietatis suæ pœnam solverit , ex quo Sergius Apostolorum partes sequutus est & Christo nomen dedit . Hæc Lucas è quibus adparet , Apostolos adivisse ad Sergium non tanquam judicem , sed tanquam eum, qui Religionis doctores audire exoptabat . Nunc gradus faciendus ad Galionem Achajæ Proconsulem. Is recusavit, quominus de rebus Religionis inter Paulum & Judæos judicaret . Ex quo Judæi Sosthenem Archisynagogum Seditionis auctorem , quæ contra Paulum facta erat , pene flagris confecerunt. Neque enim tum Gallio satis cavit, ne homini injuria fieret. Qua igitur in re ille reprehendendus est? Recte enim respondit , se de criminibus & injuriis cogniturum , non de Religione, siquidem Claudius Imperator , quamvis contra Judæos legem tulisset , tamen contra Christianos nihil edixerat. Nam *si esset iniquum aliquid* , inquit *Act.* XVIII. 14. , *aut facinus pessimum , o Viri Judæi , recte vos sustinerem , si vero quæstiones sunt de verbo , de nominibus & de lege vestra , vos ipsi videritis . Judex ego horum nolo esse* . Quod autem haud providit , ne Sosthenes in discrimen adduceretur , hoc ipsum , quod negligenter omisit , argumento esse non potest, eum male rem peregisse , quod de sacris decernere noluerit .

Grotius 9. quum confirmare studeret quidquid dixerat de gentilium Principum potestate in sacris , sic edisserit: Non modo Christianis , sed iis etiam , qui hac pietate imbuti non sunt, Divinum Deus afferre solet præsidium , mentemque collustrare , ut judicare de Divinis rebus valeant. Nemo enimvero Christi Religionem asciscit, nisi eam omnium esse optimam, re diu deliberata , censuerit . Judæi Beroenses *Act.* XVII. 11. Christum colere cœperunt , postquam ex Scripturis de illo judicium reddidissent. Nanque ἐδέξαντο τ̀ λογον μετα πασης προθυμιας , ἀνακρινοντες τας γραφας , εἰ ἐχοι ταυτα οὑτως , *Susceperunt verbum cum omni aviditate* , *investigantes Scripturas* , *an ea ita se haberent* , quæ nimirum Paulus & Silas docebant. Quorsum is spectat , cum hæc dicit? Scilicet probare enititur , summis Magistratibus , ut ut ethnicis , omnem fieri potestatem de Christianis sacris publice decernendi , iisdemque præsto esse Divinum præsidium, quo recte id munus obire possint. Quæ ratio quam imprudenter & temere conclusa est ? Constat quidem , iis, qui ad Ecclesiam accedunt , principio illud esse persuasum debere, Christianam Religionem divinitus fuisse perlatam , eandemque in utriusque Fœderis sacris libris contineri , quos ipse Deus dictavit. Hoc vero ab hominibus teneri non potest, nisi illi argumentis, quæ παρασκευαστικα sive *præambula* ad Fidem Theologi dicunt , adjunctis porro Divinis auxiliis , plane convicti eam rem contra non esse existimaverint . In hanc sententiam affirmari fas est , eos, qui Christianam Religionem suscipiunt, judicio suo deliberare , an eam sibi habeant. Atque Beroeenses ea de caussa, cum Apostolos audivissent, ad evolvendas Scripturas aggressi fuerunt, ut perscrutarentur , an ea , quæ Prophetæ de Christo portenderant, Jesu Domino nostro convenirent. Quod tamen ita intelligi necesse est, ut iidem qui , missis in consilium rebus omnibus , iisque bene perspectis , in Ecclesiam venerunt, deinde animum appellere adigantur ad omnia credenda, quæ Ecclesia, sive universus fere Pastorum cœtus doceat , nec judicio suo, si contra sit, auscultent. Nanque adduci in dubitationem non debent, quæ amplissimus ille sacrorum Pastorum senatus constituit , qui in perferenda Religione falli nescius est. Redeamus ad Grotium . Quomodo is evincet, Ethnicos Principes jure decernere posse de Christianis sacris eam ob rem , quod nemo Christum colere incipiat , nisi ita sibi esse faciundum judicaverit ? Quomodo alterum ex altero sequetur ? Nanque constitui antea illud oportebat , Christianæ Religionis administrationem ad publicum Principatum pertinere, idque Christum sanxisse, quod, quamvis ille multis disputaverit, nusquam tamen effecit.

VII. Antequam Grotius hoc caput perorasset, locum illum, qui legitur in prima

ad *Corinthios* xiv. 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjectos esse*, ex sententia explicare aggreditur. Hunc Calviniani & in his Sibrandus attulerant, ut a cognitionibus de publicis sacris politicos Magistratus arcerent, & solis Pastoribus id munus committerent. Grotius primum negat, locum eo pertinuisse, ut Prophetarum sententias ab ipsis Prophetis esse expromendas significaret. Nanque putat, Apostolum id spectasse, ut diceret, rem contra se habere in Pythonicis, atque in hominibus divinitus afflatis: Pythonici arripiuntur, aguntur, nec in potestate sunt sua, qualis Sibylla apud Virgilium,

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans . . . .

& Phœbas apud Lucanum,

—— bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittasque Dei Phœbeaque serta,
Erectas discussa comas, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantes tripodas, magnoque exæstuat igni
Iratum te Phœbe ferens . . . . .

At Prophetæ, quos Deus ad instituendos Populos delegit, sacri Numinis afflatum regere & coercere possunt arbitratu suo. His enim afflatus ipse subjectus est, & dicendarum rerum ordinem servare, & in tempore loqui permittitur: Nanque, sic pergit Apostolus, *Οὐ γάρ ἐστιν ἀκαταστασίας ὁ θεὸς, ἀλλ' εἰρήνης, non est dissensionis Deus, sed pacis*. Hæc Grotius exposuit, quæ quidem nituntur auctoritate Patrum Chrysostomi, Oecumenii & Theophylacti. Concedit autem deinde comma hoc, *Spiritus Prophetarum Prophetis subjectos esse*, in eum etiam sensum accipi posse, in quem Sibrandus intellexit, quasi Apostolus dixisset, Prophetas pati id debere, ut alii Prophetæ judicent de doctrina sua. Cumque in eo studio totus sit, ut postremam hanc Apostolici commatis explicationem caussæ, cui inserviebat, non officere doceat, ea fundit, quæ cum catholico dogmate non consentiunt. Nanque affirmat, judicium de prophetico spiritu Prophetis quidem attribui, sed nec adimi Principibus, nec cuivis civi & minimo de Populo Quiritium. Quod ille pluribus sacrorum scriptorum testimoniis confirmare enititur, ex quibus requirendæ & dijudicandæ doctrinæ, quam Prophetæ docent, potestas fieri singulis Christianis videtur. His igitur testimoniis, quæ in aliorsum accipit atque sonant, nos verum sensum adscribamus necesse est. In Apostolica Ecclesia plures extiterunt, qui se Prophetas dictitabant. Horum alii Sanctissimum Christi nomen aperte contemnebant, alii vero illud confitebantur, & pro vatibus sese gerentes sibi munus capiebant tradendæ Religionis. Priores illi Prophetæ ne fraudi Religioni forent, Principes illi Ecclesiæ conditores Apostoli caverunt. Nanque de illis sapientes leges rogarunt, in quibus sanciverunt, ut omnes Christiani eorum Doctorum essent Judices, qui contra Christum manifesto dicerent. Sic Joannes in *prima epistola* capite iv. edicit, *Ἀγαπητοί μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν, ὅτι πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐξεληλύθασιν εἰς τὸν κόσμον, ἐν τούτῳ γινώσκετε τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, πᾶν πνεῦμα ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστι*, *Charissimi nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sit, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum, in hoc cognoscite Spiritum Dei, omnis Spiritus, qui confitetur Jesum Christum, qui in carne venit, ex Deo est*. Moses eandem legem scripserat ad dijudicandos pseudo-prophetas: pertulerat enim, ut omnes Judæi de illis vatibus judicarent, qui a vero Deo homines abigerent. Nihil nanque tam apertum & perspicuum singulis orthodoxis esse potest, quam impium & nefarium esse eorum dogma, qui Deo & Christo obtrectant. Videamus de cæteris Prophetis, qui

qui Christum quidem colunt, sed futura prædicendo Populis commendari student, quos & in Religione erudiendos suscipiunt. Atque iidem Apostoli docuerunt, Episcoporum esse, de illorum doctrina judicium ferre. Par enim est ad illos, quos Religionis Interpretes & Judices Christus creavit, hoc est Presbyterorum Præsides eam rem pertinere. Argumentis, quæ in prolusione allata sunt a nobis, non utimur: Grotium dumtaxat Grotio opponimus. Is enim eadem Divinorum Scriptorum commata, quorum auctoritate singulis Christianis dijudicandi prophetici Numinis potestatem asserit in hoc capite, alias de solis Episcopis eorumque Synodis intellexit. Profert heic locum ex prima epistola ad *Corinthios cap.* 14. 29., *Prophetæ autem duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent*: atque hos Judices quosvis e populo intelligit. In commentariis autem ad eumdem locum, illos, qui judicent, Ecclesiarum esse Præsides constituit. Ad verba enim, *cæteri dijudicent*, statim addit, *Præses Ecclesiæ, advocatis etiam, si res sit difficilior, vicinarum Ecclesiarum Præsidibus*. Porro heic dicit, *διάκρισιν πνευμάτων discretionem* sive *dijudicationem Spirituum*, de qua Apostolus in *epist.* 1. ad Corinthios cap. 12. 10., singulis Christianis esse creditam; sed nihilosecius in altero opere sive in commentariis aut annotationibus ad eam epistolam solis Pastoribus attribuit. Ad hoc cum heic affirmasset, universos intelligi Christianos, quos Apostolus in prima *ad Thessalonicenses* v. 27. rogavit, ut in prophetiis *omnia probarent, sed quod bonum esset, retinerent*, tamen in annotationibus ad locum scribit, eos, quos istud ipsum Apostolus rogavit, Ecclesiarum fuisse Pastores. Igitur sejungendi sunt Prophetæ, qui Christum negant, ab iis, qui eundem confitentur, ex quo dicamus, ipso Grotio auctore, de illis cognitionem, quæ nihil habet negotii, penes singulos Christianos, de his vero penes Ecclesiæ Doctores & Gubernatores Episcopos residere.

AD

AD CAPUT VI.

EXERCITATIO CRITICA.

I. Omnia paucis enarrantur, quæ Grotius in hoc capite complexus est.

II. Refellitur primum argumentum, ex quo ille efficiebat, Principibus licere a judicio Sacerdotum in sacris recedere. Error Grotii, qui credidit, Catholicos cum Lutheranis decertare de ἀναμαρτησίᾳ (infallibilitate) *Romani Pontificis, tanquam præcipuo Religionis dogmate. Exponitur Catholicæ Ecclesiæ Status.*

III. Rejicitur alterum illius argumentum. Quamquam Fides a Divina auctoritate proficiscatur, ea tamen a Sacerdotibus, quos Christus huic rei præfecit, tradenda est.

IV. Dolo usus est Grotius, qui quum adversariorum argumenta solvenda susciperet, eorum tantum mentionem injecit, quæ nullius erant roboris, & ea tacuit, in quibus caussa nitebatur.

V. Explicatur oraculum, quod apud Hebræos reddebatur per Urim & Thummim.

VI. Contemnuntur reliqua omnia, quæ Principibus a Grotio tribuuntur.

I. IN hoc sexto capite Grotius Christianis Regibus & Imperatoribus rationem præscribit exercendi Imperii, & reddendi judicii de sacris, eamque totam duobus summis monitis complectitur. Nanque primum illos commonefacit, ut de rebus, quæ ad Religionem respiciunt, nihil deliberent, nihil jubeant, & nihil judicent, nisi antea Divinos Ecclesiarum Pastores, aut eorum cœtus & Concilia consuluissent. Sed docet, ab iisdem eo animo sententias esse rogandas, ut in ipsorum potestate positum sit, num velint sequi quidquid Pastores censuissent, an vero ab his recedere. Atque, cur res ita se habeat, illud ei est argumento, quod post Apostolorum obitum nullus aut Episcopus aut Cœtus existat, qui liber esse possit ab errore in promenda Religionis doctrina. Confitetur quidem Arminianus, universæ rei caput, ex quo Christianorum Principum auctoritas in sacris sit explicanda, versari in hac quæstione, an demortuis Apostolis sedeat in Ecclesia Religionis Judex & explanator falli nescius. Tum dicit, Catholicos eo demum pervenire, ut unum Romanum Pontificem rerum divinarum hujusmodi esse cognitorem erroris vacuum existiment. Is autem cum Evangelicis sive Lutheranis sentit, nullum esse inter Christianos oraculum, quod in dubiis Religionis negotiis sit consulendum, id enim non esse in Romano Pontifice, nec in Conciliis sive topicis, sive œcumenicis. Adjungit porro alterum argumentum, cur Principibus contra judicare liceat, atque Pastores censeant, quod fides, quæ adhibenda sit in Divinis rebus, in sola Dei auctoritate niti debeat. Idque confirmat, quod par sit, ipsos Principes perinde atque quosque Christianos dispicere quidquid Deus in scripturis præceperit, neque ab aliis expositum habere. Sic cum Grotius dixisset, ea tum explicat, quæ caussæ obesse suæ videbantur.

Jamvero venit idem ipse ad declarandum alterum præceptum, de quo Christianos Reges & Imperatores admonitos exoptat. Hos enim jubet Ecclesiarum concordiæ studere, & mutuam quandam inter eas Tolerantiam decernere. Quod ut feliciter succedat, multa sunt, quæ ille cavet. Primum ne Principes dubitent, quin paucissima sint dogmata, in quibus quasi in fundamentis summa Christianæ Religionis consistat, eamque ob rem ne patiantur, Ecclesias officiorum societate disjungi propter ea, in quibus dissentire integrum sit. Deinde ut eum morem instaurare enitantur, quo prisca Eccle-

Ecclesia Religionis dogmata declaravit. Majorum enim lege in Conciliis Œcumenicis ea omnia decernebantur, quæ ad salutarem fidem pertinebant, aut si quid in minoribus Synodis judicaretur, hoc ad fidem non referebatur, quandiu cæteræ Ecclesiæ eidem judicio non acquievissent. Ad hæc dicit, ab iisdem dandam esse operam, ne Pastores in publicis Templis & concionibus docere audeant, quod nec utriusque Fœderis tabulis, nec veterum Patrum consensui sit consentaneum: idque faciundum non modo dum Divina dogmata traduntur, sed dum officiorum præcepta explanantur. Pergit Grotius Principibus ferre conditiones sanciendæ ecclesiasticæ pacis inter Christianos. Constituit nanque providere eos debere, ut, si quod rerum Divinarum dogma Populis proponant, hoc nec ulla vi præcipiant, sed iis rationum momentis suffulciant, quæ animos movere satis sint, illudque prorsus agant, ne qui credant ob metum, credentium solum speciem præbeant. Addit eorundem esse officium, ne id negligant, quod ad Religionis majestatem spectet; atque idcirco de sacris ritibus & moribus, quos Divinæ Leges non imperarunt, nec vetuerunt, sic habeant, eos esse recipiendos, qui sunt vetustiores, sin hoc non possint, illos esse servandos quos temporum diuturnitate quæque Ecclesia sibi firmavit. His omnibus expositis Arminianus decernit, Principes decernere de sacris posse, quin Pastorum ullam Synodum consulant. Publica & Regia est lex illa, qua sancitum est, negotia Religionis esse referenda in Synodis. Ergo iidem, si hujusmodi legi non steterint, quamquam non recte, sed jure agere videntur. Sic ille.

II. Retexamus porro, quæ exposita sunt hactenus. Initio Arminianus Reges & Imperatores esse admonendos censuit, eos optime rem peracturos, si, antequam judicium de sacris reddant, consilium a Pastoribus petant eosque sequantur, utcumque ab iisdem, si ita faciundum putaverint, prorsus recedere possint. Edidit ille hoc monitum sive præceptum, quia putabat, Principes Religionis, quam Christus pertulit, publicos esse Rectores & Judices. Istuc scilicet ipsum pro certo habuit, de quo universum nobis cum Eo certamen agitur. Sed porro argumenta audacter & temere excogitata attulit, cur Principibus recedere ab iis liceret, quæ amplissimus Pastorum Cœtus judicaverit. Primum enim abnuit, in Ecclesia ullum esse Religionis interpretem & cognitorem, qui, ne a Fide deficiat, Dei numine & auspicio gubernetur. Hoc autem, quod is negavit, non modo in prolusione, sed in his, quæ ad manus sunt, criticis exercitationibus, copiose probandum curavimus. Ad hoc Arminianus quæstionem nobis narravit, quæ inter Evangelicos, ut ipse ait, & Catholicos commissa est de Divino post Apostolos oraculo, sive de Religionis interprete, qui falli nescius sit. Quæstionem vero his verbis expressit, ex quibus adparet, Catholicos ea de re cum Evangelicis disputare, an unus Romanus Pontifex sedeat in Ecclesia Judex, qui cognitionibus de Religione præsit sine ullo offendendæ Fidei periculo. Nam eam sic constituit, quasi omnes Catholici, perinde atque explorata sit Ecclesiæ fides suæ, existiment Papam ab omni errore esse liberum, Œcumenicis Conciliis auctoritate antistare, in his cæteros Episcopos nulla juris dicundi potestate esse præditos, sed illius esse Consiliarios & Adjutores in explicanda Divinarum rerum doctrina, quin etiam Concilia ab eodem vim & firmitatem habere. Hæc Grotius spectavit, cum dixit, *an post Apostolos tale aliquod oraculum existat, hoc est de quo quæritur: & hæc quoque quæstio tandem in unum Pontificem Romanum contrahitur*. Sic enim cum edisseruerit ille, prorsus non tenuit illam, quam omnes Orthodoxi credunt, & quam Christus condidit, Ecclesiæ temperationem. Hanc exposuimus in prolusione, & olim in Theologicis nostris Institutionibus diligentissime & uberrime. Ecclesiæ nimirum rector & moderator est universus sacrorum Pastorum sive Episcoporum Cœtus, in quo principem sibi vindicat locum Romanus Pontifex, idemque eo Divino consilio renunciatus, ut Christiano orbi præsit & concordiam in Divinis rebus inter omnes conciliet. Ita universi Antistites Religionem gerunt, in Ecclesiis quisque suis, eamque explicant, tuenturque adversus illos, qui res novas moliuntur, com-

gendi & pascendi universalem Ecclesiam. *Neque hic* (in Concilio) *ignoramus, nonnullos Romanos Pontifices ita loquutos esse, & id recto sensu dici posse: sed quæstio est, an in Concilio tam celebri, quam istud est, determinari possit absque periculo, ne, quod aliquos velle videmus, hæc verba trahantur in eam sententiam, quæ Concilium Papæ subjicit*. Accesserunt Christianissimi Regis Oratores, qui, rogantibus Episcopis & Theologis, ad Pontificios Legatos adiverunt, petentes, ne ad veterem de Ecclesiæ auctoritate fidem adjungi aliquid sinerent. His cognitis Pius IV., teste Palavicino *in ejusdem libri cap.* xv., edixit, *satis futurum Pontifici, si nec de sua, nec de Episcoporum jurisdictione quicquam exprimeretur, illis tantum editis definitionibus, in quas Patres unanimi consensu conspirarent*. Bene sapienterque sanctissimus Pontifex quæstiones, quas Catholici Theologi privatim persequebantur, a communi omnium doctrina sepesuit, & hanc solum ad Religionis summam pertinere præcepit. Quam quidem ob rem idem clarissimus Pontifex, quum Catholicæ Fidei conceptam formulam ederet, in ea de Ecclesiæ sive universi Pontificii ordinis, & Papæ potestate sic constituit, *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro*. His verbis jussit, Christianos omnes hoc in animum inducere, sibique veluti Religionis suæ dogma habere, universam Ecclesiam cujus Caput est Romana Sedes, optimam esse singularum Ecclesiarum Parentem, Ducem & Magistram nunquam fallentem, quin etiam Romano Pontifici, qui in Petri locum successit & sacra Domini vice fungitur, morem esse gerendum in Divinis rebus. Exposuit scilicet Pontifex veram & Divinam Ecclesiæ temperationem, de qua cum hæreticis negotium erat, & neglectas præteriit quæstiones cæteras, quæ, salvis Religionis rebus, inter Theologos disputabantur. Vides igitur, Arminiane, eam esse Catholicam Fidem, ad quam omnes erudiuntur, Ecclesiam sive universum Præsulum Ordinem, in quo Princeps est Romanus Pontifex, singulari Dei ductu & auspicio gubernari, & cum de Religione decernit, nunquam deficere posse ob ea doctrina, quam Christus & Apostoli ediderunt. Hoc est dogma, pro cujus auctoritate cum Lutheranis certamen sustinemus. In cæteris autem controversiis, ad quas respicis, integrum est non modo Catholicis, sed etiam hæreticis sentire quidquid arrideat. Ex quo temere dicis, nisi invidiam facere studeas, Catholicos de uno Romano Pontifice decertare, dum contendunt, in Ecclesia Religionis sedere Judicem ab errore vacuum contra Lutheranos.

Accedimus ad alterum argumentum, quod allatum est, ne Principes sacrorum Pastorum sententiis stare cogantur in rebus, quæ Religionem spectant. Sumit enim Grotius, eam esse salutarem fidem, quæ in nullius hominis judicio acquiescat, sed ad Divinam auctoritatem referatur. Quod cum positum sit, ex eo perficere enititur, piorum Magistratuum esse officium, ut ipsimet nullius doctoris ductu in scripturis Religionem perscrutentur, ad quam deinde singulas Ecclesias, sublatis certaminum studiis, esse instituendas edicant. O acutum Virum! quam feliciter negotium confectum putat. Namque salutarem fidem niti in sola Dei auctoritate quis nescit? Hoc vero quamvis ita sit, tamen non sequitur, Divinæ auctoritatis nullos esse interpretes & cognitores, quos Deus constituerit. Quinimo res altera ab altera divelli non potest: Apostolus hoc docuit *in Epist. ad Rom. cap.* 10., Πῶς οὖν, inquit, ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; πῶς δὲ πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; πῶς δὲ κηρύξουσιν ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?* Quumque pauca interiecisset, sic pergit, Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς. ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεοῦ, *Fides sane ex auditu, auditus autem per verbum Dei*. Ergo Fides ab iis accipienda est, quos Deus misit, sive quos regendæ Ecclesiæ præfecit. In his fuerunt primum Apostoli, in quorum deinde locum successit univer-

ſus Epiſcoporum Coetus, iis Divinis creatus auſpiciis, ut in Religionis docendis præceptis falli non poſſit. Is quidem nova dogmata non condit, nec conſtituit, ſed ſine errore expromit & explicat, quæ Deus hominibus declaravit. Ex quo fides, quam idem docet, non ab humano judicio, ſed a Divina auctoritate proficiſcitur. Hæc cum certa ſint, iis non congruit ratio, quam Grotius concludit, ſummorum Magiſtratuum eſſe, ut ipſimet Religionem ex ſacris tabulis effingant, quam Populis ſuis præcipiant. Nanque ex iis, quæ diximus, plane efficitur illos, qui ſummum Imperium adminiſtrant in Chriſtiano orbe, non in hominum, ſed in Dei ſententia acquieſcere, ſi ab eo dogmate non decedant, in quo ſciſcendo Eccleſia convenit. Sic pientiſſimi Imperatores clariſſimum Paſtorum Ordinem, quibus Eccleſia commiſſa eſt, non veluti conſiliarium exiſtimarunt, cujus ſententiæ ſtare pro arbitratu poſſent, ſed tanquam Præceptorem nunquam fallentem coluerunt, a cujus judiciis deſciſcere in Religionis negotio per Divinas leges non liceret.

IV. Atque hactenus perſpecta eſt imbecillitas argumentorum, quibus Arminianus liberum de ſacris judicium ſummis Principibus attribuit. Nec porro reſtat, ut videamus de iis, quæ ille dixit ad expedienda argumenta, quæ contra Gomariſtæ proferebant. Cum enim ea ſint complura & graviſſima, duo tamen ſolum is commemoravit, quæ facile explicari poſſent. Sic ea tacuit, in quibus cauſſa nitebatur, & ea delegit, quæ ad ornatum pertinebant: quod ne fraudi eſſet, omnino oporteret, ut nos omnia rationum momenta, quæ ille diſſimulavit, hoc in loco conſcriberemus, niſi id ipſum alias agere placuiſſet. Nimirum Grotius unam & alteram periochen ex veteris Foederis tabulis ſibi objecit, quas plane quivis extricaret. Prima eſt in Deuteronomio XVII. 11. in qua Deus juſſit ſingularum Urbium judices in dubiis negotiis ſummum Judicem, aut in interregno Sacerdotes conſulere, & prorſus ſequi quidquid iidem de jure reſponderint: Altera eſt Numer. XXVII. 21. quæ oſtendit, ſummum Pontificem eſſe adeundum, quo Dei oraculum per *Urim* acciperetur. Hæc ille ſummo explicare opere laboravit, ne ſibi obeſſent. Nos autem libenter damus, iſta non eo valere, ut ſummoveant Chriſtianos Magiſtratus a ferendo judicio de Religione, idque ſolis Sacerdotibus adſcribant. Cumque ſic agamus, haud equidem veremur, ne Catholicæ cauſſæ officere videamur, quæ non in fallacibus & parum accommodatis concluſiunculis poſita eſt, ſed in perſpicuis legibus, quas Chriſtus ad optimum Eccleſiæ regimen conſtituit, in omnium priſcorum Patrum conſenſu, & in multis veterum & piorum Imperatorum teſtimoniis.

V. Dicamus tamen parumper de nobiliſſimo oraculo, quod in Iſraelitica Republica per *Urim* & *Thummim* reddebatur, ne nobis omnia placere credas, quæ in eo explicando Grotius fudit. Summus apud Hebræos Sacerdos hujuſmodi oraculum ferebat. Ita Deus in Exodo cap. XXVIII. 30. *Impones pectorali Judicii Urim* & *Thummim, eruntque ad cor Aharonis, cum in conſpectum Jehovæ veniet, feretque Aharon ſemper judicium Iſraelitarum ad cor ſuum coram Jehova*. Principes viri in difficillimis Reipublicæ temporibus & in dubiis rebus illud conſulebant. Joſua enim ad ſummum Sacerdotem venire juſſus eſt, ut, Deo auctore, bellum gereret, aut etiam omitteret. Nanque Num. XXVII. 21. de quo loco paulo ante ſermo injectus eſt, Deus hæc dicit, *Stabit* (Joſua) *coram Elehazare Sacerdote, & poſcet ab illo judicium Urim coram Jehova. Eo jubente exibunt, eodemque jubente ingredientur ipſe & omnes cum eo Iſraelitæ univerſuſque cœtus*. Diſpiciendum autem primum eſt quid valeant verba *Urim & Thummim*, & ad quam ſignificandam rem ſpectent. Vocula quidem אורים *ourim* apud Maſſorethas, quam tamen Samaritani *Arim* legunt, originem habere videtur a verbo אור *our* hoc eſt *lucere*, idem quod Græce *δηλουν manifeſtare, aperire, exponere*. Itaque eam Septuaginta viri converterunt *δηλους lucentes* Deut. XXXIII. 8. Num. XXVII. 21. Sam. XXVIII. 6. & *φωτιζοντας illuminantes* Eſd. II. 63. Eandem vero interpres Aquila reddidit *φωτισμους luces & ſplendores*. Diceres *Urim* fulgentiſſimas quaſdam fuiſſe gem-

gemmas, ex quibus monilia intexebantur in Oriente. Nanque Syri vocant אורלא *aurle* beryllos lapides perlucidos & Smaragdo ſimiles ab eodem verbo אור *our*, ſi Lexicographis credimus. Neque enim unum gemmarum genus eſt, cui nomen a colore inditum ſit. Anthrax aut Anthracites gemma eſt, quæ ſic appellatur *ἀπὸ του ἄνθρακος a pruna* hoc eſt colore flammeo. Carbunculus eximius lapis a ſimilitudine ignis vocatur. Quin etiam Phloginos venuſta gemma in Ægypto dicitur *ἀπὸ του φλογος* hoc eſt a ſcintilla, cujus colorem exprimit, de quibus originationibus Plinius in libro XXXVII. cap. 7. Quæ cum ita ſint, facile intelligi poteſt, gemmas quaſdam a luce, quam offundebant, nomen אורים *Urim* habuiſſe apud veteres Hebræos. Præterea alterum vocabulum תמים *thummim* ducitur a verbo תמם *thamam* hoc eſt *perficere*. Id ſi placeat, Thummim ſunt *τελειότητες perfectiones*, quod Aquila & Theodotion priſci interpretes crediderunt. At enim eodem modo *Thummim* initium capere potuit a voce תאם aut תום *thom*, quæ *gemellum* quidem declarat, ſed ab Aſianis ad ſignificandas Margaritas translata eſt eam ob cauſam, quod Margaritæ pares & veluti gemellæ deliguntur ad contexenda monilia. Apud Arabas תומה *thaumah* eſt margaritæ genus, aut etiam huic quid ſimillimum.

Hæc de nominum poteſtate. Jamvero Joannes Spencerus in opere *de Legibus Hebræorum ritualibus lib.* III. *diſſ.* VII. *cap.* III. *ſect.* I. putavit, *Urim* & *Thummim* imagunculas fuiſſe, quæ in plicaturis Pontificii pectoralis latebant & quarum renidentes vultus quaſi humanos duceres: eaſdemque nec in munere nec in figura diſcrepaſſe ab iis fatidicis ſimulacris, quæ Gentes *Teraphim* dicebant. Nanque ille nobis auctor eſt, Deum, cui negotium erat cum Hebræis pervicaci & difficili ingenio præditis, facile ſiviſſe, ut iis liceret conſulere imagines id genus, quas ſummus Sacerdos gerebat, nimirum ex vetuſtis moribus, quos ab Ethnicis acceperant. Sic enim Spencerus, contra quem multi dixerunt non ſine eximiis & certis argumentis. Sed paucis iſtud agi poteſt, ſi explicemus, quo loco veteres Aſiani *Teraphim* haberent. Hæc quidem erant idola, & ſimulacra Deorum, quibus Religio tribuebatur. Nanque *Teraphim*, quæ in domo ſua Laban colebat, *Deos ſuos in Gen.* XXXI. 30. vocavit, idem qui Deum majorum ſuorum a Jehova Abrahami, Iſaaci & Jacobi Numine *v.* 53. disjunxit. Hoc ipſum evincunt omnes ſacri Scriptores, qui ferme de *Theraphim* tanquam de idolis commemorarunt I. Sam. XV. 23. II. Reg. XXIII. 24. Ezech. XXI. 21. Zachar. X. 2. Quæ contra facere videntur, omnia diluit Joannes Franciſcus Buddeus *in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Period.* I. *ſect.* III. Similia fortaſſe *Teraphim* erant eorum Deorum, quos Romani Penates aut Lares dicebant, ita ut illa imagines exprimerent principum Patriarcharum, quos velut conditores ſuos unaquæque domus putabat. Sed id critici videant. Nobis illud perſpicuum eſt, eoſdem Deos apud omnes Orientis Gentes eam ſibi adjunxiſſe exiſtimationem, ut in dubiis rebus conſulerentur, & oracula proferrent. Ezechiel Profeta cap. XXI. 21. *Stabit Rex Babiloniæ in bivio, principio ſcilicet duarum viarum ad divinandam divinationem . . . interrogabit Teraphim*. Et Zacharias X. 2. *Teraphim loquuta ſunt vanitatem*. Sed nihilo-ſecius hoc reſpondendi munus iis Idolis delatum eſt poſt Moſem. Nanque ſatis apertum eſt, omnes ſcriptores, qui Theraphim ad accipienda oracula a Gentibus fuiſſe interrogata produnt, longe receſſiſſe a moſaicis temporibus. Objecit Spencerus locum Geneſeos XXX. 27. qui tamen opinioni minime favet ſuæ: Dicit Laban Jacobo genero ſuo, *Auguratus ſum, quod propter te benedixerit mihi Jehova*. Spencerus vero ſic accepit verbum Hebraicum נחשתי *nihhaſchthi*, quod ſeptuaginta viri converterunt, *οἰωνισάμην auguratus ſum*, quaſi ſignificaret, *interrogando Theraphim cognovi*. Atqui Hebraici verbi ea eſt vis & poteſtas, ut facile converti poſſet, *ſagaciter & prudenter collegi*. Cum nimirum Laban videret pecus ſuum increviſſe mirum in modum, nec ſatis ſciret, fortuna ne, an Generi ſui opera id ſibi feliciter proceſſiſſet, tandem plane cognovit hujus benefacti opificem extitiſſe Jacobi Deum, qui ipſum eo modo

R 2 propter

propter Generum obligare voluerit. Ea est sententia verborum, quæ Laban protulit. At istuc ipsum, quod agimus, in Oriente diu post Mosem morem illum fuisse receptum, ex quo *Theraphim* consulerentur, dilucide ostendit *in Hist. Crit. &c. part.* III. *cap.* IV. Vir eruditus Petrus Jurieus. Itaque facile quivis percipit, id quod Spencerus suspicatur, non potuisse evenire, ut Deus in Republica Israelitica per Mosem *Urim* & *Thummim* effingeret, fatidicas nimirum imagines, & ab iis simulacris non discrepantes, quæ Gentes Theraphim appellabant. Quomodo enim illud fieret, cum Gentiles Mosis temporibus Theraphim consulere non solerent? Aut quis credet, Deum jussisse in pretio apud Hebræos manere idola, cuiusmodi erant Theraphim? Quamquam enim Hebræis multa licerent, idque ob indocilem eorum disciplinam & tardum ingenium, tamen Deus prorsus providit, ut Religionis summa sospes & incolumis conservaretur. Hactenus contra Spencerum.

Plerique porro arbitrantur, Urim & Thummim ipsas esse gemmas, quibus summi Sacerdotis Pectorale instruebatur. Etenim in Exodo cap. XXXIX. cum Pectoralis forma describatur, lapidum quidem & gemmarum ordines, quæ in illo hærebant, accurate commemorantur, sed Urim & Thummim tacentur. Vicissim in Levitico cap. VIII. Pectorale nominatur, & neglectis gemmarum ordinibus Urim solum & Thummim exprimuntur. Quorsum hoc spectat, nisi plane conficiat, Urim & Thummim perlucidos esse lapides, eosdem atque gemmas, quibus Pectorale erat intextum? Sic sentiunt omnes ferme, qui de hujusmodi oraculo disseruerunt. At enim cur ita sentiant, hoc, quod afferunt, magnum iis esse non debet argumentum. Nam facile probabilis ratio reddi potest, quam ob rem Moses, cum Pectorale Pontificium nominasset, præteritis gemmis, tantum Urim & Thummim adjunxisset. Nimirum prolato Pectoralis nomine, una intelligebantur gemmæ, quæ in Pectorali inerant & ab eo divelli non poterant. Quod si porro ille in explicanda Pectoralis forma gemmas, ex quibus erat effictum, dinumerasset, nec Urim & Thummim addidisset, profecto ob id ipsum significavit, Pectorale rem esse, quæ ab *Urim* & *Thummim* sit disjungenda. Ex quo idem Moses in Exodo cap. XXVIII. v. 29. & 30. cum de gemmis Pectoralis dixisset, separatim Urim & Thummim descripsit.

Jam non vacat aliorum sententias dispicere, quas omnes Joannes Spencerus refellit. Ergo paucis promamus, quid Urim & Thummim valere possint. Atque ista demonstrare videntur decorum quendam torquem a Pectorali diversum & renidentibus gemmis margaritisque ornatum, qui a collo ad pectus usque summi Sacerdotis demittebatur. Hoc facile conficies ab iis locis, in quibus Moses eius rei mentionem injecit. Sic in Exodo XXVIII. Pectoralis partes omnes affabre pinxit, & tandem in commate trigesimo Urim & Thummim veluti novum ornamentum explicavit & Pectorali adjungi præcepit: *Impones Pectorali* (Hebraice אל חשן *el* aut *al hhoschen super Pectorale*) *Urim & Thummim*. Illud idem feliciter exprimunt Samaritæ in codice suo, *Facies Arim & Thamim* (Urim & Thummim) *& adjicies Pectorali*. Illi scilicet sic habent, quasi Moses, jam contexto Pectorali, jussisset, separatim fingi Urim & Thummim, quæ ad Pectorale accederent. Ad hæc *in Levit.* VIII. 8. Moses, postquam Aharoni pectorale aptasset, tum Urim & Thummim prehendit, eique adjecit, *Imposuit ei pectorale, & pectorali addidit Urim & Thummim*. Id enim de gemmis, quibus pectorale erat intextum, dici non potuit, cum eædem in eo hærerent, nec unquam divellerentur. Igitur concludamus necesse est, inter eximia summi Sacerdotis ornamenta monile ex titisse, quod Urim & Thummim vocabatur, idque a pectorali fuisse disjunctum.

Sed porro explicari par est quorsum hoc monile pertineret, quod quidem nostræ quæstionis caput est. Ea scilicet res Deum præsentem portendebat, ita ut ab iis qui regnarent, facile consuli posset in publicis negotiis. Dubium enim non est, quin Deus tanquam Imperator & politicus Rector israeliticam Rempublicam gubernaret. Ista enim Theo-

Theocratico regimine gaudebat. Quod cum ita esset, prorsus oportebat omnes eos, qui huic Imperio præessent, in difficillimis Civitatis temporibus summum illum Regem interrogare. Atque dum Moses vixit, is Deum sæpe alloquutus est, cujus jussis & auspiciis omnia administravit. Providendum autem erat, ut decedente Mose illi, qui in ejus locum succederent, certum omen haberent, ex quo Dei consilium cognoscerent. Huc *Urim* & *Thummim* spectabant. Verum ea consulendi Dei ratio erat instituta: Qui Deum rogaturus erat, summum Sacerdotem accedebat: Hic statim sibi Ephodum comparabat, quumque pectorali sese ornasset, eximium torquem Urim & Thummim adjungebat: quo facto Divina oracula accipiebantur. Complura exempla afferuntur ex libris Samuelis. Unum nos damus. In libro primo cap. xxx. 7. David Deum sciscitaturus Sacerdotem sic affatur, *Admove mihi, quæso, Ephodum*. Cum autem Sacerdos dicto audiens fuisset, David Jehovam rogavit, *An sequar hoc agmen? An adipiscar?* Responsum est, *adipisceris & captivos liberabis*. Tacet vero sacra historia, ecquis vocem ediderit. Grotius in hoc loco hariolatur, ipsum Deum respondisse. Spencerus putat, ex ipsis Urim & Thummim voces esse editas. Nobis verosimilius videtur, Sacerdotem, si afflaretur, Dei oraculum protulisse. In hanc sententiam loquuntur Flavius Josephus, David Kimchius, aliique, quos Spencerus dinumeravit. Quamquam enim Deus responsa dedisse dicitur, tamen is hoc egisse intelligendus est per Sacerdotem, qui sacrum torquem pectori aptaverat suo. Hoc modo Deus loqui fertur, cum futura dormientibus portendit. Tenemus igitur, quid valerent Urim & Thummim, quæ ob eximiam & singularem vim septuaginta viri dixerunt τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν, & interpres Latinus *doctrinam & veritatem*. Celeberrimum hoc oraculum, in quo Theocratica Israelitarum Respublica nitebatur, apud finitimas Gentes percrebuit: illud enim de more peculii sui fecerunt. In Ægypto Præses Judicum, idemque summus Sacerdos torquem imaguncula quadam adornatum pectori suo jungebat, cum jus dicere parabat. Is torques aut ea imago ἀλήθεια *veritas* appellabatur. Diodorus siculus *in Lib.* I. *Bibl. pag.* 68. *Ed. Rhod.*, Ἐφόρει οὗτος (Ἀρχιδικαστὴς) περὶ τὸ τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζῴδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν. τῶν δὲ ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς Ἀληθείας εἰκόνα ὁ Ἀρχιδικαστὴς προσθεῖτο, *Ferebat hic* (Judicum præses) *circa collum ex aurea catena pendens signum pretiosorum lapidum, quod vocabant veritatem. Inchoabant autem disceptationes, cum Veritatis imaginem adposuerat sibi Judicum Præses*. Diodoro concinit Ælianus *variar. Hist. lib.* XIV. *cap.* 34. qui, postquam dixisset, Judices Ægyptios fuisse Sacerdotes, sic pergit, ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας, ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων, καὶ ἀφειδέστατον. εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ Σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα Ἀλήθεια, *Horum Princeps erat maximus natu & omnes in jus vocabat, Oportebat, eum esse justissimum hominum & sincerissimum virorum. Habebat autem circa collum imaginem ex sapphiro gemma & vocabatur ea imago Veritas*. Receptum autem erat apud Ægyptios, ut, cum res, quæ agebatur, in senatu deliberaretur, pronunciatis cæterorum Judicum sententiis, Præses monile suum illuc admoveret, ubi veritas consisteret. Hoc scilicet judicium ab errore vacuum & Divini oraculi loco existimabatur: Pergit idem Diodorus Siculus, Ἀμφοτέρων δὲ τῶν ἀντιδίκων τὰ γεγραμμένα δὶς τοῖς δικασταῖς δόντων, ἔδει τηνικαῦτα τοὺς μὲν τριάκοντα τὰς γνώμας ἐν ἀλλήλοις ἀποφαίνεσθαι, τὸν Ἀρχιδικαστὴν δὲ τὸ ζῴδιον τῆς Ἀληθείας προστίθεσθαι τῇ ἑτέρᾳ τῶν ἀμφισβητήσεων, *postquam bis libellos Judicibus litigantes dederant, oportebat triginta Judices inter se sententias dicere; summum vero Judicem signum veritatis alteri parti adponere*. Quin etiam in simulacris antiquissimi Templi Persepolitani visitur imago summi Pontificis, qui torque ad pectus usque flexo ornatus est: Id memoriæ mandavit Joannes Chardinus *in Tom.* III. *Itineris Persici*. Et Petrus Vallensis in Epistola XI. quam e Cairo scripsit, compositum cadaver dicit vidisse, e cujus collo *pendebat monile aureum, ut solet velleris aurei ordo. In medio ad*

pectus

pectus adnexa erat ingens lamina aurea, cui inerat avis figura. Expositum est oraculum, quod Israeliticis Principibus per Urim & Thummim expromebatur. Atque equidem videmus, illud satis probabili non esse argumento ad vindicandum Catholicum dogma, cujus talis est ratio, ut Christiani Reges arceantur a ferendo judicio de Religione, idque solis Sacerdotibus tribuatur. Si qui enim ex Catholicis Theologis contra politicos morem Deum consulendi per Urim & Thummim objecerunt, nisi si ad ornatum respexerint, profecto non optimum defendendi dogmatis consilium iniverunt. Nanque solos Pastores esse Christianæ Religionis cognitores & Judices, nempe eosdem, a quibus Principes ad Divinarum rerum doctrinam instituantur, certa novi Fœderis testimonia efficiunt, & universæ Ecclesiæ piorumque Imperatorum consensus confirmat. Ergo necesse non est ad eam evincendam caussam argumenta nullius roboris & minime probabilia proferre. Quod si liceat ab Israelitica Republica ad Christianam Ecclesiam dicendo pervenire, hoc non ita agendum est, quasi Urim & Thummim sint novi Fœderis codices, quos ipsi Principes consulant & explicent ad gerendam Religionem. Hoc Grotius ex sententia dicit sua. Contra vero similitudo, si placeat, ita instituenda est, ut Principes in Christiana Ecclesia loco Urim & Thummim existiment judicium Sacerdotum, a quo, si quæratur de Religione, recedere nefas est. Hoc enim Orthodoxis in accipienda Divinarum Rerum doctrina excellentius est oraculum, quam Hebræis erat in suscipiendis & procurandis Reipublicæ negotiis.

VI. Pergamus ad alterum monitum, in quo Arminianus noster Imperatores & Reges rogat, ut de tollendis inter dissidentes Christianorum factiones certaminibus cogitent, interque eas amicitiam conciliare studeant. Atque id equidem a nobis abnuendum non est, quin ex lege, in qua Principatus repositus est, sedulam operam ea in re debeant Principes impendere. Istuc enim ipsum plane sequitur ex ea tutela, in quam iidem susceperunt Christianam Religionem, quæ est una & omnium Ecclesiarum communis. At enim Grotius, dum hoc summorum Principum officium persequitur, complura fudit, quæ contraria sunt Divino Regimini, quo Catholica Ecclesia comprehenditur. Sic enim audacter Principes præficiuntur cognitionibus de Religione, eaque cum potestate ut præcipua dogmata præscribant, in quibus summa pietas consistit, & in cæteris Divinis rebus patiantur, omnes sentire quidquid iis collibeat. Ad hoc fas non est, quod tamen Grotius contendit, eosdem, ne consulta quidem Pastorum synodo edicere de constituendis sacris ritibus, qui ad Religionis majestatem faciunt, & ex iis, quos Ecclesia adscivit, alios abrogare, alios mutare, alios tenere, quemadmodum è Republica & Religione esse censuerint. Denique pii omnes horrent, quod sequitur, Christianis Principibus licere leges de sacris dicere & de Religionis doctrina decernere, quin Ecclesias sive œcumenicas synodos consulant, idque eam ob rem, quod concilia Episcoporum ex Regiis legibus socientur, quibus summi Populorum Rectores exsolvuntur. Omnia in prolusione explosa sunt. Quod autem postremum est, porro refellere enitemur in ea, quæ proxima est, critica exercitatione.

FINIS TOM. I.